2.Q.1.

2. 1. 158

XXXVIII

PURIC

# De SS. Martyribus,

# ARIALDO ALCIATO ET HERLEMBALDO COTTA, MEDIOLANENSIBVS,

veritati ac luci reſtitutis,

## LIBRI QVATVOR

quibus Hiſtoria Mediolanenſis in ea tempora mirificè illuſtratur, multiſq; ab erroribus vindicatur.

Nunc primò prodeunt in lucem ſtudio & opera

IOANNIS PETRI PVRICELLI,
LAVRENTIANÆ BASILICÆ ARCHIPRESBYTERI,
SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIS.



Mediolani, Anno Domini MDCLVII.

Per Iulium Cæſarem Malateſtam, Regium & eiuſdem Inclytæ Ciuitatis Typographum.

Ad Ad.R. D. Cæſarem Zocchum, Curatum D. Ambroſinij vt videat; &, ſi nihil obſtiterit, probet.

Fr.Petrus Hyacinthus Donnellius, Magiſter, & Inquiſitor Mediolani.

Infraſcriptum Opus, cui inſcribitur *De SS. Martyribus, Arialdo Alciato & Herlembaldo Cotta, Mediolanenſibus*, ſtudio & opera Perilluſtris ac Admodùm Reuerendi Ioannis Petri Puricelli, meritiſsimi Laurentianæ Baſilicæ Archipresbyteri, Sacræ Theologiæ Doctoris, ac Hiſtorici fideliſsimi, collectum, Ego P. Cæſar Zocchus de mandato Reuerendiſsimi Inquiſitoris Mediolani, vt ſupra, recognoui, ac typis digniſsimum iudicaui. In quorum fidem &c. Ita eſt: P. Cæſar Zocchus, Sancti Ambroſij in Solariolo Rector, qui de mandato, vt ſupra &c.

Imprimatur.

Fr. Petrus Hyacinthus Donnellius, Magiſter, & Inquiſitor Generalis Mediolani.

Carolus Ghioldus, Theologus S. Nazarij, pro Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo D.D. Archiepiſcopo.

Franciſcus Arbona pro Excellentiſsimo Senatu.

ILLVSTRISSIMIS DOMINIS,

Vrbis Mediolani Præfecto

# ALOYSIO BRIPPIO,

ET CÆSARI VICECOMITI

Regio Locum-Tenenti,

AC SEXAGINTA DECVRIONIBVS,

PERPETVAM FELICITATEM.

QVod vnicè optandum mihi precandumquè ſupererat, hoc ſingulari fauore veſtro (PRVDENTISSIMI AMPLISSIMÆ HVIVS VRBIS MODERATORES AC PATRES) feliciter & abundè obtinui: ſcilicet, vt ſuam veritatis lucem iam tandem typographię beneficio recuperarent

Sancti martyres Arialdus & Herlembaldus, de quibus in hoc Volumine agitur, Conciues olim veſtri, & hinc iamdudùm ad Cæleſtem Patriam profecti, & in perpetuum Domeſtici Dei. Vita quidem illi abſolutè beata nihilominùs interim fruebantur; nec ad aliquód ſui commodum in tanta bonorum omnium affluentia egebant alicuius ope, quam humana mortalitas impendere poſſet; atqui, ſi ſuæ veritatis luci iam tandem hic in Terris reſtituerentur; hoc illis profectò non poterat non eſſe pergratum atque periucundum; & ea ſaltem ratione, vt nouas haberent cauſas beneficentiæ ſuæ in ſuos Cultores & Clientes effundendæ. Præclarè Sanctus Auguſtinus, cùm aliquando de muneribus ſermocinaretur illis, quæ Magi Reges Regi Regum Chriſto Domino ſup-

Sermone 1. de Epiphania Dñi.

plices

plices obtulerunt, Auditores ſuos his etiam
„hortabatur verbis: Offeramus ergo &
„nos, Dilectiſsimi Fratres, ſincera & ſancta
„munera Deo noſtro: caſtitatem, fidem, pa-
„tientiam, charitatem, mentes humiles, pro-
„bos mores, animas Deo inhabitare condi-
„gnas. Hæc ſunt enim placita Deo dona,
„hæc grata munera: quæ illi quidem offerun-
„tur, ſed offerentibus proſunt. NVLLO ENIM
„ILLE MVNERE EGET: HOC ILLI MVNVS OPTI-
„MVM EST, VT CAVSAS HABEAT MVNERANDI.
„NIHIL A NOBIS EXIGIT, NIHIL AMPLIVS PE-
„TIT, NISI SALVTEM NOSTRAM. OMNIA ENIM
„SIBI PRÆSTARI A NOBIS PVTAT, SI ITA NOS
„EGERIMVS, VT NOBIS AB ILLO CVNCTA
„PRÆSTENTVR. Quod ergo tam diſertè ac
fidenter tantus ille Doctor de Summo illo
Bono profitebatur, idipſum nobis liceat de
Beatis etiam omnibus, ac nominatim de Ci-

uibus hiſcè noſtris opinari; & congruenter ad certam illam & indubitatam methodum, qua ſuos illi affectus ad Maieſtatis illius Supremæ placita vnicè componere ſtudent, perpetuoquè ſolent in Suorum illi ſanè Clientum, & præſertim Conciuium, munera diligunt hanc præſertim ob cauſam; QVIA MVNVS HOC ILLIS OPTIMVM EST, VT CAVSAS HABEANT MVNERANDI. Et hæc ipſa quidem mihi præcipua fuit cauſa, cur patrocinium opemquè veſtram huic meo implorare auſus fuerim Operi; quod alioqui, non argumenti nobilitate, non veſtri Nominis Amplitudine ſatis eſſe dignum cenſuebar, & ingenuè profitebar. Faxit ergò Deus Optimus Maximus, vt, quemadmodùm Vos ſplendidè ac liberaliter mihi per omnia fauiſtis ea, quæ pro Sanctorum eiuſmodi Noſtrorum præſenti luce cultu-

què poſtulaui; ſic etiam ipſos viciſſim quantocyus ego ipſe videam remuneratores non minùs beneficos & liberales, quàm Vobis omnibus, & vniuerſæ huic, non modò Vrbi Patriæquè, verùm etiam Prouinciæ, precatus ex animo fui, ſemperquè precabor.

Mediolani, Kalendis Septembribus, Anno Domini MDCLVII.

ILLVSTRISSIMARVM DOMINATIONVM VESTRARVM

Seruus in perpetuum deditiſsimus,

Ioannes Petrus Puricellus,
Laurentianæ Baſilicæ Archipresbyter.

ILLVSTRISSIMI

# ILLVSTRISSIMI DOMINI SEXAGINTA VRBIS MEDIOLANI DECVRIONES:

quibus hoc Opus nuncupatum eſt.

Ioſeph Reuerta,
Comes Bartholomæus Areſius, Regens, & Magiſtratus Ordinarij Præſes,
Comes Alexander Panigarola, S. Iacobi Eques,
Ioannes Baptiſta de Plenis,
Comes Albertus Vicecomes,
Comes Don Angelus Triuultius, S. Iacobi Eques,
Comes Georgius Raynoldus.
Hippolytus Brippius,
Raymundus Foppa,
Comes Carolus Archintus, Quæſtor,
Don Antonius Aliprandus, S. Iacobi Eques,
Princeps Hercules Theodorus Triuultius, Aurei Velleris Eques,
Comes Pyrrhus Vicecomes Borromæus, è Secretiori Conſilio,
Marchio Vercellinus Maria Vicecomes, è Secretiori Conſilio,
Marchio Maximilianus Stampa,
Comes Guid-Antonius Stampa,
Comes Aloyſius Maria Arconatus,
Marchio Theobaldus Vicecomes, è Secretiori Conſilio,
Comes Horatius Archintus,
Marchio Carolus Gallaratus, I. V. Doctor Collegiatus,
Ioſeph Crucæius, I. V. Doctor Collegiatus,
Ioannes Baptiſta Vicecomes, I. V. Doctor Collegiatus,
Ioannes Baptiſta Gluſſianus, Protophyſicus,
Ioannes Iacobus Sclaphenatus,
Comes Ioannes Baptiſta Rouida,
Comes Don Hercules Sfondratus, Turmæ Equitum Lanceatorum Ductor,
Commendator Marchio Mauritius Arcimboldus,
Marchio Ioannes Puteobonellus,
Comes Don Iulius Montius, Turmæ Cataphractorum Ductor,
Antonius Franciſcus Foſſanus,
Comes Barnabas Barbouius, I.V. Doctor Collegiatus,

Marchio

Marchio Don Hieronymus Stampa, Quæſtor,
Galeacius Boſſius, I. V. Doctor Collegiatus,
Marchio Hieronymus Talenrus Florentia, Senator,
Marchio Galeacius Vicecomes,
Marchio Franciſcus Vicecomes,
Don Gaſpar Caymus, S. Iacobi Eques,
Bene dictus Areſius,
Comes Iacobus Legnanus,
Comes Antonius Arcimboldus,
Comes Carolus Corius, I. V. Doctor Collegiatus,
Aloyſius Lampugnanus,
Marchio Ioſeph Corius,
Alphonſus Vicecomes,
Comes Ioannes Borromæus, Exercituum Commiſſarius Generalis,
Marchio Hermes Vicecomes,
Comes Renatus Borromæus,
Marchio Socinus Maria Siccus ab Aragona,
Comes Franciſcus Vicecomes,
Ioannes Perrus Orrigonus, I. V. Doctor Collegiatus,
Comes Cæſar Petraſancta,
Scaramucia Vicecomes,
Comes Aloyſius Pecchius, I.V. Doctor Collegiatus,
Marchio Alexander Triuulrius,
Comes Marcus Antonius Raſinus,
Ioannes Negrolius,
Comes Hieronymus Terzagus,
Comes Ludouicus Taberna,
Hieronymus Citradinus, I.V. Doctor Collegiatus,
Franciſcus Caſtellionæus.

## Præfatio in vniuerſum hoc Opus.

HVmaniſſimus erga me, mihiq; ſemper nec vnquàm ſatis celebrandus, Domnus Matthæus Valerius, è perinſigni Ciue Mediolanenſi religioſiſſimus Carthuſiæ Papienſis Monachus, & eo tempore Prior, ſiue Moderator & Præſul (quem ille Præſulatum ſumma cum laude ab Anno Domini ſupra Milleſimum ſexcenteſimum trigeſimo-quarto vſque ad trigeſimum-ſeptimum adminiſtrauit) aggrediendi huius Operis voluntatem mihi primus iniecit, ac ſæpè & ſæpiùs hortando confirmauit.

Sic enim ſapientiſsimus ac prudentiſsimus & Vrbis Patriæ amantiſsimus ille Pater ſentiebat, & grauibus exaggerare ſolebat verbis, vt Mediolanenſibus indecora nimis & pudenda res eſſet, nec vllatenùs iam tandem ferenda, quòd in obſcuro laterent adhuc, inimò verò calumnijs etiam grauati iacerent ſorderentquè duo Vrbis huius Ciues, non modò generis nobilitate, ſed etiam ſanctimonia & martyrij palma illuſtriſſimi, Arialdus Alciatus, & Herlembaldus Cotta. Tantum enim eorum decus ſibi ex Auctoribus conſtare probatiſſimis; & è duobus præſertim, à quibus ex inſtituto conſcriptam olim, neque tamen typis hactenùs editam, ipſe haberet Arialdi Vitam. Quoniam igitur ipſe, Monaſterij ſui regimine quinetiam chiragra curiſquè alijs præpeditus, id oneris ſuſcipere non poſſet; mihi propterea ſuadebat, vt illudipſum ſuſciperem, atque Ciuitati noſtræ hac etiam in parte gratificarer, necnon etiam talium Sanctorum beneuolentiam & gratiam hoc obſequio promererem.

Hoc ego denique illi conſenſi; ſed proteſtatus, me laboribus alijs implicitum iam eſſe litterarijs, è quibus nonniſi poſt multum inde tempus expedire me poſſem; ac propterea me quoque non tam citò, quàm ipſe cuperet, in id Opus incumbere poſſe. Tum verò mihi protinùs ille reſpondit: Dummodò tu, quando poteris, in illud incumbas, hoc

mihi

mihi ſatis eſt : neque quicquam vltra cunctatus, in hunc finem, atque in hanc ſpem ſuam pariter ac meam, mihi tradidit vtramque Sancti Martyris Arialdi Vitam illam, quam huius Operis Libro Secundo ac Tertio inſeram: neque multò pòſt adiecit etiam illud Andreæ Alciati fragmentum, quod ego hic itidem reddam Libro 1. Cap. 12.

At enim mortuus ille interim eſt Anno Sæculi eiuſdem quadrageſimo-quinto, vigeſima-nona Decembris die: ego autem, tametſi promiſsionis illius meæ non immemor ad Opus promiſſum iugiter aſpirarem; nonniſi tamen Anno ſuperiore illud incipere potui.

Tunc igitur vtcumque inchoatum, & propter alias occupationes poſtea identidem intermiſſum, ecce nunc tandem, præſentis Anni quinquageſimi-ſeptimi menſe Septembri pro mea tenuitate abſolutum, tibi, Benigne Lector, exhibeo; & obnixè quidem precatus, vt errata, ſi qua ſunt humanitùs commiſſa, tu clementer per humanitatem tuam condones.

Vnicam profectò rerum veritatem conſectari ſemper & ex animo vnicè ſtudui; ac nominatim etiam ſacroſanctam ſequi Eccleſiam Romanam, veritatis Magiſtram; cuius iudicio promptiſsimus ſemper acquieſcam. Et hoc ſinceriſsimè, Deo teſte ſimul & iudice, veraciſsimo pariter ac infallibili, profiteor.

DeSS.

# De SS. Martyribus,

# ARIALDO ALCIATO ET HERLEMBALDO COTTA MEDIOLANENSIBVS.

## veritati ac luci reſtitutis,

## LIBER PRIMVS:

## Teſtimonia pro ipſorum ſanctitate, per Ioannem Petrum Puricellum collecta.

### Præfatio in præſentem Librum Primum.

I. QVÆ Primo continentur hoc Libro Teſtimonia, eadem profectò à nobis quantocyùs opponi quibuſdam alijs oportebat Scriptoribus, qui Arialdo & Herlembaldo ſanctitatem abrogarunt omnem, immò verò vitia quoq; multa impegerunt, publicæ Mediolanenſis Eccleſiæ tranquillitati pariter ac dignitati contraria.

II. Ex hoc hominum genere fuerunt in primis noſtrates per ea tempora Scriptores, Arnulphus, Datius, & Landulphus, à me Senior appellari ſolitus: & hi quidem, ſicut Simoniacis & vxoratis tunc Clericis addictiſſimi; ſic etiam vice verſa & Arialdo & Herlembaldo, & eorum fautoribus, quinetiam ipſimet Apoſtolicæ Sedi, ac Romanis per eadem illa tempora Pontificibus infenſiſſimi.

III. Arnulphus tamen, velut alter è Saulo Paulus, ad extremum reſipuit; vt ego etiam Libro 4. commonſtrabo; ſperoq; patebit etiam ex ipſamet eius Hiſtoria, quam ego typis vniuerſam edere meditor, iamq; aptaui.

IV. Datium hic etiam nomino; ſed non Sanctum illum Archiepiſcopum

noſtrum, qui ante Quingenteſimum quinquageſimum Chriſti Annum Mediolanenſi præfuit Eccleſiæ. Alterum igitur intelligo Datium, qui paulò poſt Arialdi & Herlembaldi conatus Chronicum illud ſcripſit Mediolanenſe, quod vſque ad Sancti Gregorij Papæ Septimi regimen protendebatur, & in præſenti non inuenitur. De quo quidem Datio eiuſquè Chronico quamplura iam ego in Diſſertatione mea Nazariana Capite 39. diſſerui; vt eos etiam refellerem, qui Sanctum Archiepiſcopum noſtrum Datium fecerunt Chronici eius auctorem. Atque huc etiam profectò illud pertinet, quod infra videbimus Libro 4. Capite 12. Num. 2.

V. De Landulpho autem ipſo Seniore multa etiam in eodem illo Capite 39. dixi; ſed in præſenti ſatis eſſe poterunt ea etiam, quæ Libri huius Primi Capite 2. quæquè præterea Libro Quarto multis in locis recenſebo. Præ cæteris hic mihi ſingulariter in eo videtur mendax; quòd & Arialdum & Alexandrum Papam Secundum aſſeruit ijs pœnitenter ante mortem indoluiſſe omnibus, quæ contra Nicolaitas & Simoniacos Mediolani Clericos antehac egiſſent; necnon etiam tria confinxit miracula, quæ Deus in fauorem patrauerit cauſæ, quam vxorati Sacerdotes pertinaciter tutabantur, quamquè toties Eccleſia Catholica Romana damnauit.

VI. Triſtanus portò Chalcus Arnulphum, quem ſequi debuerat pœnitentem, atque per omnia emendatum, malè cautus errantem ſecutus eſt in ſuis Rerum Mediolanenſium Hiſtorijs, & nominatim Libro ſexto poſt Annum Chriſti 1054. & ab ijs verbis: *Interea Mediolani priuatorum intemperans audacia* (de Landulpho autem Cotta, Herlembaldi fratre, dequè Arialdo hæc blaterabat) *in publicam perniciem exijt*. Chalco autem poſtea Carolus Sigonius Libro 9. de Regno Italiæ, ab Anno 1058. vſque ad 1075. adhæſit; ſed ita moderatè, vt Arialdum etiam nomine ſanctitatis aliquando commendarit, quemadmodùm in hoc ipſo Libro Primo, Cap. 15. videbimus. Ioſephus ex aduerſo Ripamontius eidem Chalco intemperanter admodùm hac in parte adhæſit Decade 1. Libroquè 10. ſuarum Eccleſiæ Mediolanenſis Hiſtoriarum. Itaque me ipſum quidem pudet ea vel innuere, quibus ille in hos Viros Sanctos eorumquè aſſeclas inuectus eſt.

VII. His igitur, & eiuſmodi alijs Scriptoribus, ſi qui ſunt, opponenda in fronte huius Operis ego cenſui Teſtimonia, quæ Primo continentur hoc Libro.

Index

# INDEX CAPITVM

## Libri huius Primi.

I. Sancti Iulij, Sacerdotis & Confeſſoris, teſtimonium ſimul & vaticinium.

II. Teſtimonium, è ſepulchralibus eorum Inſcriptionibus deſumptum, ac ſimul etiam ex ijs Auctoribus, qui ſuis eas calculis comprobarunt.

III. Teſtimonium Catalogi Archiepiſcoporum Mediolanenſium, Anno Domini 1318. collecti.

IV. Gualuanei Flammæ teſtimonium, Anno 1330.

V. Teſtimonium Calendarij Ambroſiani, Anno 1381. conſcripti.

VI. Teſtimonium Chronici Flos florum, compoſiti Anno Domini 1399.

VII. Teſtimonium Petri Azarij, Annalium Mediolanenſium Scriptoris, ab initio Vrbis vſque ad Annum Chriſti 1402.

VIII. Teſtimonium Libri, Anno 1481. conſcripti.

IX. Bernardini Corij, Ciuis & Hiſtoriographi Mediolanenſis, teſtimonium, Anno 1500.

X. Teſtimonium Libri, typis impreſſi Anno 1515.

XI. Teſtimonium Iſidori de Iſolanis, ex Ordine Prædicatorum, Anno 1518.

XII. Andreæ Alciati teſtimonium, circiter Annum Chriſti 1530.

*XIII.* *Teſtimonium Hieronymi Montij, Anno Chriſti* 1547.
*XIV.* *Ioannis Pauli Folperti teſtimonium, Anno* 1576.
*XV.* *Caroli Sigonij teſtimonium, Anno* 1580.
*XVI.* *Eudoſij Loccatelli teſtimonium, Anno* 1583.
*XVII.* *Ludouici Cauitellij teſtimonium, Anno* 1588.
*XVIII.* *Teſtimonium Arnoldi VVion, Anno* 1595.
*XIX.* *Blaſij Rubei teſtimonium, Anno* 1598.
*XX.* *Eminentiſſimi Cardinalis, Cæſaris Baronij, teſtimonium, Anno* 1603.
*XXI.* *Pauli Morigiæ teſtimonium, Anno* 1603.
*XXII.* *Nouarienſis Epiſcopi, Ciuiſquè Mediolanenſis, Caroli à Baſilica Petri, teſtimonium, Anno* 1612.
*XXIII.* *Leonardi Coquæi teſtimonium, Anno* 1616.
*XXIV.* *Philippi Ferrarij teſtimonium, Anno* 1625.
*XXV.* *Peregrini Merulæ teſtimonium, Anno* 1627.
*XXVI.* *Ioannis Baptiſtæ Villæ teſtimonium, Anno* 1627.
*XXVII.* *Hieremiæ Drexellij teſtimonium, Anno* 1638.
*XXVIII.* *Ranucij Pici teſtimonium, Anno* 1642.
*XXIX.* *Ioannis Petri de Creſcentijs Romani teſtimonium, Anno* 1648.
*XXX.* *Petri Mariæ Campi teſtimonium, Anno* 1651.
*XXXI.* *Teſtimonium ſacræ picturæ veteris, in Mediolanenſi Sancti Babylæ Baſilica extantis.*

*Caput I.*

## *CAPVT I.* A

*Sancti Iulij, Sacerdotis & Confeſſoris, teſtimonium ſimul & vaticinium.*

I. QVàm inſignis ſanctitate, quàmq; dignus hic Teſtis ſit fide, planiſſimè conſtat ex ijs, quæ de ipſo habentur pridie Calendas Februarij in Romano Martyrologio cum Annotationibus Eminentiſſimi Cardinalis Baronij, necnon etiam in altero cum Petri Galeſinij, ac præterea in Philippi B
Ferrarij Catalogo Sanctorum Italiæ, itemq; in matutina Breuiarij noſtri Ambroſiani Lectione: tum etiam in eius Vita, quam breuiter recenſuit Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum, Libro 3. cap. 37. fuſiùs verò Boninus noſter Mombritius Tomo Secundo inter Sanctorum Vitas, quas à vetuſtioribus Auctoribus mutuas accepit, & in duos Tomos circiter Annum Domini 1475. collectas, ac typis impreſſas euulgauit: quamquè perſtrinxit etiam Carolus à Baſilica Petri, Nouarienſis Epiſcopus, Nouariæ ſuæ, ſiue De Nouarienſi Eccleſia, Libro Primo, in Terminatione Inſulæ Sancti Iulij, ac Ripariæ, pag. 179. & C
deinceps: rurſùs verò copioſam denique reddidit eruditiſſimus è Societate Ieſu, mihiquè beneuolus, Ioannes Bollandus, die pariter Ianuarij trigeſimoprimo, in Actis Sanctorum eiuſdem menſis, quæ duobus ingentis molis Voluminibus adhuc edita per ipſum typis Antuerpianis ego legi.

II. Certè autem talis ac tantus Teſtis hic noſter, Iulius, tempore floruit Imperatoris Theodoſij Senioris, quem Anno Domini 395. ex hac vita migraſſe conſtat, vt benè obſeruauit etiam Carolus idem à Baſilica Petri Libro ſecundo Nouariæ ſuæ, in Sancto Gauden- D
tio, Epiſcopo Primo, ad finem, pag. 249. his verbis: *Sanctus Iulius cum fratre ſuo Iuliano in hanc Diœceſim veniſſe apparet, antequàm Sanctus Gaudentius fieret Epiſcopus; cùm ij Theodoſio imperante venerint, vti in Libro de Locis Diœceſis* (hoc eſt Libro primo) *dictum eſt; qui Imperator deceſſit Anno 395. quo Gaudentius adhuc Presbyter Eccleſiæ Nouarienſis curam gerebat; ſicuti ex narratis apparet.*

III. Quòd autem pro præſenti cauſa producitur eiuſdem Sancti Iulij

teſtimo-

teſtimonium , his apud Boninum Mombritium in eius Vita A
conceptum eſt verbis : *Poſtea venerunt ad Inſulam modicam ,*
*quæ ſita eſt in lacu, qui ſubiacet Ciuitati, quæ dicitur* STATIONA.
*Tunc Vir Dei Iulianus ad Sanctum Iulium dixit : Intremus Inſu-*
*lam paruulam : & faciamus in circuitu munitiones , & ædificemus*
*Baſilicam : faciamuſquè nobis hic ſepulchra ; vt , cùm venerit nobis*
*tempus dormitionis à Domino , requieſcamus . Reſpondens Sanctus*
*Iulius dixit : Sine contumelia tua ſile modò frater. Adhuc venient*
*dies, quando hic intùs lupus capiet ſibi ſuillam in prædam, & vulpes*
*rapiet ſibi hinc gallum in eſcam . Surgamus hinc , & tranſeamus .*
*Hic iam aliquot lapides ibi in gyro in maceria poſuerant . Sanctus* B
*Vir Iulius , ipſi Inſulæ quid futurum eſſet, per Diuinam Prouiden-*
*tiam ſpiritalibus oculis intuebatur . Statim abierunt .* Hæc apud
Mombritium . Quæ pariter ijſdem penè verbis apud Bollan-
dum è manuſcripto codice Carthuſiæ Colonienſis , à Ioanne
Gamnaſio Societatis Ieſu exſcripta , hunc in modum legun-
tur : *Exinde autem progreſſi veniunt ad Inſulam modicam , quæ eſt*
*in lacu , qui ſubiacet Ciuitati, quæ nuncupatur* STATIONA.
*Dixitquè Sanctus Vir Iulianus ad Beatiſſimum Iulium : Ecce adeſt*
*Inſula parua: in qua, ſi vis, faciamus ſtructuras, & Baſilicam ædi-*
*ficemus , in qua nobis conſtruamus ſepulchra , in quibus dormitionis* C
*tempore iaceamus. Cui Sanctus Iulius, Sine, inquit, ſine modò: Ecce*
*dies veniunt; cùm ſibi lupus & vulpes accipiant ſuem gallumquè in*
*prædam . Surgamus, & hinc tranſeamus ( iam enim Vir Domini*
*prophetiæ ſpiritu, quid in eadem Inſula debuerat euenire in futurum,*
*in præſenti cognouerat, & intuens ſpiritualibus oculis contemplaba-*
*tur) eamquè Inſulam ſtatim reliquerunt .*

IV. Accipe nunc, quàm fidenter idem Carolus à Baſilica Petri fuerit
interpretatus , eo Sancti Iulij vaticinio præindicatam diuinitùs
eſſe nefariam Sancti Martyris Arialdi noſtri cædem , atque
adeò ſimul etiam ipſius Arialdi ſanctitatem . Libro enim No- D
uariæ ſuæ pariter primo, in Terminatione Vergantis, ſeu Ba-
ueni , pag. 154. ſic ſcribebat : *Inſula Sancti Victoris in medio*
*ferè lacu (*Verbano*) eſt, in qua olim Eccleſia erat Sancti Victoris,*
*Parochialis Iſellarum , cum Cœmiterio , & vſitato Templo Sancti*
*Ioannis Baptiſtæ ad vſum Baptiſterij : & habitatoribus ferè vacauit*
*ſemper. Nam hic , vt pleriſque locis in continenti , Eccleſia Paro-*
*chialis remotior fuit ab habitatoribus. Hæc Inſula ante annos ampliùs*
*centum*

*centum data eſt in emphiteuſim Lanciloto Borromæo Comiti (* nunc A
Illuſtriſſimi pariter Comitis eſt Ioannis Borromæi *) exceptis Ec-
cleſijs memoratis, & Cœmiterio; quamuis pro veteribus Eccleſijs no-
uam nunc ædificarint Borromæi Comites, dum ibi amplas quoque
ædes poſuerunt, & hortos malorum citreorum, aliorumquè eiuſdem
generis. Alia Iſella duæ, ita propriè nominatæ (* quæ quidem ſimi-
liter nunc ſunt Illuſtriſſimi Comitis Renati Borromæi *) propè ri-
pam, multis piſcatoribus incolis: in quibus Eccleſiæ ſunt ædificatæ,
vnaquè eſt Parochialis in ea, quæ dicitur inferior; quamquàm pro
vna quandoque habitæ videntur hæ duæ paruæ Inſulæ; nàm & hoc
tempore pedibus iri ab vna ad alteram poteſt; ſcopulo ex quo Inſulæ* B
*efficiuntur, ita continuato, vt ferè aquæ ſuperficiem attingat, cùm
ea minimè abundat. In ea Inſula, Comiti Borromæo tradita, veri-
ſimile eſt, excruciatum & occiſum olim fuiſſe Arialdum Diaconum,
ex Decumanis Eccleſiæ Mediolanenſis; non autem in alia ex his
Inſulis; quia hæc incolis careret, & à ripa longiùs diſtaret. Nar-
ratur hiſtoria inferiùs ſub Oddone Epiſcopo. Factum hoc videtur
ſignificare qui ſcripſit Vitam Sancti Iulij, dum ait, Sanctum Virum
cum fratre, antequàm veniret Gaudianum, ſeſe contuliſſe in Inſu-
lam lacus, qui ſubiacet Stationæ: fratrìquè ſuadenti, vt ibi ſedem
ſuam eligerent ac ſepulchrum, negaſſe; quaſi prævidens (* legendum C
videtur *prævidentem) ſcelera, quæ ibi futura erant. Ex quo appa-
ret, Auctorem illum (* à quo nimirùm conſcripta fuit ea Sancti
Iulij Vita*) qualis qualis fuerit, vixiſſe circa tempus Arialdi mortui,
hoc eſt circiter Annum Domini Milleſimum Septuageſimum. Statio-
nam diximus appellatam fuiſſe Angeram.* Talia ibi Carolus Epiſ-
copus: nec diſſimilia poſtmodùm in eodem pariter Libro primo,
in prædicta Terminatione Inſulæ Sancti Iulij, & Ripariæ, pag. 180.
vbi ſic habet: *Inde in Diœceſim Nouarienſem ad Inſulam veniſſe
(*Iulius & Iulianus*) traduntur Verbani lacus. In lacu (inquit Auc-
tor) qui ſubiacet Stationæ: quo nomine Angeram obſeruauimus appel-* D
*latam. In ea Inſula cogitauit Iulianus, cùm iamdiu peregrinarentur,
poſtremam Eccleſiam fabricare, ſubſiſtere, & reliquum vitæ curſum
conficere. Iulius autem prophetico ſpiritu locum dicitur abominatus,
proſpiciens malum, quod in ea futurum erat; de quo ſuperiùs (* hoc eſt,
loco nuper à me itidem producto*) pro coniectura noſtra tetigimus.*
V. Tria igitur nobis in præſenti coniectat Carolus hic Epiſcopus. Pri-
mum eſt, ſcelus illud, quod prophetico ſpiritu Sanctus Iulius
prænun-

prænunciabat, eſſe Martyris Arialdi cædem, quæ poſtmodùm patranda eſſet in ea Inſula, ad quam ipſe peruenerat: ſecundum eſt, eam præcisè Inſulam non eſſe aliam, quàm quæ nunc Comitis eſt Ioannis Borromæi: tertium & poſtremum eſt, Scriptorem illum Actorum Sancti Iulij vixiſſe circa tempus, quo mortuus eſt Sanctus Arialdus, hoc eſt circiter Annum Domini Milleſimum ſeptuageſimum. Ex his tamen ego coniectamentis ita primum admittam, vt ſecundum ac tertium planè reijciam. Sicut enim Sanctum Arialdum certiſſimè conſtat in vna Verbani lacus ſiue Inſula ſiue ſolitudine necatum eſſe, vt poſtea ſæpè ac ſæpiùs videbimus; ità nihil ego habeo in contrarium, quin ad eam (ſi tamen Inſula verè fuit) Sanctus Iulius tunc peruenerit, ac patrandam in ea cædem illam præuiderit, ijſq; prænunciauerit verbis. Ex altera verò parte Inſula illa, quam idem Carolus Epiſcopus deſignabat, non ità mihi viſa eſt parua & modica, ſicuti Vitæ illius Sancti Iulij Auctor ſignificabat. Illa itidem verè medio in lacu ſita eſt; nec ad eam terreſtri etiam itinere perueniri potuit, ſicut ne in præſenti quidem poteſt; quali tamen itinere perueniri (& ex eo quidem Lacus litore, in quo Stationa etiam conſtructa eſt) potuiſſe videtur ad eam ſolitudinem, ſylueſtribus ſolummodò beſtijs habitatam, in qua Sanctus Arialdus necatus eſt. Sic enim ego colligo è Beati Andreæ verbis, quæ Libro ſubſequenti eiuſq; Capite 29. continentur in Arialdi Vita, per ipſum conſcripta. Stationam ipſe (nobis hoc tempore Angleriam) terreſtri iam erat itinere profectus, cùm duabus è mulieribus, fortè fortuna obuijs, percontatur, an vera ſint ea, quæ mox audierat de Arialdi nece. *Quæ ſtatim facta apud me* (ſubdit idem Andreas) *nimis grata, omnia teſtantur eſſe vera, præter hoc, quòd de eius morte adhuc erant incerta. Viam itaq; mihi, contra præfatam tendentem ſolitudinem* (ad quam deniq; naui tranſuectus fuerat Arialdus) *oſtendunt: multùmque depoſcunt, vt reuertens eas facerem ſciolas, vnde eis adhuc inerat dubietas.* VERVM INGENTIVM PRÆPEDITVR OBSTACVLIS SAXORVM ILLVC ACCEDERE. EVNDO PER TERRAM NEQVIVI: QVIQVE PER NAVEM ILLVC ME TRANSFERRE AVDERET, REPERIRE NON POTVI; *ideoq; præter quæ dicta ſunt, pleniter de illo tunc ſcire non valui.* Quamobrem peninſula potiùs, quàm inſula, verè fuit ea ſolitudo, in qua necatus eſt Sanctus Arialdus. Fortè autem Sancti Iulij prophetia

illa

illa non incongruè poſſet intelligi de altera quoque vel etiam for- A
taſsè tertia inſula, in quam translatum deinde fuit Arialdi cada-
uer, antequàm in profundum lacus deijceretur: quas propterea
inſulas Iulius abominaretur, vtpotè propinquas loco, in quo
tam nefarium ſcelus patrandum præuideret. Denique verò,
quemadmodùm nihil obſtiterat, quominùs Sanctus Iulius per ea
verborum inuolucra tanto ante tempore innueret Sancti cædem
Arialdi futuram; ita etiam quid poſtea obſtabat, quominùs Ac-
torum eiuſdem Iulij Narrator eadem illa ipſius verba ſcriptis ſuis
conſignare multo pariter ante potuerit tempore, quàm idem ne-
caretur Arialdus? B

VI. Et hæc ſatis in præſenti ſint ex occaſione teſtimonij, ſiue potiùs vati-
cinij, per Sanctum illum Iulium enunciati. Quale verò fuerit
Catoli à Baſilica Petri proprium pro Arialdi & Herlembaldi ſan-
ctitate teſtimonium, id ego infra ſeparatim ſuo loco ac tempore
recenſebo. Sicut autem ipſe itidem in Terminatione Inuorij
multa iam ſcripſerat de Stationa; ſic ego plura deinde diſſerui de
ipſa in Ambroſianæ Baſilicæ ac Monaſterij Monumentis, Num.
578.

VII. Sin autem pro Rerum Mediolanenſium Hiſtoria tranſeunter ali-
quid hoc loco innuere liceat ex eiuſdem Sancti Iulij Vita, per
Mombritium recitata; non iniucundum profectò illud erit, quod C
ibi de Audentio quodam Mediolanenſi ac Senatore narratur.

## CAPVT II.

*Teſtimonium, è ſepulchralibus eorum Inſcriptionibus deſumptum, ac ſimul etiam ex ijs Auctoribus, qui ſuis eas calculis comprobarunt.*

I. Martyres hi citra dubium necati fuerunt Anno Do-
mini ſupra Milleſimum Arialdus ſexageſimo- D
ſexto, Herlembaldus autem ſeptuageſimo-ſex-
to. Tum verò ſine mora Herlembaldus ad San-
Dionyſianum Vrbis noſtræ Monaſterium ſepul-
tus eſt: eodemquè poſt multos annos translatus
etiam fuit Arialdus; poſteaquàm primò contemptim humo in-
foſſus, deinde in lacus Verbani profundum deiectus, poſt decem
inde menſes diuinitùs euaſiſſet ad litus; atque ad Vrbem ſolemni

A delatus pompa, propè Monaſterium San-Celſianum ſepultus iacuiſſet. Quæ quidem omnia ſingillatim è præſenti deinceps Opere conſtabunt. A

II. Eorumdem verò Martyrum ſanctitatem ij præſertim teſtati nobis luculentiſſimè atque ad fidem accommodatiſſimè fuerunt, à quibus conſcriptam è tempore magis propinquo Vitam inuenimus Arialdi, & à Beato nominatim Andrea, fideliſſimo pariter ac veraciſſimo eius diſcipulo. Verumtamen, ſicut ego ipſius Vitam, & à duobus quidem antiquitùs conſcriptam ſeparatim, ſubſequentibus Secundo ac Tertio Libris ad verbum recitabo; ſic etiam tales eorum atteſtationes Lector inde paulò ſeriùs dignoſcere ne grauetur; hiſque contentus interea ſit, quas hoc ipſo Libro, ſeruata quantùm potero temporum ſerie, producam. B

III. Sepulchrales igitur nunc producam eorum Martyrum Inſcriptiones; quippe quæ cæteris, quos in promptu habeo, Teſtibus & vetuſtiores & fideliores credi meritò poſſint: eaſq; depromam è manuſcripto præſertim ac pergameno Capituli Metropolitani Codice, quo Libri Quatuor Mediolanenſium Hiſtoriarum Landulphi Senioris continentur, vſque ad Gregorij Papæ Septimi mortem, Anno Domini octuageſimo-quinto ſuprà Milleſimum communiter adſcribi ſolitam, pertingentes; cui nimirùm tempori Landulphus ipſe videtur coæuus fuiſſe. Seniorem verò appellare illum ego ſoleo, vt eumdem ab altero diſtinguam Landulpho pariter Hiſtoriographo Mediolanenſi, qui poſterior ætate fuit, quiquè diſertiſsimè ſe Landulphum *de Sancto Paulo* appellauit. C
Sic etiam infenſiſsimus ille fuit Arialdo eiuſquè ſocijs & fautoribus (per quos multa ſe paſſum damna & incommoda conquerebatur in ſuarum Hiſtoriarum Prologo) contrà verò Sacerdotibus vxoratis addictiſsimus; quemadmodùm etiam rurſus ego Diſſertationis Nazarianæ Capite 3. Num. 13. præmonebam. Quocircà non ex ipſius textu, ſed ex Amanuenſis illius, qui Codicem illum exſcripſit, additamentis marginalibus ea mihi præſidia depromam, quæ præſenti Capite opportuna erunt. In eodem tamen Codice poſt prædictas Landulphi Senioris Hiſtorias, Quatuor Libris comprehenſas, exſcriptæ ſimiliter ſubſequuntur Hiſtoriæ Arnulphi; deinde verò alterius Landulphi, quem paulò antè indicabam, *de Sancto Paulo*; ac denique Sancti Martyris Arialdi Vita illa, quam præſentis Operis Libro Tertio me promiſi recitaturum. D

IV. Lan-

IV. Landulphus autem ille Senior Hiſtoriarum ſuarum Libro tertio, A
Capite vltimo, de ipſius Arialdi cæde hunc in modum ſcripſerat:
*Cum vultui Oliuæ* ( hanc idem Auctor eodem Capite fatetur fuiſ-
*ſe omnium ferè nequiſsimarum artium maximeque incantationum*
*ſcientia fultam ) in Arce Arona repræſentatus fuiſſet Arialdus ; ea-*
*dem illicò imperante , Patrui ſui* ( Guidonis nempè Archiepiſcopi
Mediolanenſis ) *dolorem reminiſcens* ( fortè meliùs *reminiſcente* ) *in*
*Inſula quadam* IVXTA LACVM MAIOREM ( quam loquendi
formulam conferri iuuat cum ijs, quæ ſuperiori Capite, Numero
5. diſſerebam ) *ſecretiſsimè ductus eſt. Ibique interrogatus , ſi Gui-*
*donem teneret Archiepiſcopum , quem Eccleſia Romana Pallio &* B
*Cardinalibus firmauerat ; reſpondens dixit : Donec linguam in ore*
*portauero, & animus incolumis fuerit, ac mens mea ſerena, nec tene-*
*bo ipſum pro Archiepiſcopo, nec habebo. Hoc dicto, vernulæ Oliuæ,*
*furialiter in eum proſilientes, linguam eius deſub mentonem trahentes,*
*in Inſula ſemimortuum reliquerunt. Quin & altera die, iubente ea-*
*dem Oliua, ne à ſuis viuus vel mortuus inueniretur, & ab Herlem-*
*baldo duriſſimè ipſa obſideretur ; in Arce Treuali* ( vulgò pariter ac
Italicè *di Val-trauaglia) in Apotheca Sancti Ambroſij cautiſsimè hu-*
*mauerunt defunctum. Tranſactis verò aliquantis diebus , eius cada-*
*ueris fœtor Caſtellum omne, ita vt omnes nauſearent, fugientes, occu-* C
*pauit.* Hæc Auctor ille, Arialdo infenſiſsimus, & in his nomina-
tim, quæ de tanto illo fœtore dicebat, mendaciſsimus ; vt ſuo
tempore ac loco videbimus.

V. Ex aduerſo autem, iuxta hæc poſtrema ipſius verba , charactere ru-
bro conſimilique titulis, qui quatuor eiuſmodi Libris necnon
etiam ſingulis eorum Capitibus præmiſſi ſunt, ſic eſt in ora mar-
ginali ſuperadditum: *Paſſus eſt Beatus Arialdus Martyr & Le-*
*uita Anno Domini Milleſimo ſexageſimo-ſexto, quinto Kalendas Iu-*
*lij, canonizatus per Alexandrum Secundum. Nec mirandum , ſi*
*iste Hiſtoriographus, & ſequens* ( Arnulphus ille nimirùm, cuius D
Hiſtorias paulò ante dicebam in eodem illo ſubſequi Codi-
ce, quo primùm Hiſtoriæ Landulphi huius continentur ; quam-
quàm etiam taceri à me non debet, illum poſtea reſipuiſſe, ſicut
ex eius quarto conſtat Libro ) *non laudent iſtum Arialdum ; quia ipſi*
*erant fautores Sacerdotum vxoratorum, concubinariorum , & Simo-*
*niacorum, à quibus Beatus Arialdus paſſus eſt. Et Anno Domini*
*Milleſimo ſexageſimo-ſeptimo Alexander Secundus venit Mediola-*

 *num*

*num ob mortem Arialdi, dum ad Synodum pergeret, quam Mantuæ* A
*celebrauit: in qua omnes Mediolanenſes Sacerdotes vxoratos Beneficijs priuauit: quod & de cæteris facere intendebat; ſed morte præuentus eſt. Sed Hildeprandus, eius ſucceſſor* ( & Gregorius Septimus appellatus) *facti Alexandri conſcius, id expleuit.* Hactenùs Amanuenſis ille.

VI. Landulphus itidem Libri eiuſdem tertij Capite illo vltimo hæc ſcripſerat de Arialdi ſepultura in Monaſterio San-Celſiano, indequè ad San-Dionyſianum translatione: *Itaque multis dubitantibus, multiſquè congaudentibus, plurimiſquè credentibus, tandem pallio ſuper impoſito in lectica compoſitus eſt. Quo aſſumpto, & quaſi Leuita* B *cum ſtola ornato, ſummis cum Litanijs, magniſquè exultationibus, plurimiſquè confrequentationibus, in Monaſterio Sancti Celſi humatum eſt. His itaque peractis, Herlembaldus ſuis cum omnibus magniſquè cæremonijs quaſi nouum Martyrem celebrantes, phantaſtica deluſi imagine, vt poſteà in tempore Quarti Anſelmi Archiepiſcopi apparuit* (qua pariter in re Landulphus ſplendidè mentitur) *ſedulè ac deuotè colebant. Cùm enim poſt biennium* (hic in margine adnotatum eſt *ſcilicet Milleſimo nonageſimo-ſexto*; ſed hoc à nobis examinabitur Libro 4. Cap. 83.) *ſua Conſecrationis Dominus Anſelmus Arialdi oſſa ac Corpus, qualiter malè olim in veritate fuiſſent* C *humata, comperiſſet; curialiter cum paucis Clericis ad locum tendens, oſſa, quæ habere potuit, colligens, in Eccleſia Sancti Dionyſij humauit.*

VII. Sed quid Amanuenſis item ille viciſsim ad hæc? Qua pagina hæc ipſa continebantur, in eiuſdem profectò margine inferiori talia ille adiecit: *Verſus ſuper Sepulchro Beati Arialdi.*

*Martyr Leuita iacet hac Arialdus in vrna.*
*Truncatus moritur; ſed vita dona meretur,*
*Hoc Mauſolæo reuerenter condita digno.*
*Hijs geminis cauſis Arialdus paſſus ab iſtis,* D
*Martyr in Eccleſia Leuita reconditur iſta.*
*Tranſtulit Anſelmus Paſtor venerabile Corpus.*
*Sanctos Theſauros venerare per omnia charos,*
*Hos Pugiles Chriſti, Gens inclyta Mediolani,*
*De cuius Sancti ſunt iſti ſanguine nati.*

Sed & de tribus hiſce verſibus poſtremis hæc itidem ille adiecit: *Iſti tres verſus loquuntur de Arialdo & Herlembaldo.* Quod tamen

men Epitaphium illud recitabatur ex ijs verbis, *Martyr Leuita*; A
ego ſecundùm Proſodiæ Regulas recitandum ex his potiùs arbitrarer: *Leuita & Martyr &c.*

VIII. Proceſſerat Landulphus eiuſdem Libri tertij Capite vltimo, atque etiam de Herlembaldo (poſteaquàm ſcilicet aſſeclas ille ſuos ad prælium diſpoſuiſſet: ac poſteaquàm, ſuos item aduerſarios ſemet ad pugnam præparaſſe, contraquàm ille cæteroqui opinabatur, audiuiſſet) ita ſcripſerat: *Hoc audiens Herlembaldus, loricam admirabilem indutus, equum aſcendens feriendum* (legendum potiùs videtur *ferociſsimum*) *ac ipſe manu vexillum tenens, cum paucis armatis, & Leoprando Sacerdote (qui & ipſe Crucem manu* B
*geſtabat propria, non vt bellum ſedaret, ſed vt bellantes ſuos potiùs incitaret, hoſtibus & ipſe hoſtis) exiliens, ac barba è lorica extracta, vt terrori magis foret, ſeſe dedit. Cùm autem hic primus, ſuis non expectatis armatis, & ſigno dato, perplurimùm ſuis confidens viribus, maximè quia antea è Ciuitate illos fugauerat, bellum initians, lanceis & enſibus perfoſſus primus & inter primos cecidit.* Iuxta quam poſtremam periodum ſic in margine habetur: *Occiditur Herlembaldus ab Arnaldo de Raude, vt alibi reperitur.*

IX. Quod vtique additamentum ita eſt prædicti Amanuenſis, ſicut & hoc alterum, quod ibidem ſubſequitur: *Verſus ſuper Sepulchro Herlembaldi in Sancto Dionyſio: quem Sanctorum Martyrum Catalogo annotauit Vrbanus Secundus, qui cum Arnulpho Archiepiſcopo Mediolani Corpus eius tumulauit Milleſimo nonageſimo primo* (qua de re nos item diſſeremus Libro 4. Cap. 79.) *quia ipſe Herlembaldus, Vexillifer Eccleſiæ ac Tutor, ab aduerſarijs ratione Eccleſiæ occiſus eſt.* C

*Hic Herlembaldus, Miles Chriſti reuerendus,*
*Occiſus tegitur, qui Cæli ſede potitur.*
*Inceſtus reprobat, ſimonias & quia damnat;*
*Hunc Veneris ſerui perimunt, Simoniſquè maligni.* D
*Vrbanus, Summus Præſul, dictuſquè Secundus,*
*Noſter & Arnulphus, Paſtor pius atque benignus,*
*Huius membra Viri tumulant translata Beati.*

X. Hæc igitur illa ſunt, quæ prædicto è Codice atque prædicto ex Amanuenſi nunc mihi pro præſenti cauſa videbantur opportuna; niſi fortè illud etiam ſuperaddere velimus, quod idem Amanuenſis poſtremum illud Libri tertij Caput, perinde ac ſi, non ex Landulphi,

dulphi, Arialdo infenſiſſimi ac mendacis, textu, ſed ex ſuis ipſius A
adnotamentis metiendam vniceque colligendam eſſe narrationis eius veritatem, ſignificare vellet, ſic inſcripſit: *Qualiter Arialdus à perfidis martyrio coronatur*; cùm alioqui Caput illud in altero eiuſdem Capituli Metropolitani Codice, pariter manuſcripto ac pergameno, ſed ijs tamen additamentis carente, hanc ſolummodò præferat inſcriptionem, *De morte A.* hoc eſt, *Arialdi*.

XI. Eadem porrò ſuperiora duo Epitaphia deinde à Gualuaneo etiam Flamma, & ex Chronica quadam Kalendaria, itemquè ex altera Leonis, vt ſuo mox tempore in hoc ipſo Libro videbimus, ita recitata fuerunt, vt non aliud obſeruatione nobis dignum videatur, B quàm hoc; quòd illic primi duo prioris Epitaphij verſus ſeparatim adſcripti fuerunt San-Dionyſiani Chori pauimento, reliqui autem ipſiuſmet Arialdi tumulo, in eadem illa Eccleſia exiſtenti.

XII. Sed alterum etiam ſuppetit eiuſdem Arialdi Epitaphium: idquè ab eruditiſſimo illo Ciue noſtro & Antiquitatum inueſtigatore ſolertiſſimo, Andrea Alciato, è tenebris erutum in lucem. Illud autem mihi non ante innotuerat, quàm legiſſem manuſcriptum Codicem, humaniſſimè ab Aloyſio Eccleſia, Vrbis noſtræ olim Secretario meritiſſimo, perpetuaquè digno memoria, commodatum, cuius hoc erat argumentum: *De Archiepiſcopis Mediolani, à Sancto Barnaba vſque ad Ioannem Arcimboldum: quibus addita ſunt quadam ex collectis per N. Fontanam*. Qui quidem C Fontana mihi non alius videtur ab eo, quem Carolus Sigonius commendabat in fine priorum Quindecim *De Regno Italiæ* Librorum; quos, eruditiſsimo cuique iam probatos, ac propterea ſemel iterumquè typis iam in Italia Gallia & Germania mandatos, ille rurſùm edidit Bononiæ Anno Domini Milleſimo quingenteſimo-octuageſimo, multarum præterea rerum ac nominatim etiam copioſiſſimi recenter Indicis acceſsione adauctos. Illic enim poſt Rerum ac Verborum memorabilium Indicem, Scriptorum pariter enumerauit Monumenta, è quibus ſuam illucuſque Hiſtoriam excerpſerat. Subinde verò illos itidem recenſens D Viros, qui ad ea conquirenda colligendaquè ſuam præſtitiſſent auctoritatem, ſtudium, & operam; Ioannem Baptiſtam quoque Fontanam penultimo loco gratus commemorat his verbis: *Ioannes Baptiſta Fontana, Mediolanenſis: qui nuper magno Hiſtoriarum detrimento eſt mortuus*. Quale profectò detrimentum Notæ itidem

illæ,

illæ, prædicto Archiepiſcoporum noſtrorum Catalogo adiectæ, luculenter commonſtrant; vſqueadeò eruditæ illæ ſunt, Collectoremquè ſapiunt hominem in Hiſtoria verſatiſsimum. A

XIII. Fontana igitur ſuis illic ad Archiepiſcopum Guidonem de Velate Adnotationibus hanc quoque intexuit: *Ex Andrea Alciati Antiquario: Sub hoc Guidone de Velate, Valuaſſorio, Archiepiſcopo, Arialdi ex Alciata Gente ſepulchrum. Cuius Conciones, diſputationes, necem, miracula Arnulphus Hiſtoricus Mediolanenſis ſcripſit. Fuit ex Oppido Carimato, vel, vt alij volunt, Cuſſiaco. Relatus eſt inter Diuos ab Alexandro Secundo. Sepultus in Diui Dionyſij, tumulo marmoreo. Sed Milleſimo quingenteſimo-octauo à Ludouico Duodecimo, Francorum Rege, Pariſios pro Corpore Sancti Dionyſij translatus eſt.* B

ARIALDO DIACONO.

*Qui, nemo vt meliùs, diuini myſtica verbi*
*Tradidit, & Populi ſolus in ore fuit:*
*Qui lapſos mores, diſciplinamquè cadentem,*
*Et Thiaſi errores corrigere auſus erat:*
*Hic Arialdus adeſt. Heu noxia vita nocentum?*
*Quæ cenſorem vllum ferre ſceleſta nequit.*
*Clam raptum, appenſumquè mola proiecit in vndas* C
*Verbani, vt rapidis piſcibus eſca foret;*
*Deinde ſed inuentum, atque illæſo corpore, Templis*
*Eſt dignata nouo Martyre poſteritas.*
*Paſſus eſt III. Cal. Iulias*
*MLXVI.*

Hæc ibi Fontana ex Alciati Antiquario.

XIV. Hoc ipſum tamen eius Antiquarium mihi ad manus integrum non accidit; ſed ne propterea quidem ipſiſmet fraudabimur Alciati verbis, quibus hoc ipſum Epitaphium fuit explicatum, & aliquantò dilucidiùs, quàm fecerat Fontana. In Ambroſiana enim Bibliotheca inter Inſcriptiones Alciati recentiores ego tres circa medium inueni, quibus ita prænotatum erat: *Copiato dal Libro delle Inſcrittioni di Milano, che và attorno ſotto titolo dell' Alciato. La Parte, che contiene quelle della Città, è di charte* 165, *La del Milaneſe charte* 101. *L'Appendice charte* x1. Et mox: *Trè Epitaffij con le ſue dichiarationi, cauate dall'vltime charte della Prima Parte del Libro, doue vengono regiſtrate venti Inſcrittioni di* D

*Perſone*

*Perſonæ Sacræ*. Primum igitur eiuſmodi Epitaphium, & è char- A
ta 158. eſt de Sancto Aurelio, Rediciaenſi Epiſcopo; qui cum
Sancto Archiepiſcopo noſtro Dionyſio in eiuſdem Dionyſij Ec-
cleſia ſepultus fuit, & vnà cum ipſo tandem Anno Milleſimo
quingenteſimo-trigeſimo-octauo, Calendis Martij, ad Metropo-
litanam Baſilicam translatus; ſicut ego quoque nuper in Sancti
Archiepiſcopi noſtri Laurentij Littæ Vita, Capite vltimo, Num.
penultimo recolebam è Franciſci Caſtelli Collectaneis, quorum
exemplar in Ambroſiana quoque Bibliotheca cuſtoditur. Se-
cundum, & è charta 152., eſt illud, quod proximè de Sancto
Arialdo recitauimus. Tertium, & è charta 161., eſt de Manlia B
Dædalia, quod item à me recitatum fuit Numero 19. in Ambro-
ſianæ Baſilicæ ac Monaſterij Monumentis. Quod igitur ad ſe-
cundum illud attinet; his illud verbis Alciatus affirmatur inter-
pretatus: *Arialdi Conciones, diſputationes, necem, miracula Arnul-
phus, Hiſtoricus noſter, memoriæ hominum commendauit: idquè adeò
diligenter, vt omnem mihi de eo ſcribendi anſam præripuerit (quod
alioquin facturus eram) vtpote Gentilitiam Hiſtoriam editurus.
Habeo enim Auctores, ex Alciata familia, Oppido tamen Carima-
to, vel, vt alij volunt, Cucciaco, oriundum eſſe.* Relatus *inter Di-
uos eſt Alexandri Secundi Pontificis decreto: iacuitquè per quingen-* C
*tos ferme annos in Diui Dionyſij, Epiſcopi noſtri, ſubterranea Ædi-
cula, tumulo marmoreo, donec Anno Milleſimo quingenteſimo-octauo
à Ludouico Duodecimo, Francorum Rege, Lutetiam Pariſiorum
translatus, exiſtimante, non Arialdum, ſed Dionyſium ſe auferre.
Adeò Pariſijs hominibus placent Dionyſij, vt vndique gentium ad ſe
etiam Pſeudodionyſios trahant, & Areopagitam quoque ſibi præfuiſ-
ſe comminiſcantur. Sanè Thiaſus hîc prò Sacerdotum Choro acci-
pitur, ſeu, vt vulgò dicimus, Clero.* Hæc igitur ipſiſſima erant Al-
ciati verba: eademquè nobis ad præſentem cauſam magis op-
portuna, quàm quæ contractiùs inde à Fontana recitabantur. D
Quæ tamen ille de Arnulpho Hiſtorico noſtro affirmabat, eorum
diſcuſsionem in Libri Tertij Præfatione mihi nunc reſeruo fa-
ciendam. Certè autem in eo fallitur, quod Arialdum dicebat
eo tempore translatum Lutetiam Pariſiorum. Sed hoc etiam in-
fra refelletur. Vtrùm autem Pariſienſibus Areopagita verè præ-
fuerit, an ſecùs, nihil profectò nobis eſt cauſæ, cur in præſenti
laboremus; ac ne ope quidem noſtra Pariſienſes ipſi egent. Quid,
quòd

quòd etiam illis Eccleſia Mediolanenſis vltrò patrocinatur nona A
Octobris die in Matutina Breuiarij noſtri Lectione?

## CAPVT III.

*Teſtimonium Catalogi Archiepiſcoporum Mediolanenſium, Anno Domini 1318. collecti.*

I. Catalogus hic in Ambroſiana cuſtoditur Bibliotheca, manuſcripto inſitus Codici, quem Michael Pizolpaſſus Anno Domini 1438. pereleganter exſcribendum curauit, vt eum Archiepiſcopo B
Franciſco Pizolpaſſo munificus traderet: atque hanc in fronte inſcriptionem habet: *Excerpta ex vetuſtiſſima Chronica, reperta apud quemdam nobilem de Lampugnano, de Legnano; Mediolanenſis Eccleſiæ.* A Sancto autem Barnaba pertingit vſque ad Aychardum Archiepiſcopum; Anno Domini 1318. creatum: quo item Anno Auctor eundem à ſe collectum aſſerit Catalogum.

II. Ille igitur in Guidone de Velate, Archiepiſcopo Septuageſimo-ſecundo, ſic ſcribebat: *Iſto tempore paſſus eſt Beatus Arialdus,*
*Martyr & Leuita, ſcilicet Milleſimo ſexageſimo-ſexto. Iacet in* C
*corpore Eccleſiæ Sancti Dionyſij. Beatus quoque Heribaldus* (nobis Herlembaldus) *Miles, qui amaſias & filios Sacerdotum perſequebatur; ab ipſis in lacum proijcitur* (qua tamen in re ille aberrat; ſicut & Capite ſubſequenti aberrantem videbimus Gualuaneum Flammam) *per aquilam demonſtratur, per Vrbanum Papam Secundum ſepelitur ad Sanctum Dionyſium. Eius Paſſio ibidem depicta eſt in nauello, murato in pariete.*

## CAPVT IIII.

*Gualuanei Flammæ teſtimonium, Anno 1330.* D

I. Gualuaneus hic, cognomento Flamma, Religioſus fuit ex Ordine Sacro Prædicatorum, & in Euſtorgiano Vrbis huius Conuentu: florebatque Anno Domini Milleſimo trecenteſimo-trigeſimo. Mediolanenſibus verò de Rebus Hiſtorica ſcripſit multa; quæ tamen typis adhuc

inedita ſunt, quæquè manuſcripta conſeruantur in Bibliotheca A
præſertim Ambroſiana, & apud filios Viri Clariſſimi, Aloyſij ab Eccleſia, Vrbi noſtræ à Secretis, & binos tantùm ab hinc annos defuncti.

II. Eadem in Bibliotheca ingens nominatim extat Volumen, quod ego Chronicum Maius appellare ſoleo; in quo tamen alia quædam Opera, nimirùm Politia Nouella, Chronica Extrauagans, & Azonis Vicecomitis Geſta, continentur; quæ quidem Opera proprijs etiam nominibus ego itidem appellare ſoleo; ſi quando teſtimonia ex ipſis depromi oporteat.

III. In eo igitur Chronico Gualuaneus à Capite 764. vſquè ad 785. B
multa narrat de Arialdo & Herlembaldo (quem ipſe vocat Hernebaldum) eorum ſpirantia ſanctitatem; ſed ego in præſenti bina tantùm Capita ſeligam.

IV. De Sancto itaque Arialdo ſic ille ſcribebat Capite 784. *Chronica Kalendaria dicit, quod paſſus eſt Beatus Arialdus, Leuita & Martyr, Anno Chriſti Milleſimo ſexageſimo-ſexto, quinto Kalendas Iunij* (ſed legendum eſt *Iulij*) *Cuius corpus cùm inde fuiſſet eiectum, & in ripa Ticini proiectum; vox Angeli in aere inſonuit, dicens: Currite veri Chriſtiani, currite, ad ripam Ticini; quia Sanctus noſter Arialdus aduenit. Tunc currentes Sacerdotes cum ſtolis, & mira-* C
*bili ſolemnitate, vt Martyrem Sanctiſſimum in Monaſterio Sancti Celſi ſepeliuerunt. Cuius oſſa Anſelmus Quartus, Archiepiſcopus Mediolanenſis, ad Eccleſiam Sancti Dionyſij tranſtulit. In cuius tumulo ſculpti fuerunt iſti Verſus:*

*Hoc Mauſolæo reuerenter condita digno,*
*His geminis cauſis Arialdus paſſus ab iſtis,*
*Martyr in Eccleſia Leuita reconditur iſta.*
*Tranſtulit Anſelmus Paſtor venerabile corpus.*
*Sanctos Theſauros venerare per omnia charos,*
*Hos Pugiles Chriſti, Gens inclyta Mediolani,* D
*De cuius Sancti ſunt iſti ſanguine nati.*

*Et in pauimento Chori Sancti Dionyſij ſunt ſcripti iſti Verſus ad honorem Beati Arialdi Martyris:*

*Martyr & Leuita iacet hic Arialdus in vrna.*
*Truncatus moritur, ſed vita dona meretur.*

*Hæc omnia ſupradicta habentur ex Chronica Kalendaria.*

V. Subinde autem Capite 785. *De Hernebaldo Cotta dicit Chronica Leonis,*

*nis, quòd fuit Sanctus, & inter Martyres connumeratur: qui paſſus* A
*eſt mortem propter iuſtitiam; eo quòd ſemper Sacerdotes Simoniacos, & Clericos vxoratos, quos Eccleſia condemnauerat, conſtanter fuerit perſecutus vſque ad mortem. Cuius Corpus Sacerdotes vxorati in quodam lacu ſubmerſerunt* (hîc tamen & deinceps Auctor ille Herlembaldum perperàm confundit cum Arialdo) *Cùm autem ipſo Anno Alexander Papa, de Alemania rediens, veniſſet Mediolanum; audita morte Hernebaldi, amici ſui, quamplurimùm doluit; & Corpus eius diligenter perquiri fecit. Quod cùm non inueniretur; aquila mirabilis de cælo deſcendit, & ſuper locum, vbi eius Corpus fuerat ſubmerſum, volitauit; & ſic inuentum fuit: Quod Alexander Papa in* B
*Eccleſia Sancti Dionyſij recondidit* (hic vtique redit ad Herlembaldum, ante cuius tamen obitum iampridem obierat Alexander ipſe Pontifex) *in nauello murato in pariete, vbi eius Paſſio depicta eſt: Vbi ſunt iſti Verſus:*

*Hic Hernebaldus, Miles Chriſti reuerendus,*
*Occiſus tegitur: qui Cæli ſede potitur.*
*Inceſtus reprobat, ſimonias & quia damnat;*
*Hunc Veneris ſerui perimunt, Simoniſquè maligni.*
*Vrbanus, Summus Præſul, dictuſquè Secundus,*
*Noſter & Arnulphus, Paſtor pius atque benignus,* C
*Huius oſſa Viri tumulant tranſlata Beati.*

*Vbi nota, quòd Alexander eum ſepeliuit in Monaſterio Sancti Dionyſij; ſed Vrbanus Papa de Criuellis tranſtulit.* Hæc igitur eo Capite Gualuaneus de Herlembaldo è Chronica Leonis.

VI. Quamobrem vnà cum Gualuaneo duos alios habemus ſanctimoniæ, qua Arialdus & Herlembaldus floruerunt, Teſtes: hoc eſt, Auctorem Chronicæ illius Kalendariæ, itemquè Leonem illum, alterius Chronicæ Auctorem.

VII. Sed ne prætermittendus quidem nobis hîc eſt ipſemet etiam Gualuaneus in Opuſculo, inſcripto *Infraſcripta Sanctorum Corpora iacent in Ciuitate Mediolani, & Comitatu, & Diſtrictu*: quod D
vtique aſſeruatur apud filios Aloyſij ab Eccleſia: quodquè conſitum eſt Volumini, cuius in fronte ſeſe primum titulus hic offert, *De Archiepiſcopis, & alijs Memorabilibus Eccleſiæ Mediolanenſis.* In eo enim Opuſculo ſic etiam ille ſcriptum reliquit: *Feſtum Sancti Arialdi, Leuitæ & Martyris, die 28. Iunij. Iacet ad Sanctum Dionyſium.* Quod propterea teſtimonium, non tam Gual-

A nanei, quàm totius Eccleſiæ fuiſſe Mediolanenſis videtur; qua A nimirùm iubente, vel ſaltem annuente, feſtum illud celebraretur; qualecumque tandem illud fuiſſe interpretemur.

## *C A P V T V.*

*Teſtimonium Calendarij Ambroſiani. Anno* 1381. *conſcripti.*

I. CAlendarium mihi eſt Ambroſianum, Anno Domini Milleſimo trecenteſimo octuageſimo-primo in charta pergamena conſcriptum, & in fine B collocatum Codicis, manuſcripti pariter ac Ambroſiani, ab initio complectentis Epiſtolas, in Miſſis per totum Annum recitandas.

II. Illud autem vigeſima-octaua Iunij die ſic habet: *Sancti Arialdi, Leuitæ & Martyris. Iacet ad Sanctum Dionixium.*

## *C A P V T VI.*

*Teſtimonium Chronici* FlosFlorum, *compoſiti Anno Domini* 1399.

I. HOC ipſum Chronicum Anno Domini compoſitum fuiſſe Milleſimo trecenteſimo nonageſimo-nono: id apertè conſtat ex eius fol. 147. pag. 2. quo etiam ex loco præmiſſa fuit in fronte Operis admonitio ad Lectorem. Eiuſdem verò Chronici exemplar non ego alterum adhuc legi, quàm quod à filijs Aloyſij Eccleſiæ poſſidetur.

II. Ecce verò nobis, quemadmodùm hic Auctor folio 131. pag. 2. per omnia conſentiat cum eo Archiepiſcoporum noſtrorum Catalogo, quem produximus Capite 3. & cum Leonis Chronico, cuius D fidei Gualuaneus etiam Flamma nitebatur. In Guidone ſiquidem Archiepiſcopo Septuageſimo-ſecundo ſimiliter hæc habet: *Iſto tempore paſſus eſt Beatus Arialdus, Martyr & Leuita. Iacet in corpore* (ſupple *Eccleſia*) *Sancti Dionyſij. Beatus quoque Herlembaldus, Miles, qui amaſias Sacerdotum perſequebatur, ab Herlembaldo de Raude occiditur, & à Sacerdotibus vxoratis in lacum projicitur; qui per aquilam demonſtratur, & per Vrbanum Secundum*

*Papam*

*Papam in Eccleſia Sancti Dionyſij ſepelitur, in nauello, in pariete,* A
*vbi eius Paſſio depicta eſt.*

## *CAPVT VII.*

*Teſtimonium Petri Azarij, Annalium Mediolanenſium Scriptoris, ab initio Vrbis vſque ad Annum Chriſti* 1402.

I. MAnuſcripti tantummodò ſunt hi etiam Annales. Commodati autem iamdudùm mihi fuerunt (ſicut etiam in Ambroſianæ Baſilicæ ac Monaſ- B
terij Monumentis Num. 239. profitebar) ab vltroneo illo ſtudiorum meorum fautore, in omne tempus gloriando, Domno Matthæo Valerio, Carthuſiæ Papienſis Monacho, multóſque per annos non tantùm Procuratore verùm etiam Priore meritiſſimo: cuius etiam præſertim conſilio & hortatu & adiumento, vt planiùs etiam infra innoteſcet, ego tandem nunc exequor præſentem de Sanctis Arialdo & Herlembaldo lucubrationem. Vtinam verò ſuperſtes adhuc ille eſſet; ſicut eſt adhuc alter ille Vir Clariſsimus, & erga me pariter humaniſſimus, à quo Annales illos ipſe acceperat, De- C
fendens videlicet à Lauda, Cathedralis Eccleſiæ Laudenſis Canonicus, & inter præcipua eius Eccleſiæ Vrbiſquè decora iure merito propter pietatem non minùs quàm eruditionem computandus, atque in omnem celebrandus poſteritatem. Atqui Deus illum ſibi ad beatam, vt ſpero, vitam repetijt ex Anni Milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimi-quinti vigeſima-nona Decembris die, cùm quartum & ſexageſimum ætatis ſuæ annum ageret, quotum ego quoque meæ nunc ago. Quocirca hóc ſaltem interim ſoleo me conſolari, quòd eumdem pariter è Cæleſti Aula D
ſperare mihi poſſe videar vnà cum Sanctis illis Martyribus fautorem, ac proptereà magis etiam proficuum. Per hanc profectò ſpem illis ego me identidem commendo.

II. Vt autem paulò nunc meliùs Annalium illorum Auctorem cognoſcamus, ipſe quidem ad Annum Chriſti 1355. ſemetipſum affirmabat eodem Anno vnà cum Leone de Muriculis, à Matthæo Vicecomite, Matthæi Magni Nepote, Vicario Imperiali, & Mediolani Domino, in locum Archiepiſcopi Ioannis Vicecomitis, Anno

ſuperiore

ſuperiore defuncti, ſubſtituto, miſſum ad hoc, vt ipſi ambo Mili- A
tiam reformarent, indequè ſumptus minuerentur. Sed & præterea ipſe ad Annum poſtea 1389. hæc ſcripſit: *Eodem Anno fuit Eclipſis ſolis taliter, quòd hora tertiarum fuit neceſſe accendere luminaria in domibus magnis, in Caſtro & in Aula Ducis Mediolani, & iterùm in locis Religioſorum:* ET HOC VIDI EGO IN MEDIOLANO. Cùm verò ſuos Annales vſque ad Annum 1402. proſecutus fuerit; hinc etiam intelligi profectò datur, eum ad ætatem ſatis prouectam perueniſſe.

III. Videamus nunc, quæ Petrus hic Azarius pro nobis in præſenti cauſa teſtetur. Sicut ego in Ambroſianæ Baſilicæ ac Monaſterij Monu- B
mentis Num. 277. paulò explicatiùs indicabam; itemquè Libro 4. præſentis Operis commonſtrabo, Henricus nimirùm, Germaniæ Rex, & Imperatoris olim Henrici Secundi filius, accepta ingenti pecuniæ ſumma Gothifredum Caſtellionæum ſimoniacè præfecerat Eccleſiæ Mediolanenſi, eumquè pertinaciter etiam poſtea fouere non deſiſtebat, etiamſi Sedes Apoſtolica Romana eidem huic Eccleſiæ Athonem demùm præfeciſſet. Quocirca etiam idem Gothifredus vnà cum reliquis omnibus ſibi conſentientibus excommunicatus in Romana iam Synodo fuerat. Cùm igitur Gothifredus propterea non admitteretur ad Archiepiſco- C
patum; Henricus ei alterum, nempe Theobaldum, alijs Thealdum, cognatione pariter Caſtellionæum, ſubſtituit, nihil de Sede curans Apoſtolica, cui pariter ac Athoni, ab ea in Archiepiſcopum dato, ac propterea legitimo, Herlembaldus Cotta cum ſuis aſſeclis catholicè fauebat. Cùm præterea ſubſtitutionis eius nuncium fuiſſet allatum ad Nobiles, Henriciano ei ſchiſmati adhærentes, & paulò ante ab Herlembaldo in exilium ex hac Vrbe pulſos (ſic enim huic Auctori viſum eſt; à quo tamen nos in Libro 4. diſſentiemus) tum verò tumultus illicò ſubortus eſt ille, qui necem attulit Herlembaldo, quemquè Azarius his in ea tempora D
verbis recenſuit: *Audientes Nobiles Milites, de Mediolano proſcripti, bona noua de dato ſibi Archiepiſcopo* (Thealdo de Caſtiliono, ſicut eum Azarius nominabat) *qui erat ex parte Nobilium, confortati ſunt valde: & congregantes amicos ex omnibus partibus Ciuitatis Mediolani, ipſam Ciuitatem ſunt aggreſſi. Quod ſentiens Herlembaldus Cotta, Dominus Populi, primus exiuit obuiam inimicis. Cui occurrit in campo Herlembaldus* (alijs Arnaldus) *de Raude,*

*Miles*

*Miles proſcriptus, atque ipſum de equo deiecit, & decapitauit*. ET A
SIC IN SANCTA CONFESSIONE MORIENS SEPVLTVS FVIT IN ECCLESIA SANCTORVM PROTASII AVRELII INTER MARTYRES, *id eſt, Sancti Dionyſij. Ipſe enim Simoniacos Sacerdotes & vxurarios* ( legendum eſt *vxoratos* ) *ſemper fuit perſecutus*. CVI FVIT SEMPER SOCIVS ET AVXILIATOR BEATVS ARIALDVS, *qui natus fuerat ex Nobilibus Ciuibus de Carimate*.

## *CAPVT VIII.*

B

### *Teſtimonium Libri, Anno* 1481. *conſcripti*.

I. MEus eſt hic Liber, & in charta communi: eoquè ſe conſcriptum Anno prodit folio 27. pag. 2. & huius eſt argumenti : *De Indulgentijs, quæ conceſſæ ſunt Mediolani Eccleſijs : Dequè Corporibus Sanctorum, in eadem Vrbe atque ipſius Diœceſi quieſcentibus*.

II. Folio autem 16. pag. 2. ſic habet : *In Sancto Dionyſio, Sanctus Dionyſius, Sanctus Arioldus* ( quo citra dubium non alius ſignificatur, C
quàm noſter *Arialdus* ) *Sanctus Aurilius* : & hic pariter abſque dubio idem ac *Aurelius*.

## *CAPVT IX.*

### *Bernardini Corij, Mediolanenſis Hiſtoriographi, teſtimonium, Anno* 1500.

I. TAM notus communiter iam eſt Bernardinus noſter Corius, eiuſquè Hiſtoria Mediolanenſis, vt D
ſuperuacaneum nobis planè ſit hoc loco aliud præfari; quàm quòd ea per Auctorem ſuum protracta fuit vſque ad Annum Chriſti quingenteſimum ſupra Milleſimum, quo etiam ſcribebatur; quòdquè Anno poſtea Sæculi eiuſdem tertio typis primùm edita Mediolanenſibus fuit; Annoquè rurſus ſexageſimo-quinto Venetijs recuſa, & in eum prorſus modum, quo proximè à Thoma

ma Porcacchio fuerat in Italicam Linguam reformata. A
II. Poſteriorem igitur hanc editionem nunc ego ſequor. In qua quidem Corius, pagina 12. poſteaquàm vaniſſimum illud memoraſſet commentum, quo Sanctus Ambroſius ab ipſo credebàtur ſuis permiſiſſe Sacerdotibus, vt virgini nubere ſemel poſſent, hæc adiecit: *Mà poi in ſucceſſo di tempo da Aleſſandro Terzo* (veriùs Secundo) *Pontefice fù ordinato, che alcun Sacerdote ò Cherico non toglieſſe moglie: e queſto ancora fù approuato dal Sacro Concilio, ſoggiugnendo, che in perpetuo oſſeruaſſero caſtità. Per la qual coſa poi nell'Anno mille ſeſſantadue* (quo tamen in Anno ille fallebatur)
*Enribaldo Cotta, volendo perſeguitar' i Cherici maritati; da eſſi fù* B
*crudelmente morto. Onde, come ſcriue Leone ne' ſuoi Annali* (Leo nimirùm ille, cuius mentionem nobis etiam faciebat Gualuaneus Flamma ſuperiore Capite 4. Num. 5.) *eſſendo tenuto per Martire; dalla Republica fù con ſomma reuerentia fatto ſepellire nel Tempio dedicato à San Dionigi, in vna caſſa circondata di lame di ferro.*

## CAPUT X.

*Teſtimonium Libri, typis impreſſi Anno 1515.* C

I. LOmbardo illo idiomate, quod tunc temporis in vſu noſtris Mediolanenſibus communi erat, contextus eſt hic Liber; nec idioma illud ego in præſenti contemnam, tametſi delicatulis faſtidio etiam eſſe fortaſſe poſſit.

II. Sic autem ille inſcriptus eſt: *Tractato vtiliſſimo ale anime deuote, ciò è, de le Indulgentie, & Corpi Sancti, che ſono ne le Gieſie de la Citade de Milano: etiam in alcuni altri lochi, che ſono*
*nel Comitato de la dicta Citade: como ſi troua per antiqui Regiſtri,* D
*& Priuilegij autentici.*

III. Cùm verò ventum eſt ad faciendam Sacrarum mentionem Reliquiarum, in Baſilica San-Dionyſiana quieſcentium, his ex verbis enumerantur: *Sancto Dioniſio, Archiepiſcopo de Milano Vndecimo, ſecie anni ventiquattro: Sancto Arioldo, Leuita & Martire, Sancto Erembaldo, Martire, cum lo ſuo Magiſtro de Schola, e dui Compagni; & ſi troua in le Chroniche, che queſti dui Martiri, con-*

ſentitino

*ſentitino al Conſilio del Santiſſimo Papa Caliſto (*legendum videtur A
*Aleſſandro) quando fu deliberato, che li Presbiteri non habeſeno più mogliere: Sancto Aurelio Episcopo, il quale iace in lo Altare mazore de Sancto Dioniſio: Sancto Cantiano con dui Compagni Martiri: li ſepti Machabei, ſono adi primo de Auguſto: Sancta Felicità, matre de li Machabei: Sancto Cornelio e Sancto Cipriano, Pontifici & Martiri: Sancto Lucifer: Sancto Alberto: Sancta Euleria: Sancto Arnoldo. Anchora in lo Altare de Sancto Iohanne Baptiſta li è riposto l'oſſo de la barba ſua, che mandò Sancto Petro Apoſtolo à Sancto Barnaba, con granda Indulgentia, come ſi troua in vna Cronica. Anchora in lo Altare de la Sancta Trinità vi è innumerabile Reliquie, & notabile: & ſono ſcripte appreſſo à li Monici* B
(quippe tunc in San-Dionyſiano illo Monaſterio Monachi degebant) *con granda Indulgentia. Anchora ſono altri Corpi Sancti, & Reliquie, che non ſon quà ſcripte.* Talia igitur ad verbum Codex ille habet de Sacris Reliquijs, in ea Baſilica tunc temporis quieſcentibus.

IV. In eamdem porrò de Arialdo & Herlembaldo ſententiam conſentit etiam alter eiuſdem argumenti Liber, typis itidem Mediolanenſibus impreſſus à Ioanne Antonio *da Borgo sù l' Corſo di Porta Toſa*: qui tamen impreſſionis Annum non addidit; ſed ego nihilominus eam ſaltem Anno Chriſti 1538. poſteriorem fuiſſe colligo C
ex ijs, quæ mox inde recitabimus de Sanctorum Dionyſij & Aurelij Corporibus, ad Baſilicam Metropolitanam translatis; ad quam vtique illa certum eſt translata fuiſſe Anno Domini 1538. vt etiam ſuperioris Capitis 2. Numero 14. videbamus. Ipſamet ergo Libri etiam huius verba ſunt huiuſmodi: *Molte Reliquie ſono nella Chieſa di San Dioniſio. Prima* SANT' ARIOLDO, LEVITA ET MARTIRE: SANT' EREMBALDO MARTIRE, *con il ſuo Maeſtro da Scuola, & duoi ſuoi Compagni, tutti Martiri:* D
*i ſette Macabei, con la lor' matre, Santa Felicità, tutti Martiri: i Santi Cornelio & Cipriano, Pontefici & Martiri: San Luciſero, Martire: Sant' Alberto, Confeſſore: Sant' Eularia, Vergine & Martire: Sant' Arnoldo Confeſſore. In l'Altare di San Giouan Battiſta gli è l'oſſo della barba ſua, il quale mandò San Pietro Apoſtolo à San Barnaba, come ſi troua in vna Cronica. Ancora in l'Altare della Trinità vi ſono molte Reliquie, che non ſono quà ſcritte, come ſi ritroua in li ſuoi Libri.* ERAVI ANCORA IL CORPO DI

SAN DIONISIO, ARCIVESCOVO DI MELANO: ET IL A
CORPO DI SANT AVRELIO, SIMILMENTE ARCIVES-
COVO DI MELANO (verè tamen hic non fuit Archiepiſco-
pus noſter, ſed Epiſcopus Redicianenſis; vt conſtat è matutina
etiam de ipſo Lectione in Breuiario Ambroſiano, ad nonam No-
uembris diem) *& i Corpi de Santi Martiri Cantiano & Cantia-
nilla; mà nel tempo delle guerre, che la Chieſa* (eiuſdem nimirùm
Sancti Dionyſij) *era ruinata, furono transportati alla Chieſa Mag-
giore, ciò è, al Duomo; & ſono poſti doppo l'Altare Maggiore, ap-
preſſo al monumento di San Galdino*. Eiuſmodi verò Sacrorum
Corporum translationis facta ſimiliter iam erat mentio ſuperiùs, B
cùm Sacra Baſilicæ Metropolitanæ Corpora numerarentur.

## *CAPVT XI.*

*Teſtimonium Iſidori de Iſolanis, ex Ordine Prædicatorum, Anno* 1518.

I. MEdiolanenſis erat hic Religioſus, & Sacræ Theolo-
giæ Profeſſor: Annoquè Chriſti Milleſimo quin-
genteſimo decimo-octauo bina nobis reliquit
pietatis & eruditionis ſuæ monumenta. Etenim C
Beatæ Virginis Veronicæ, in Mediolanenſi no-
biliſſimoquè Sanctæ Marthæ Monaſterio Mo-
nialis, Vitam, Latinè conſcriptam, edidit typis tertio Aprilis die;
deinde autem ſecundo Maij publicè *De Laudibus Vrbis Mediolani*
recitauit Orationem, quam denique typis imprimendam cura-
uit Anno Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo-nono Ioannes Baptiſ-
ta Bidellus, Bibliopola in hac Vrbe celeberrimus.

II. Ex hac igitur Oratione mihi liceat in præſenti hoc ſaltem vnum
depromere, quod ille pagina 18. cùm Martyrum ac Sanctorum
Mediolani Archipræſulum nomina recenſeret, quàm liberrimè D
fidentiſſimequè pronunciauit: HEREMBALDVS (videlicet)
EX FAMILIA COTTARVM MARTYR CREDITVR.

## CAPVT XII. A

*Andreæ Alciati teſtimonium circiter Annum Chriſti* 1530.

I. CVR eius teſtimonium inſeram hoc loco, ſatis erit, ſi dixero, quod certiſſimum eſt: eum videlicet Anno Dominicæ Natiuitatis quinquageſimo ſupra Milleſimum quingenteſimum, ſuæ autem quinquageſimo-octauo, ex hac mortali migraſſe vita. Qualis autem quantuſquè Vir ille cæteroqui fuerit, ſuperuacaneum prorsùs mihi eſt in præſenti commemorare; proptereaquè illa tantùm recitabo, quæ Diamans Marinonus in manuſcripto ſuo Libro *De origine Vrbis Mediolani, ac Nobilium eius familiarum* teſtabatur. Titulo enim *De Alciatis* hæc ille: *Alciatos nonnullis placet ab Actiato, ſeu Actiaco Oppido, à Græcis Colonijs Cæſaris ad ſimilitudinem Actij Epiri promontorij condito, deductos eſſe; quamuis alij Alciatum Oppidum, quaſi Alſiatum, hòc eſt frigidum, velint; quòd ſic veteres vſi ſint. Andreas verò Alciatus ad Alchatum, Parthaonis Ætoliæ Regis filium, Coloniæ in has Regiones deducendæ authorem, genus ſuum refert. Cuius tumulum ferunt vnius ex Hippodamiæ procis interfecti Genium inhabitaſſe, equitantibus infeſtum. Non alienum tamen videretur; ſi ab Alceo Alciatum in memoriam Herculis conditum diceremus. Vtcumque ſit, Vir hic Andreas, ex hac familia Iuris Conſultus ætate noſtra rariſſimus, in omni ſcientiarum genere eruditiſſimus, non minùs Græcarum Litterarum quàm Latinarum ſcientiſsimus, Regiæ ſtirpi fidem locuplètem facit.* Hæc ibi Marinonus. B C

II. Quale verò fuerit etiam eiuſdem Andreæ pro nobis in hac cauſa teſtimonium, per ea quidem aliquantùm indicatur, quæ Capite 2. Num. 13. & 14. ex ipſius Antiquario recitauimus. Atqui longè ſatius, vt opinor, lectuquè iucundius nunc erit huc transferri, quidquid ille de Arialdi Vita ſcribere orſus eſt, quodquè mihi, tamquàm vnum ex ipſius fragmentis, ſuppeditatum fuit à Domno Matthæo Valerio, Carthuſiæ Papienſis tunc Priore, cuius mentionem faciebam Capite 7. Num. 1. & cuius iam feceram, cùm in vniuerſum præfarer hoc Opus. Eiuſdem verò fragmenti alterum ego, per omnia ſimile, vidi exemplar in Aloyſij ab Eccleſia, Vrbani quondàm Secretarij, Muſæo, & eo quidem politiſſimo, D

 mo,

mo, ac multis Libris & præcipuè manuſcriptis referto. Tale A
verò prorsùs eſt fragmentum illud; niſi quòd à me per Numeros
marginales, velut in partes ac membra, commodi gratia maio-
ris, diſtribuetur.

# DIVI ARIALDI VITA,

## ANDREA ALCIATO AVCTORE.

III. *MEdiolanenſem Vrbem, poſt Gallorum Regulos à Conſulibus exactos, Vrbiſquè ipſius Romæ Imperium fato Gothorumquè armis euerſum, victoribus dein à Narſete ſuperatis, deinùm Lungobardi, Germanica Natio, tenuere. Hos cùm Pontificibus Romanis rebellantes, & iccircò cæteris abominatos, Francorum Rex Carolus fudiſſet; Italiæ ipſe Imperator factus eſt. Mox inter poſteros eius diſſenſione orta, Romani ſanguinis Berengarij exteriquè quidam variante fortuna regnauerunt, donec cuncta ciuilibus feſſa diſcordijs Germani Cæſares in fidem recepère.* B

IV. *Eorum primus Otho, Valperti Archiepiſcopi litteris ſollicitatus, in Italiam venit, hoſtibuſquè fuſis latè victor in Germaniam retrò, unde venerat, reuerſus eſt. Sic titulus ipſe ad Imperatores pertinere cœpit. Vis & potentia in Præſule erat, cùm tantùm rarò ipſi & nonniſi maxima de cauſa in Italiam deſcenderent. Mediolanenſis Antiſtes cæteris omnibus auguſtior interim vires comparabat, vnde etiam ipſis formidoloſus habebatur. Accedebat his, quòd per frequentes diſcordias cum Principes veluti precarium Imperium poſſiderent, donis, præcipuaquè indulgentia Archiepiſcopi gratiam inibant. Hinc & Vgonis filius Lotharius in Ambroſij Templo coronari voluit, vt Summi Sacerdotis comparato ſibi fauore audentiùs aduersùs Berengarium decertaret. Cuius exemplo Germanos Cæſares inſtitutum eſt eo in Sacrario ferrea Corona inſigniri.* C D

V. *Poſſem hic commemorare, quæ domi & foris egregiè facta duce Archiepiſcopo Mediolanenſis Populus geſſerit: vt Sueuorum Regem Conradum, Manibus inſultantem, arcuerit: vt præter Matildis ſententiam Cadolum in Vrbe Roma pro Pontifice aliquoties fit tutatus: vt in Italiam Cæſaris Legato aduenienite non tam leges acceperit, quàm dederit.*

VI. *Sed hæc, non admodùm Operis huius inſtituto neceſſaria, in præſentia-*

rum

*rum prætermittere melius exiſtimaui; Arialdiquè Vitam, & mores,* A
*qui ea tempeſtate maximo in pretio, interim poſteritati tradenda ſuſcipere. Quod cùm hominis ſanctimonia expoſtulare de quolibet Ciue meo non iniuria poſſet; tum de me præſertim, qui eadem familia prognatus, vel gentilitiorum communione, communione Sacrorum quàmmaximam pietati eius gratiam reddere debeam.*

VII. *Veteris autem exempli fuit, Illuſtrium Virorum geſta ſcriptis prodere; vſque adeò, vt, ſi qui de ſe ſcripſerint, non iccircò tamen inuidiæ aut fraudi illis fuerit. Quapropter & qui Auctores eorum Vitam poſteris tradidere, quos in Sanctorum albo priorum conſenſus retuliſſet, hi non ſolùm ob pietatem ſummam laudem aſſequuntur, ſed etiam de* B *humano genere optimè meriti videntur; quòd publicè interſit bonos agnoſci, vt illis quàm nos ſimillimos facere ſtudeamus.*

VIII. *Chriſtianæ igitur Salutis Anno paulò plùs Milleſimo, cùm de Eriberti Intimiani, qui nuper deceſſerat, ſucceſſore ageretur; Senatus Populuſquè Mediolanenſis, Comitijs in Ambroſij Templo indictis, quatuor delegerat: quorum nomina cùm per Oratores ad Henricum Conradi Auguſtum deſtinaſſet, ille non, vti moris fuerat, ex eis vnum optauit, ſed Vidonem ex Velata familia, obſcuri generis hominem, prætulit; aſtuquè & blanditijs, qui aduenerant, Oratores impulit, vt ſuam electionem laudarent. Tulit id, æquè atque debuit, ægerrimè* C *Populus; vixquè adduci potuit, vt aduenientem Præſulem cum dedecore non repelleret. Sed corruptis largitione Sacerdotum primoribus, facillimè deinde impetratum eſt, vt Plebs ipſa acquieſceret.*

IX. *Prætendebant illi Religionem, diuiniquè cultus profanis non obnoxium arbitrium, pulchraquè Sacerdotalis libertatis nomina, quibus imprudentium mentes etiamnùm protinùs capiuntur. Sed & ea erat temporum infelicitas, vt ſatis ſibi haberent Ciues, ſi priuatim inopiæ ſuæ poſſent conſulere. Flammis Ticinum Vngari, fixis paulò antè in Pannoniam ſedibus, nuper concremauerant: nec eo contenti, anniuerſaria arma mouentes, quicquid in agris relinquebatur, etiam in Mediolanenſi agro auferebant. Durabat & tunc ſumma caritas, & eius* D *comes peſtis, quæ nonniſi vigeſimo-tertio demùm anno extincta eſt.*

X. *His calamitatibus conflictati Inſubres (vt affectus maximè Deorum reminiſcimur) omnia Sacerdotibus permittebant. Hi igitur Vidonem pro iuſto Præſule agnoſcentes, inſignia dignitatis in eum conferunt, honoribus augent, iuſſis obtemperant. Sed & comis natura, liberaliſquè ore Vido ſibi ipſi non deerat. Sacerdotes, & Miniſtros, quoſlibetquè*

*initiatos*

*initiatos libenter amplecti, delicta eorum diſſimulare, æqua atque ini-* A
*qua pati. Quibus artibus omnes ſibi non difficulter conciliauiſſet, niſi*
*licentiam hanc tandem Arialdus repreſſiſſet. Ea res quemadmodum*
*ſe habuerit, quàm veriſsimè potero, infra diſſeram.*

XI. *Cucciacum Mediolanenſis Agri ſub Canturienſi Præfectura Oppidum*
*eſt. In eo nobilibus parentibus ortum Arialdum Auctores, quos ſe-*
*quimur, conſentiunt. Addit Monachus Andreas, dum Arialdi ma-*
*ter vtero grauis fortè quieſceret, per ſomnium noctu iubar clariſſimum*
*vidiſſe, quo tota domus ceu meridie illuſtraretur. Quamobrem ſecum*
*admirans mulier, & partus ſui maximam claritudinem præſagiens,*
*quanta maxima potuit cura ſe ſeruauit; natoquè infante, vbi per æta-* B
*tem licuit, nec bonis præceptoribus, nec optimis auctoribus pepercit, vt*
*eruditior filius fieret.*

XII. *Dedit ergo ille priùs operam omnibus liberalibus ſtudijs, in quibus, vt*
*tempora erant, multum profecit. Perierant enim ea tempeſtate; &*
*aſsiduis bellorum tumultibus, & ira Dei, bonæ litteræ, nullaquè gym-*
*naſia omnem per Italiam habebantur. Quapropter in Galliam ad*
*Pariſiorum Academiam ſe contulit. In ea diutiùs verſatus, magnum*
*nomen conſecutus eſt. Tradunt, in diuinarum rerum profeſsione,*
*quam Theologiam vocant, tantum proficiſſe, vt omnes collegas poſt*
*ſe relinqueret. Dialecticam verò, quam doctrinæ ſuperficiem quan-* C
*dam appellabat, contempſit magis, quàm ignorauit.*

XIII. *His igitur egregijs artibus fultus, Mediolanum in patriam venit. Cum-*
*què Sacerdotes tunc in ſuis quiſque Vrbibus concionarentur, populoſ-*
*què publicè bonorum morum & diſciplinæ admonerent (quam deinde*
*illis, ſuccedente inertia, palmam inſtitutæ à Franciſco Dominicoquè*
*Familiæ abſtulerunt.) decreuerat continuò Arialdus Mediolani Chriſti*
*nomen prædicare, ampliſſimoquè huiuſmodi argumento facundiam ſuam*
*exercere; vt, quod ipſe longo ſtudio magniſquè laboribus addidicerat,*
*Ciuibus ſuis communicaret.*

XIV. *Sed Sacerdotum nequitia territus, rem omnem diſtulit. Siquidem,* D
*propriæ labis conſcio Vidone, & iccircò in ſubditorum delictis hallu-*
*cinante, omnia ſibi licere Sacerdotes arbitrati; nihil mali intentatum*
*reliquerant. Rapto viuere, venationibus aucupijſquè indulgere, ſub*
*fœnore pecunias mutuare, ſcorta alere, & qui melioris exiſtimationis*
*erant, vxores ducere, paſsim conceſſum, & impunè erat. Exerce-*
*bant & quidam meritorias tabernas; negotiabantur alij, & benefi-*
*ciarios ſacroſquè reditus emebant, diſtrahebantquè.*

XV. *Quæ*

XV. *Quæ delicta execratus Arialdus, quòd remedio vllo in præſentiarum* A
*eſſe non poterat, pro tempore ſeceſsit, Variſiumquè ſe contulit. Quan-*
*tò enim amplior frequentioreque populo culta Vrbs Mediolanum erat,*
*tantò plures improbioreſquè Sacerdotes habebat; quorum factioni du-*
*bio procul impar Arialdus fuiſſet.*

XVI *Vigebat tum in Vrbe magnæ exiſtimationis Vir Landulfus, primoris*
*Eccleſiæ Ordinarius, & perquàm eloquens in concionibus, populo grā-*
*tiſsimus. Huic Arialdus vetere amicitia iunctus fuerat. Quapropter*
*ter ſecum congreſſus, multa de Vidone, plurima de Sacri Ordinis ni-*
*mia licentia queritur; popularem etiam rem, & omnium intereſſe, vt*
*meliores fierent. Landulfus cauſæ non defuturum ſpopondit, & auſu-* B
*rum; vbi rem ex voto ſuccedere poſſe cognouiſſet. Interim Arialdus*
*ipſe per Vicos & conciliabula concionetur; eoſquè Sacerdotes, qui ab*
*Vrbanis munditijs ſeparati, & iccircò antiquam probitatem retinen-*
*tes, ſibi aggregare ſtudeat. Tunc enim & ſe id in Vrbe facturum,*
*quod in pagis ipſe fuerit aggreſſus.*

XVII. *Ab hoc colloquio Arialdus Variſij creberrimas orationes in corrupte-*
*lam Sacerdotum habere cœpit, in mores acerrimè inuehi, nullo metu*
*arceri, omnia pro veritate exponere. Faciebat & id Landulfus; ſed*
*parcius, & nonniſi cùm ſe obtuliſſet occaſio.*

XVIII. *Fuere, qui exiſtimauerint, Vidonis exauctoramentum, eiuſquè di-* C
*gnitatem ambientem Landulfum Arialdo conſenſiſſe. Sed nulla cer-*
*tè fuit vnquàm innocentia, quæ inuidiam maledictaquè vitauerit.*
*Igitur improbi quidam delationis magnam mercedem à ſe præſtitum*
*iri exiſtimantes; vtrumque apud Vidonem accuſant, crimina in eos*
*congerunt; læſam contumelijs Summi Sacerdotis maieſtatem excla-*
*mant, nouis ſeditionibus quæſitam cauſam.*

XIX. *Non audebat Vido tunc in eos animaduertere; quòd ſummæ opinionis*
*apud Populum vtrumque cognouerat. Quare in cubiculum ad ſe ac-*
*citos, humaniter excipit, precibuſquè minas commiſcet, ſuam Sacer-*
*dotumquè cauſam tuetur. Non decet, inquit, Sacerdotem Sacerdoti* D
*maledicere; ſic enim ſuis ſe telis confoderent: expeditque etiam indi-*
*gna factu perpeti, ne inconſultè diſsidium aliquod oriatur. Nec enim*
*fratrem ſuum damnare æquum eſt, cuius ſalutem Chriſtus Deus re-*
*demit. Oportet priùs, qui in alium dicere paratus ſit, ab omni ſe la-*
*be vindicare; niſi quiſquam credat eum, qui æger ipſe ſit, rectè me-*
*dicari alijs poſſe. An ſine ſtomacho armatum militem aliquis de pa-*
*ce diſſerentem audiet? nùm Græcanicè ſapienter dictum illud: quili-*
bet

bet potiùs probauerit? Quin tu priùs, inquit, cum vxore & liberis A
in gratiam redis? tuo exemplo tum demùm ad pacem nos vocaturus.
Eijcienda priùs oculo tuo trabs eſt: vt citra opprobrium feſtucam de
alieno extrahas. Aperta & publica reprehenſio, non correctionem,
ſed odium vituperiumquè oſtendit. Condemnare aliquem velis, co-
ramquè Populo obiurgare; illud tibi primùm ante òculos proponendum
eſt, an tu ſimili culpa vnquàm laboraueris; vel, cùm quandoque
captus eſſes, abſtinueris. Si delicto illi vnquàm obnoxius fuiſti; eſt
quòd cogites, te hominem eſſe, & eius conditionis, vt eo peccato po-
tueris capi. Si, cùm ei culpæ ſeruires, in libertatem prouocaſti; com-
munis infirmitatis te memoria ſubeat; neque hominem palam obiur- B
ga, ſed ſecretò admone, vt ad tui ſimilitudinem & ipſe curet reſipi-
ſcere. Hæc cùm Vido placidè dixiſſet; eò finem orationis direxit, vt
Sacerdotibus fas eſſe diceret vxores ducere; interminareturquè, ſi con-
traria profari ipſi auderent.

XX. Tum Arialdus Landulfuſquè, Nihil, inquiunt, intereſt, quo genere
mortis, & quo tempore occumbamus; pro veritate enim mori pugnan-
tes iuuat. Nobis ſententia hæc inſedit, vt ſcelerum perpetui hoſtes,
dum ſupererit vita, in facinoroſos quotidie concionemur. Quid enim
prædicandi iſtud oneris aſſumamus, ſi vera ſubticere, ſi prævaricari
in Chriſtianorum omnium cauſa compellimur? Equidem ſi Sacer- C
dotes iſti tui ſecretò delinquerent; nemo noſtrum probaſſet, vt publicè
caſtigarentur. Sed cùm eiuſmodi ſint ſcelera, vt non ſatis habuerint
ea perpetrare, niſi etiam auctores ipſi diuulgatoreſquè operum ſuorum
forent; non eſt, quòd nos admoneas, vti eos clam accuſemus. Ma-
nifeſta enim noxa reùm palam quoque pœnitere æquum eſt: Et ve-
luti, vbi morbus leuioribus medicamentis non cedit, ferrum aut ignis
adhibetur; ſic obſtinatis iſtorum animis, cùm cætera remedia con-
ſumpta ſint, publica animaduerſione opus eſt.

XXI. Ab hoc ſermone digreſſi, indignantem Præſulem reliquerunt. Cæte-
rùm veriti, ne iratus Vido quandoque àliquid in perniciem ipſorum D
moliretur; ſubſidia partibus quærunt. Erat tunc Mediolani ſummæ
auctoritatis Anſelmus ex Badagiorum familia, quem innocentiæ vir-
tutiſquè cauſa Lucenſibus Antiſtitem Cæſar dederat. Hunc Arial-
dus cum Collega adijt.

XXII. Hucuſque Alciatus ipſe. Quæ mox ſequitur ad Lectorem Ob-
ſeruatiuncula, cuiuſnam ſit Auctoris, me latet. Quicumque
tamen ille fuerit, ea quidem ſic ſe habet: *Ad Lectorem*. Re-

liqua

*liqua abſoluerit, an abſoluta caſu aliquo interciderint, incertum. Hoc certum, hæc tantùm ſuo in autographo reperta fuiſſe.* Hac ego tamen de re ſic exiſtimo, vt Alciatus hanc Arialdi Vitam verè non abſoluerit, nec vlteriùs fuerit proſecutus; ea ſcilicet ratione; quia tunc demùm inueniſſet, eiuſdem Vitam olim conſcriptam fuiſſe, non ab Andrea tantùm Monacho, quem ſuperiore Capitis huius Numero 11. nominatum vidimus; ſed ab Arnulpho etiam, Rerum Mediolanenſium Hiſtorico; ſicut ipſemet credidit, nobiſquè Capite 2. Num. 13. & 14. affirmauit. A

## *CAPVT XIII.* B

*Teſtimonium Hieronymi Montij, Anno Chriſti* 1547.

I. EMinentiſſimi Cardinalis & Archiepiſcopi olim noſtri, Cæſaris Montij, auus hic fuit, idemquè nobiliſſimi hac in Vrbe Collegij Iuriſperitus præſtantiſſimus integerrimuſquè, dehinc Præfectus eiuſdem Vrbis, tum Regius Senator, & interim Publicæ Sanitatis Præſes, bono publico vtiliſſimus, Anno Domini 1576. cùm peſtilentiæ lues miſerandum in modum graſſaretur. Quocirca etiam Iacobus Philippus Beſta perhonorificam fecit eius mentionem Anno 1578. in Libro typis tunc impreſſo, inſcriptoquè: *Vera Narratione del ſucceſſo della Peſte, che affliſſe l'inclita Città di Milano l'Anno* 1576. &c. C Sic etiam poſtmodùm Anno 1579. cùm Iuriſconſultus Franciſcus Curionus, Gallaratenſis (qualem patrio ſolo me quoque profiteor) quaſdam Lucubrationes ſuas Legales eidem Senatori, tunc Vrbis præterea Ticinenſis Prætori, nuncuparet, ſuam hinc Epiſtolam ſiue Præfationem eſt exorſus: *Quo tempore dira illa & execrabilis lues*, IN QVA, TAMQVAM IN IGNE AVRVM, TVA IN PRIMIS VIGILANTIA, FIDES, PIETAS, ET PRVDENTIA SPECTATA EST, *huius Prouinciæ, non multos tantùm pagos atque oppida, ſed & Vrbem ipſam acerbiùs depopulabatur, ideoquè & gymnaſia & fora ſilebant* &c. D Talium verò Lucubrationum Librum, typis Mediolanenſibus tunc editum, peramanter mihi non ita pridem largitus eſt ex eiuſdem Franciſci nepotibus Hieronymus Curionus, in eodem Gallarati Oppido

peritiſſimus Artis Medicæ Profeſſor. Ipſius autem Hieronymi A
Montij tam parentes ac filios & nepotes, quàm Magiſtratus præ-
clariſſimè geſtos, abundè ſimul ac fideliter indicauit Anno 1648.
Ioannes Petrus Creſcentius in Amphitheatro ſuo Romano, Itali-
cè conſcripto, pagina videlicet 246. Verbo *Monti, Conti di Val-
Saſſina*.

II. Cùm igitur Hieronymus ipſe Montius in celeberrimo illo Iuriſperi-
torum Collegio munus ſuum per omnes partes laudabiliter exe-
queretur; inter cæteros ingenij & eloquentiæ ſuæ fœtus ſenas
etiam edidit, ac rogatu Gabrielis Caſati, eiuſdem Collegij Abba-
tis, ſiue Præſidis, imprimendas typis Lugdunenſibus apud Sebaſ- B
tianum Griphium Anno 1547. curauit Orationes, hoc titulo
prænotatas: *Gualterij Corbetæ, Iureconſulti Mediolanenſis, Oratio,
habita pro Cooptatione Ioannis Baptiſtæ Caſtillionei in celeberrimum
Iuriſperitorum Mediolanenſium Collegium. Hieronymi Montij, Iu-
reconſulti Mediolanenſis, eiuſdem argumenti Orationes ſex, habitæ pro
eorum Cooptatione, quos ſequens pagina indicat.* Harum verò pri-
ma deinde Oratio eſt *Pro Pomponio Cotta*: ex eaquè nobis iam
tandem proximum eſt, vt, quod intendimus, teſtimonium de-
promamus. De Arderico autem Cotta, Mediolani Archiepiſco-
po, Montius ea dixerat, quæ iam ego Diſſertationis Nazarianæ C
Capite 84. Num. 8. recitaui, cùm protinùs hæc adiecit: *Sed cùm
ab Arderico diſceſſi, ſtatim ſeſe mihi offert Herembaldus Cotta, con-
ſilio, animi fortitudine, vitæ integritate conſpicuus. Qui, licet Patri-
cio ortus genere, cùm tamen diuturnis Populi Mediolanenſis conten-
tionibus odia in maius creuiſſe animaduerteret, miſeram verò Plebem
ita quorundam licentia oppreſſam, vt parùm ab extrema pernicie
abeſſet; eius tutelam ac defenſionem ſuſcepit; tantumquè effecit, do-
nec, repreſſa paulatim vi atque impetu, quietiores animi facti, ad
tranquillitatem inclinare cœperint; neque prius quieuit, quàm eam
legem in Eccleſia Mediolanenſi promulgari impetrauit, quam tunc D
ſummis ſtudijs rogari Plebs expetierat, ne ſcilicet Clerici vxores du-
cere neuè Matrimonio iungi poſſent. Quod, vt rectè factum, totius
Plebis alacri animo exceptum eſt, & à Summis Pontificibus ſanctiſ-
ſimè hactenùs ſeruari mandatum; ita Herembaldo fatale extitit.
Nam, ea de cauſa offenſos Clericos necem homini intuliſſe, apud
Authores reperio;* A POPVLO VERO DIVINOS ILLI HO-
NORES OB TAM CELEBRIS FACTI MEMORIAM EX-
HIBITOS;

HIBITOS; INCLVSVMQVE FERREA VRNA CADAVER, A
DIVI DIONYSII TEMPLO IN NOSTRAM VSQVE
DIEM SERVATVM NOVIMVS.

## CAPVT XIV.

*Ioannis Pauli Folperti teſtimonium, Anno 1576.*

I. REligioſam pietate perinſignem Ciuitas noſtra ſuperiore Sæculo habuit, Angelicam nimirum Paulam Antoniam de Nigris, Anno Domi- B ni Milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto mortuam die Aprilis quarta, & in Eccleſia ſepultam interiori Monialium ad Crucifixum Conuerſarum, intra Portæ Ludouicæ fines conſiſtentium.

II. Singulares autem ipſius dotes ſatis ſuperquè licet in eo contueri Libro, quo eius Vita Epiſtolæquè continentur, quiquè Romæ comprobatus fuit à Cenſoribus, per Sacrum Concilium Tridentinum inſtitutis ad reformationem Indicis Librorum, necnon etiam ibidem Anno 1576. typis impreſſus in Ædibus Populi Romani. Hanc ille præfert inſcriptionem: *Lettere Spirituali della deuota* C *Religioſa Angelica Paola Antonia de' Negri, Milaneſe. Vita della medeſima, raccolta da Giouan' Battiſta Fontana, de' Conti.* Ipſius porrò Vitam collegit idem ille, ni fallor, Ioannes Baptiſta Fontana, quem Capite 2. Num. 12. indicare conabar, & quo certè Viro ea mihi digna videtur. Epiſtolas verò collegit Sacerdos item integerrimus, Ioannes Paulus Folpertus, Collegij Taeggiorum Rector: & hic ipſe Opus hoc vniuerſum Ampliſſimo Cardinali Franciſco Alciato, Mediolanenſi ( de quo legi poſſunt, quæ ad Annum 1565. habentur Num. 43. apud Alphonſum Ciaconium in Romanorum Pontificum & Cardinalium Vitis, Anno tandem D 1630. vberiùs recuſis) nuncupauit.

III. Inter alia verò multa Cardinalis eiuſdem præconia Folpertus illic enumerauit hoc etiam: *Dalla famiglia diſcende di quel Beato Arialdo, che ne' tempi ſuoi non badò più ad altro, che alla riforma e correzzione della diſciplina Clericale;* SI CHE MERITO ESSERE NEL NVMERO DE' SANTI RIPOSTO DA PAPA ALESSANDRO SECONDO; *laſciando (ſi può dire) queſta cura hereditaria nel parentado.*

## *CAPVT XV.* A

*Caroli Sigonij teſtimonium, Anno* 1580.

I. DVM Caroli ego Sigonij Bononienſem atque auctiorem ſequor editionem priorum quindecim *De Regno Italiæ* Librorum, Anno 1580. elaboratam, ſimul etiam ſpero fore, vt non diſpliceat, quia eidem adſcribam Anno teſtimonium ipſius.

II. Pro Herlembaldi autem ſanctitate mutus omninò ipſe fuit (& eam, B
opinor, ob cauſam, quam in Præfatione Libri huius Primi innuebam) pro Arialdi autem valde parcus. Etenim Anno tantùm 1066. hæc ſolummodò de ipſius obitu ac funere ſcripſit: *Mediolani Ciuitate, ſeditionis conflata cauſa, arma ſumente, Arialdus, cùm tempeſtatis eius imminens vitare periculum ſtudens præcipiti ex Vrbe ſe fuga proriperet, ab aduerſarijs interceptus eſt; ac mola collo appenſa in Lacum Verbanum præcipitatus*, INDIGNAS HONESTÆ ACTIONIS POENAS PERSOLVIT *tertio Kalendas Iulias:* CORPVS DEINDE ILLÆSVM INVENTVM MERITOS SEPVLTVRÆ HONORES ADEPTVM EST. Verè tamen Arialdus, non tertio, ſed quinto Kalendas Iulias necatus eſt; atque hoc itidem obſeruandum eſt pro ea Inſcriptione, quam Capite 2. Num. 13. recitauimus. Sed & alia verè fuit cauſa (vt in tempore videbimus) propter quam præcipiti ſe fuga Arialdus ex Vrbe proripuerit. C

## *CAPVT XVI.*

*Eudoſij Loccatelli teſtimonium, Anno* 1583. D

I. HOC vtique Anno, Florentiæ in Vrbe, apud Georgium Mareſcottum, typographum, prodijt in lucem Loccatelli eiuſdem Opus, inſcriptum: *Vita del Glorioſo Padre San Giouan Gualberto, Fondatore dell'Ordine di Vallombroſa: inſieme con le Vite di tutti i Generali, Beati, e Beate, che hà di tempo in tempo hauuto la ſua Religione: raccolte dal Padre Don* *Eudoſio*

*Eudoſio Loccatelli, da Santa Sofia, Monaco del medeſimo Ordine.* A

II. Libro autem Secundo Caput decimum *Del Beato Don Andrea, Abbate da Strumi*, aggrediens, ſic ille incipiebat: *Nel reggimento del Generale Almario fiorì il Beato Don Andrea da Parma: il quale primieramente fù diſcepolo di Santo Arialdo Martire, e poi, dopo il ſuo martirio, venendo à Firenze con il Padre Don Ridolfo, Abbate di Moſcheto, ſi accoſtò à San Gioangualberto, e ſi fece ſuo diſcepolo, di cui egli ancora ſcriſſe la Vita.* Propè verò Capitis eiuſdem finem, ſic etiam de hoc Beato Martyris noſtri Arialdi Diſcipulo concluſit: *E poi che egli bebbe dimoſtrato, per fauor diuino, molti e mirabili ſegni, e fatte opere innumerabili di molta laude, morì* B *diuotiſſimamente intorno à gli Anni del Signore* 1097. *laſciando di ſe gran nome di ſantità; talche fù annouerato frà gli altri Beati del noſtro Ordine: e fù ſepellito nel detto Monaſterio di San Fedele.*

III. Cæterùm Beatus hic ipſe Andreas Vitam quoque Sancti Martyris Arialdi conſcripſit: eam nempe, quàm nos Libro ſubſequenti recitabimus.

## *CAPVT XVII.*

*Ludouici Cauitellij teſtimonium, Anno* 1588. C

I. Teſtem hic ego mihi aſciui Cauitellium, Cremonenſem Patricium, non quia ipſum exiſtimem nobis in præſenti cauſa patrocinari; ſed vt maiori cum noſtro emolumento dilucidè appareat, quemadmodùm nobis nullatenùs patrocinetur.

II. In ſuis Patriæ Annalibus, ab Vrbis origine vſque ad Salutis Annum 1583. productis, & in eiuſdem Vrbis typographia demùm impreſſis Anno 1588. ſic ille, ſecundùm propoſitam ſibi temporum D ſeriem, narrabat: *Anno Natalis Dominici Milleſimo trecenteſimo-quinto, Raynerio Epiſcopo Cremonæ mortuo ſubſtitutus fuit Gerardus de Madijs. Qui cùm eſſet ex primoribus Patricijs Brixiæ, illinc (vt comprehendi ex fragmentis Autoris incogniti, mihi datis, ac vt opinor) aſportari fecit Cremonam Oſſa Diui Arealdi, martyrio Brixiæ affecti Anno circiter Centeſimum trigeſimum-quartum, Adriano imperante: & in Templo, ad eius memoriam erecto in Vico*

*Omnium*

*Omnium Sanctorum, repoſita. Et inde Anno Milleſimo quadringenteſimo octuageſimo-quarto, Iſacho Reſtallo ex Canonicis Eccleſiæ Cathedralis Cremonæ procurante, in eam translata, & in pariete dextro Sacelli, in quo eſt Altare dicatum Sacratiſsimo Corpori Chriſti, & olim Diuo Hieronymo, & in parte ſuperiori, iuxta Chorum ipſius Eccleſiæ: & mox translata in partem eiuſdem ſubterraneam, & locata in Arca marmorea, ad id fabricata cum Altare ei dicato; præter eius Caput, aſſeruatum in tabernaculo araminis deaurato, ad id etiam laborato, & tento in armario, in quo aſſeruantur Reliquiæ aliorum Sanctorum, poſt Altare dicatum Diuo Ioanni Baptiſtæ, vnà cum ibi Sacello ad partem ſiniſtram eiuſdem Chori. Et eius Diui Arealdi memoria celebratur Cremonæ quotannis die prima Septembris, qua ipſa Oſſa ducta fuerunt è Brixia Cremonam.* Talia ſunt ad verbum, quæ ibi Cauitellius. A B

III. Sin autem Martyr ille Arealdus re vera necatus fuit in Vrbe Brixia, & circiter Annum Salutis Humanæ Centeſimum trigeſimum-quartum; nulli profectò dubium eſſe debet, quin omninò diuerſus ille fuerit ab Arialdo noſtro; quem planè conſtat necatum eſſe ad Verbanum Ditionis Mediolanenſis Lacum, & Anno Salutis Milleſimo ſexageſimo-ſexto. Quocirca noſter itidem Arialdus in Baſilica nunc etiam quieſcit San-Dionyſiana; è qua ſiquidem non ſatis apparet eum aliò vnquàm translatum fuiſſe; in qua quinimmò noſtris à Scriptoribus paſſim affirmatur hoc etiam Sæculo quieſcere. C

IV. Quòd enim cæteroqui Arealdus appellaretur ille, noſter verò Arialdus; hoc ego nihilò magis obeſſe nobis poſſe arbitrabar, quàmquòd ipſummet noſtrum Arialdum aliquando iam ſupra viderimus appellari Arioldum; ſicut etiam ſimiliter Herlembaldum quandoque vidimus appellatum Herembaldum, Hernebaldum, & ſimilibus alijs nominibus.

V. Cæterùm meritò ne, an immeritò, Arealdum illum Cauitellius crediderit necatum in Vrbe Brixia, & circiter illum Salutis Annum Centeſimum trigeſimum-quartum: hæc ego infra paulò accuratiùs examinabo. D

CA-

## CAPVT XVIII. A

### Teſtimonium Arnoldi VVion, Anno 1595.

I. EOdem illo quippe Anno tantùm ego typis impreſſa Venetis vidi Auctoris eius Opera: & inter hæc Martyrologium Monaſticum.

II. Illic autem decima Martij die ita ſcripſit: *In Monaſterio Vallis Vmbroſæ, Beati Andreæ, diſcipuli Sancti Ioannis Gualberti, & imitatoris eius præcipui*. Subinde verò mox in Notis: *De quo* (Andrea) *Tabula Vallis Vmbroſæ hac die. Fuit primùm diſcipulus* SANCTI ARNALDI (legendum eſt ARIALDI) *Martyris, Parmenſis: deinde Sancto Ioanni Gualberto adhæſit, cuius & Vitam ſcripſit: poſtremò Abbas Sancti Fidelis Strumienſis. Mortuus eſt Anno Domini Milleſimo nonageſimo-ſeptimo*. Quod ergo nobis in præſenti ſatis eſt, en, vt Arnoldus VVion Arnaldum illum, ſiue Arialdum, appellat Sanctum. Quòd enim eum præterea Parmenſem nominat Martyrem; in hoc profectò fallitur; vt etiam infrà memorabimus. B

## CAPVT XIX. C

### Blaſij Rubei teſtimonium, Anno 1598.

I. TEſtis hic in eamdem planè ſententiam conſenſit cum Ludouico Cauitellio, quem Capite hinc altero produximus.

II. Tabulam ipſe compoſuit Diptycham Epiſcoporum Eccleſiæ Cremonenſis: eaquè proximo ſtatim Anno 1599. typis item Cremonenſibus impreſſa, publicam prodijt in lucem iuſſu Cæſaris Speciani, eo tempore Epiſcopi. His ille verbis, & ad intelligentiam quidem paulò clarioribus, vſus eſt Num. 55. *Gerardus de Madijs, Patricius Brixienſis, ſucceſſit Raynerio de Rubeis, Epiſcopo Cremonæ, mortuo Anno Milleſimo trecenteſimo-quinto, Clemente Quinto Summo Pontifice. Is, cùm plurimùm gratia & auctoritate apud ſuos valeret; Cremonam Oſſa Diui Arealdi, Brixiæ martyrio coronati, inde transferri curauit; eaquè primò repoſita fuerunt in Eccleſia, ad eius memoriam* D

*moriam in Vico Omnium Sanctorum conſtructa. Deinde verò in* A
*Eccleſiæ Cathedralis partem illam translata ſunt, vbi nunc eſt Alta-*
*re dicatum Sanctiſsimo Sacramento, opera Iſachi Reſtalli, Canonici*
*Cremonenſis Eccleſiæ. Demùm in eiuſdem partem ſubterraneam:*
*ibiquè iacent in Arca marmorea, Capite in areo vaſe repoſito. Ad-*
*miniſtrauit autem Gerardus Eccleſiam Cremonenſem Annos tres.*
*Nam obijt Anno Milleſimo trecenteſimo-octauo, eodem Clemente*
*Quinto Summo Pontifice, Imperatore Alberto Auſtriaco.* En igitur,
vt cum Cauitellij teſtimonio concors eſt hoc ipſum Blaſij Rubei;
& propterea ne hoc ipſum quidem cauſæ noſtræ adſtipulatur.
B

## *CAPVT XX.*

### *Eminentiſsimi Cardinalis, Cæſaris Baronij, teſtimonium, Anno* 1600.

I. QVod maximè nobis expetendum erat, luculen-
tiſſimum profectò eſt pro noſtrorum Arialdi &
Herlembaldi ſanctitate teſtimonium Eminen-
tiſſimi Cardinalis Baronij: ex ea ſcilicet Arialdi
depromptum Vita, quam nos Libro ſubſequenti
comprehenſam publicæ luci dabimus. Ac tale C
proptcrea tantumquè teſtimonium lubentiſſimè in principio Sæ-
culi præſentis collocauimus, intra quod illud etiam ſummoperè
Viris doctiſſimis placuit, vt poſtea videbimus.

II. Tomo enim Annalium ſuorum Vndecimo, Annoquè Chriſti 1061.
Art. 60. hæc ille poſteritati reliquit de Arialdo ſcripta: *Porrò eo-*
*dem tempore, ipſis primordijs eiuſdem Alexandri* (nempè Secundi)
*Romani Pontificis, Mediolano Romam ſe contulit Sanctus Arial-*
*dus, Vir Apoſtolicus, qui ſolus cum Nazario aduersùs Nicolaitas &*
*Simoniacos, in Eccleſia illa Mediolanenſi inualeſcentes, ſtrenuè*
*laborabat: veniens ad eumdem Alexandrum Papam vnà cum Her-* D
*lembaldo, Duce ſtrenuo, germano Landulphi, eiuſdem Arialdi in ope-*
*re ſancto collega. Cuius aduentus quanam cauſa præceſſerit, audi à*
*Syro Presbytero, in Vita ipſius Arialdi, Sanctiſſimi Martyris, quam*
*rebus præſens conſcripſit. Sic enim ait: Per idem tempus Landul-*
*phus, ſodalis ipſius Arialdi, obiens, ſuperſtitem germanum, nomine*
*Herlembaldum, prudentem & fidelem virum, licet laicum, reliquit.*
*Hic, nuper ex Ieroſolyma reuerſus, volebat tunc ſæculum relinquere,*

*& ſe tradere vitæ Monaſticæ. Cuius fidem & conſtantiam Beatus* A
*Arialdus agnoſcens, cœpit ei promittere, quòd ſibi potiorem apud Do-*
*minum gradum acquireret, ſi Monaſterium ingredi differret, & Fi-*
*dem Catholicam ſecum defenderet, atque cum ipſo Hæreticis & Chriſti*
*hoſtibus reſiſteret. Qui volens probare, vtrùm in his, quæ à Beato*
*Arialdo ſibi promittebantur, veraciter ſe auderet confidere; ſumptis*
*aliquantis Fidelibus, perrexit Romam; non per viam regiam gradiens;*
*ſed per Dei Cultores, in Eremo & Monaſterijs circumquaque de-*
*gentes, de re iam dicta omnes interrogans. Cumquè cuncti, in vera*
*& pura fide accenſi, ſententiam ei concordem vnà cum Beato Arial-*
*dò promerent; tandem peruenit Romam. Vbi ſub ineuitabili imperio* B
*ab Alexandro Papa & à Cardinalibus ei præceptum eſt redire, &*
*Chriſti aduerſarijs in defenſione iuſtitiæ vſque ad proprij ſanguinis*
*effuſionem viriliter cum Beato Arialdo reſiſtere. Cui etiam Ponti-*
*fex ſcilicet & Cardinales ex Beati Petri parte mirificum Vexillum*
*dedere; vt, quoties hæreticorum veſania vltra modum inſaniret, il-*
*lud in manu tenens, eos reprimeret. Quod conſtanter per decem &*
*octo fermè annos impleuit* &c. Hæc Baronius ex ea Sancti Arialdi
Vita. Tum verò ſic etiam ipſe: *Hæc de Herlembaldi militia,*
*Pontificis Romani ſacro illuſtrata Vexillo: qui verè Chriſti Miles*
*Chriſtianæ perfectè militiæ numeros in omnibus adimplebat... Quod* C
*diſces ex his, quæ inferiùs ſic ſubijcit Auctor.*

III. *Erat enim nobilis Herlembaldus coram ſæculo quaſi Dux in veſtibus*
*pretioſis, & in equitibus & armis; ſed in abſcondito Deo, ſicut Ere-*
*mita, agreſtibus indutus erat laneis. Hunc in pedum ablutione pau-*
*perum agere vidi; quod in alio nemine me reminiſcor vidiſſe. Nam*
*cùm alicubi per Vrbem vallatus magna multitudine Fidelium, ſibi*
*gratis obſequentium, incederet, & horrentes pauperes & debiles in-*
*ſpiceret; clam alicui ex ſuis famulis annuebat perſiſtere; atque pau-*
*perem poſt ipſum in domum ſuam ducere. Dimiſſis igitur extraneis,*
*allata aqua, cinctus linteo, egeni pedes nimia cum veneratione ablue-* D
*bat, & extergebat. Poſt hæc autem, corpore in ſolo proſtrato, ſub*
*ipſius pedibus caput ponebat. Et tali modo mendicum & pauperem*
*faciebat ſe modicùm conculcare diuitem. Denique honorificè &*
*abundanter ipſum reficiebat ſecum. Sed & hoc opus ſanctum inter-*
*dum in numerum duodenum explere vidi pauperum. Verumtamen*
*Dei zelò ſic erat accenſus, vt de eo, in eius abſentia, plerumque Vir*
*Dei Arialdus ſuſpirans diceret: Proh dolor! Præter Herlembaldum*

*& Nazarium Clericum vix quemquam reperio, qui quoquo modo mihi ſub falſa diſcretione tacere non ſuadeat, quatenùs Simoniaci & adulteri liberè poſsint peragere opera Diaboli. Multa namque bona de hoc Viro familiariter cognoui. Sed quia nuper in defenſione iuſtitiæ martyrio eſt coronatus; in altero Volumine ſcripta relinquo.* Talia recitauerat Baronius; cùm rursùs hæc adiecit: *At de his inferiùs ſuo loco ſub Gregorio Papa Septimo dicendum.* A

IV. Priuſquàm tamen illucuſque progrederetur Baronius, Sancti Arialdi martyrium proſecutus eſt Anno 1066. ex Articulo 16. & his quidem verbis: *Sed conuertamus orationem ad miſerandum ſtatum Mediolanenſis Eccleſiæ, ſub Guidone, relapſo in deterius Archiepiſcopo, laborantis. Hic enim, ad vomitum redeuntis canis inſtar, reuerſus eſt turpiùs ad peccata illa omnia, quæ ſub Petro Damiani, Oſtienſi Epiſcopo, Apoſtolicæ Sedis Legato, publicis editis ſcriptis fuerat deteſtatus, & pro illis diluendis iniunctam ab eo ſuſceperat pœnitentiam. Nam aduersùs Clericos illos, qui in Fide conſtantes forteſquè perſtarent, perſecutionem diriſsimam excitauit, adeò vt nec ſe à ſanguine temperaret Viri Sanctiſsimi Arialdi, eiuſdem Eccleſiæ Clerici: qui, vt ſuperiùs dictum eſt, diu multumquè pro cuſtodia ſacrarum legum aduersùs Simoniacos & Nicolaitas indefeſſo ſtudio laborauit. Sic loco portenti habitum, vt, qui in Cathedra ſederet Ambroij, nece afficeret eos, quos ſciret ſeruare, quæ ſeruaſſet & ſeruanda prædicaſſet Ambroſius.* B C

V. *Hoc igitur Anno Milleſimo ſexageſimo-ſexto, quinto Kalendas Iulij, martyrio idem coronatus eſt Sanctus Arialdus opera ipſius Guidonis Pſeudoepiſcopi Mediolanenſis Eccleſiæ. Erat Arialdus Vir nobilitate inſignis, vtpote germanus cuiuſdam Marchionis, vt eius Vitæ Acta docent: natus in Villa, inter Mediolanum atque Comum poſita, cui nomen Cutiacum. Cuius res præclarè geſtas ſcripſit Syrus Presbyter: qui licet nomen ſuum tacuerit, Andreas tamen, Monachus Vallis Vmbroſæ, ad ipſum de his ſcribens, aperuit. Scripſit autem Vitam ipſam ad* Rodulphum *Abbatem Vallis Vmbroſæ: quam, antiquitùs ſcriptam, accepimus à Domno Conſtantino Caietano, Monacho Caſsinenſi, qui in huiuſmodi antiquitatibus in lucem vendicandis fructuosè laborat.* D

VI. *Arialdus igitur, inſignis pietate Vir, commiſeratus ſtatum Mediolanenſis Eccleſiæ, quam dira perſecutio Schiſmaticorum Henricianorum & Simoniacorum atque Nicolaitarum vexabat (vt audiſti ſuperius*

*perius in Legatione Petri Damiani, ad eam Eccleſiam ab his malis* A
*purgandam miſsi) Mediolanum ſe contulit Anno Redemptoris*
*Milleſimo quinquageſimo-ſexto, ſub Victore Papa Secundo: ibique*
*per decennium, vſque ſcilicet ad præſentem Annum, in eadem functione iugiter perſeuerans, in primis aduersus Guidonem, Schiſmaticum Archiepiſcopum præuaricatorem, conſtantiſsimè ſtetit. At verò, qui lupus in grege non paſtor erat, eumdem ipſum Arialdum, quem iugiter patiebatur monitorem & reprehenſorem infeſtum, dira iugiter vſque ad necem perſecutione vexauit. Quem tandem, proditione captum, & per ſuos ad inacceſſas ſolitudines, trans Lacum Maiorem poſitas, ductum (ne Populus commoueretur) necandum curauit.* B

VII. *Hic ipſe Arialdus, quem in Actis Mediolanenſibus, de Legatione Petri Damiani ſuperius recitatis, Diaconum eiuſdem Eccleſiæ, Catholicam Profeſſionem edentem, audiſtis* (qua tamen de re ſenſum ego meum aperiam infra, Libro 4. Capite 10. Num. 33.) *Hic ipſe, qui Sedis Apoſtolicæ auctoritate cum Landulpho Nobili Mediolanenſi primum, inde cum eius germano Herlembaldo Milite in hunc vſque diem aduersus eoſdem Nicolaitas atque Simoniacos plurimum laborauit: Sed quomodo, vbi proditione captus eſt, iuſſu Guidonis & trans Lacum ductus ad necem, ibi crudeliſſimè à duobus Clericis, miſſis ab Archiepiſcopi Nepte, altera Iezabele, ne ab illis, qui captum duxerant illuc, Arialdus occultaretur, & ſic à nece ſubtractus viuere ſineretur, fuerit interfectus, ſic accipe* (ſcilicet è prædicta Arialdi Vita). *Vbi duo illi Clerici illuc nauigio perueniſſent; egreſſi de naui dicunt ad eos, qui duxerunt: Vbi eſt Arialdus? Qui reſpondere, dicentes: Mortuus eſt. At illi, Nobis, inquiunt, à Nepte Archiepiſcopi iuſſum eſt videre illum, ſiue viuum, ſiue mortuum. Et aſpicientes videre illum eminus vinctum, ſedentem ſuper ſaxum: In quem ſic anxij irruunt, quomodo leonum catuli ſuper prædam famelici. Euaginatis igitur gladijs, ipſius vnus vnam, alter verò auriculam arripit alteram, dicentes: Dic furcifer, ſi Dominus noſter verè eſt Archiepiſcopus. Qui reſpondit: Nec eſt, nec fuit vnquam; quia opus Archiepiſcopi in ipſo non eſt, nec fuit vnquam.* Subdit Baronius: *Etenim per ſimoniam ingreſſus, ſimoniâ Sacra diſtrahere non ceſſabat; ſæpeque relapſus, eluſiſſet iam ſæpè Romanam Eccleſiam.* C D

VIII. Dehinc verò pergit Baronius vnà cum eiuſdem Vitæ Auctore. *Tunc immites vtramque amputant aurem. At ille, oculis in Cælum eleuatis, ait: Gratias tibi ago, Chriſte; quia hodie inter tuos Martyres*


tyres

*tyres me dignatus es connumerare. Interrogatus denique iterùm, ſi* A
*Guido verè eſſet Archiepiſcopus. Qui, ſolitam animi conſtantiam*
*tenens, ait: Non eſt. Quapropter naſus ipſius protinùs cùm labio*
*ſuperiore eſt abſciſſus: deinde ambo oculi ſunt effoſſi. Poſtea verò*
*dexteram detruncant manum, dicentes: Hæc eſt, quæ faciebat Epiſ-*
*tolas, Romam directas. Dehinc radicitùs membrum amputant ge-*
*nitale, dicentes: Prædicator caſtitatis hactenùs fuiſti: exhinc tu caſ-*
*tus eris. Poſtea verò ſub gutture linguam extrahunt, dicentes: Mo-*
*dò ſileat, quæ Clericorum familiam conturbauit & diſperſit. Et ſic*
*illa ſancta anima carne eſt ſoluta*, &c. Tum verò Baronius itidem:
*Porrò Syrus Presbyter, Auctor eius Vitæ, qui propè erat cuncta de* B
*Chriſti Martyre quàm exactiſsimè perueſtigans, cuncta quæ ſcrip-*
*ſit, ſatis ſuperquè habuit explorata.*

IX. *Qui poſt hæc narrare pergit de luminaribus, cælitùs miſsis, quæ Corpus*
*eius occultatum iterùm patefacerent. Sed quomodo ita ſæpè detectum,*
*in profundiorem Lacus voraginem demiſſum, atque tandem poſt de-*
*cem menſes ad ripam eiectum, adhuc integrum inuentum fuerit, ac*
*denique, armis vindicatum per Herlembaldum Ducem, Mediola-*
*num deductum, deque alijs ſignis, eius quâ potiretur in Cœlo gloriæ*
*indicibus, prolixiorem narrationem texit, quam nos breuitatis cauſa*
*dimittimus. Sic igitur poſt ſacras leges, toties repetitas aduersùs ne-* C
*fandos Nicolaitas & Simoniacos, Sanctorum Virorum præconio per-*
*uulgatas, poſt tot tantoſquè labores; ab Apoſtolicis Viris aduersùs*
*eiuſmodi hæreſes exantlatos; voluit Deus etiam ſanguine tanti Mar-*
*tyris conſignari traditam antiquam Eccleſiæ diſciplinam, & aſſerta*
*communi conſenſu Eccleſiæ ſacra dogmata; profligari verò errores,*
*qui diu multumquè denſa ſegete in agro Eccleſiæ excreuiſſent.*

X. *At non hoc datum Landulpho, Nobili Mediolanenſi, & in prædicatio-*
*ne Collega, vt martyrium conſummaret; licet multa paſſus, ſæpequè*
*percuſſus, cùm immiſſus ad eum occidendum ſicarius gladio venena-*
*to orantis ante Altare collum vulnere appetiſſet. Nam illæſus per-* D
*manſit, & cœpto operi ad obitum vſque inſtitit conſtantiſſimè. In cu-*
*ius locum ſuffectus ſucceſsit eius germanus Herlembaldus Dux: qui,*
*ſuo quidem germano felicior, ſanguine meruit eidem veritati teſtis*
*accedere. Sed de eo ſuo loco dicendum erit.*

XI. Suus autem hic locus abſque dubio eſt ad Annum Milleſimum ſep-
tuageſimum-ſextum, Art. 77. vbi Baronius hæc habet: *Eodem*
*Anno Herlembaldus, Dux Fidelium, qui in Eccleſia Mediolanenſi*

Catholici

*Catholici habebantur, reſiſtens Hæreticis atque Schiſmaticis, necatus* A
*ab ipſis, glorioſum eſt martyrium conſecutus. Quod ad tempus ſpectat; hunc planè Annum conſignat eius martyrij Scriptor, Syrus*
*Presbyter, de quo dictum ſuo loco ſuperiùs. Porrò idem Syrus, qui*
*nouit eum, & familiariter vſus eſt (vt ipſe in eodem Commentario,*
*quo Res geſtas Arialdi eſt proſecutus, affirmat) Volumen quoque ſe*
*ſcripſiſſe teſtatus eſt de Rebus ab Herlembaldo præclarè geſtis, dequè*
*martyrio conſummato. Quod cùm hactenùs in noſtras manus non*
*venerit; quæ tibi, Lector, de his præter hæc ſcribamus, non habemus.*
*Certè quidem perinſignem fuiſſe Chriſti Confeſſorem dum vixit, &*
*egregium Martyrem cùm occiſus, ex paucis, quæ de eo idem Syrus* B
*habet in Commentario Rerum geſtarum Arialdi Martyris, poſſumus*
*intelligere. Sed ex Gregorij Papæ Epiſtolis, ad eum datis (* & hæ
quidem in ora marginali indicantur 25. 26. 27. 28. Libri primi)
*quanti eum Pontifex fecerit, æquè poſſumus aſſequi. Porro in his*
*turbis, cùm Henricus (prout accepiſti Anni huius exordio) vexaret*
*Mediolanenſem Eccleſiam, & Longobardi magna ex parte pro Rege*
*agerent contra Pontificem, talia paſſum Herlembaldum, exiſtimandum.*

XII Hucuſque pro Arialdi & Herlembaldi ſanctitate luculentiſſimum
illud Baronij teſtimonium, quod ego Capitis huius initio geſtibundus pollicebar. Depromptum verò præſertim eſt ex Arialdi C
Vita illa, quam ego ſubſequenti complectar Libro: quamquè
pariter ego ab eruditiſsimo illo Antiquario, Domno Conſtantino
Caietano Abbate accepi, per alterum ſcilicet illum eruditiſſimum, mihiquè in re litteraria beneficentiſſimum, Carthuſiæ Papienſis tunc Priorem, Domnum Matthæum Valerium; ſicut
etiam in meis Ambroſianæ Baſilicæ ac Monaſterij Monumentis
ingenuè profitebar Num. 259. Annoquè Chriſti 1056. Ex eo
igitur antiquo exemplari, atque etiam fortaſsè Auctoris autographo, prudentiſsimus ille Prior talem Arialdi Vitam quàm fideliſſimè curauit exſcribendam, exſcriptamquè mihi poſtmodùm D
tradidit. Sed ego præterea, poſteaquàm ipſius verba cum ſuperioribus Baronij locis contuliſſem, obſeruaſſemquè nonnulla
mihi aliter videri, quàm Baronio viſa fuerint; eumdem Abbatem rogaui, vt recognoſcenda mihi denuò curaret omnia illa
eius Vitæ loca, quibus talis occaſio diſcordiæ niteretur, quæquè
propterea illi ſingillatim ſignificabam; quod & ille promptiſſimè
præſtitit; neque tamen aliquid diuerſum inuenit ab exemplari,

quod

quod ego iam habebam. Quali ergo quamquè probato exem- A
plari ego vtar, ſatis iam conſtat. Quemadmodùm eius ductu
nonnihil à Baronio diuerterim, ſic accipe. Nego enim, quod
ille aſſerebat, ab vno eodemquè Auctore conſcriptam fuiſſe tam
illam Arialdi Vitam, quàm Herlembaldi alteram, quæ nondùm
ad ipſius manus perueniſſet. Sic etiam eundem illum Auctorem
nego fuiſſe Presbyterum illum, nomine Syrum. Verè ſiquidem
non Syrus Presbyter, ſed Andreas Monachus Vallumbroſanus,
talem illam ſcripſit Arialdi Vitam, vt ſubſequenti Libro liquidiſ-
ſimè conſtabit Cap. 34. & deinceps; eamquè ſcripſit poſt alteram,
quæ ab ipſomet Syro ſimul cum Herimberto ſcripta iam fuerat. B
Verè itidem Andreas ille Vitam Herlembaldi non ſcripſit, ſed
alteri ſcribendam reſeruauit. Baronius quidem, vt nos ſupra vi-
dimus ad finem Numeri 3. opinionem ſuam elicuit ex his verbis,
ex ea Arialdi Vita depromptis: *Multa namque bona de hoc Viro*
*familiariter cognoui. Sed quia nuper in defenſione iuſtitiæ martyrio*
*eſt coronatus; in altero Volumine ſcripta relinquo.* Atqui meum
Vitæ illius exemplar ita prorſùs, & ad ſeriem narrationis con-
gruentiùs, habet Capite 16. *Multa namque bona de hoc Viro fa-*
*miliariter cognoui. Sed quia nuper in defenſione iuſtitiæ martyrio eſt*
*coronatus; ea alteri tam Volumini, quàm Scriptori relinquo; quia* C
*Beati Arialdi Vitam perficere velociter cupio.* Quod item Nume-
ro 5. Baronium videbamus Marchionis vocabulum accipientem
pro dignitatis nomine; mihi quidem potiùs videtur nomen ho-
minis proprium, corrupteque acceptum pro Melchioris nomi-
ne, ſicut & hodie vulgus noſter loqui ſolet. Nomen hoc habe-
tur in Prologo ſubſequentis Vitæ Arialdi: Lectorquè illud ibi
attentè examinet, quinetiam illud poſtea conferat cum ijs Capi-
tis primi verbis, quibus eiuſdem Arialdi Genitores nominantur.

## CAPVT XXI. D

*Pauli Morigiæ teſtimonium, Anno 1603.*

I. PAulo Morigiæ, Mediolanenſi, Sacriquè Ieſuatorum Ordinis Religioſo, multum ego fidei præſtare ſoleo tunc præſertim, cum Sacras in Vrbis aut Diœceſeos Eccleſijs Reliquias enumerat: Earum enim notitiam è proprijs ſingularum Eccleſiarum tabulis, vel etiam ex ipſiſmet earum

thecis

thecis Reliquiarijs, conquiſiuit, ac ſuo Mediolanenſis Vrbis & A
Diœceſis Sanctuario, Italicè conſcripto, Annoq; Chriſti tertio ſu-
pra Milleſimum ſexcenteſimum typis primùm edito, cõſignauit.
II. Cùm verò de San-Dionyſiana ſcriberet Eccleſia, cæteris Portæ No-
uæ Eccleſijs ad extremum adnumerata, ſic inter alia multa narra-
bat: *Si legge in vn Libro di Chroniche antiche, & in vn'altro ſtam-*
*pato* ( fortè autem illum innuebat, quem nos ſupra diximus typis
impreſſum Anno 1515. vel poſt Annum 1538.) *che in detta Chie-*
*ſa ci furono* (quidni verò tunc etiam illic erant, quando Morigia
hæc ſcribebat?) *il Corpo di Sant'Arioldo, Leuita & Martire: di*
*Sant'Erembaldo, Martire: de' ſette Machabei: di San Lucifero,* B
*Martire: di Sant'Eularia, Vergine e Martire: di Sant'Arnoldo,*
*Confeſſore. Appreſſo eraui il Corpo di San Dionigi: quel di Sant'*
*Aurelio, Veſcouo* Redicenſe, *che arrecò il Corpo di San Dionigi à*
*Caſſano: & i Corpi di Santo Cantio, Cantiano, & Cantianilla, fra-*
*telli &c. Tutti queſti ſanti Corpi* ( quæ videlicet proximè à Dio-
nyſij Corpore enumerauerat ) *furono traportati nella Chieſa del*
*Duomo l'Anno* 1528. ( nos ſuperioris Capitis 2. Num. 14. & Ca-
pitis 9. Numero 4. id abſcribebamus Anno 1538.) *il quattro Fe-*
*braio: ciò è, il Corpo di San Dionigi, & quello di Sant'Aurelio vn*
*giorno: e gli altri il giorno ſeguente. Della quale Tranſlatione ne rogò* C
*l'Iſtromento il Sig. Giouan Pietro Barnaregio, Notaro dell'Arciueſ-*
*couato. Et il vaſo precioſo di porfido, che s'adopra per lo Santo Bat-*
*teſimo nel Duomo, conteneua dentro il Corpo di San Dionigi. Dal*
*che ſi può ſapere, in quanta veneratione era tenuto da noſtri antichi*
*il Corpo di queſto illuſtre Mariano.* Quippe Morigia hunc San-
ctum Archiepiſcopum noſtrum Dionyſium ex illuſtri Marliano-
rum familia Mediolanenſi progenitum eſſe ſupponebat.

## *CAPVT XXII.*

*Nouarienſis Epiſcopi, Ciuiſquè Mediolanenſis, Caroli à Baſilica Petri, teſti-* D
*monium, Anno* 1612.

I. PRimo præſentis Libri Capite, Numero 4. videba-
mus, quemadmodùm Carolus à Baſilica Petri
Nouariæ ſuæ Libro Primo profiteretur à ſe nar-
ratam infra ſub Oddone Epiſcopo Hiſtoriam
Arialdi noſtri.
II. Verè autem res iſta ſe habet. Libro enim Secun-
do,

dò, in Oddone, nominis huius Secundo, inter Epiſcopos Noua- A
rienſes Quadrageſimo-octauo, his eam Hiſtoriam proſecutus eſt
verbis: *Hic Epiſcopus incurrit in tempus calamitoſæ illius conten-
tionis, quæ Mediolani in Clero & Populo exorta eſt: quamquè alias
quoque Eccleſias attigiſſe non eſt dubium, Nouarienſem præſertim.
Deprauatæ varijs modis multæ Eccleſiæ cis & trans Alpes erant, ſu-
periorum temporum infelicitate, præſertim incontinentia Clericorum,
& Simonia. Mediolanenſis hoc etiam laborabat, vt aliæ multæ; quòd
Eccleſiæ* Romanæ *non parebat* (qua tamen in re Carolus de Medio-
lanenſi fallitur Eccleſia, ſicut ego in Ambroſianæ Baſilicæ ac Mo-
naſterij Monumentis abundè iam probaui) *Cùm autem Summus* B
*Pontifex Leo & Succeſſores in emendationem morum, ac diſciplinæ
collapſæ reſtitutionem incumbere cœpiſſent; multas nacti ſunt diffi-
cultates, Mediolani præſertim. Vbi tamen Arialdus Diaconus, ex
Archiepiſcopi domo, & ex Decumanis Eccleſiæ Maioris, veritatis
& iuſtitiæ ſtudio incenſus, publicè pro ea pugnare, & aſcito Landul-
fo Cotta, Patricio primario, licet Laico* (in hoc item fallitur Caro-
lus; quippecùm Landulfus ille re vera fuerit Eccleſiæ Metropoli-
tanæ Canonicus Ordinarius) *Clericis, incontinentiam ſuam perti-
naciter ac Simoniacam hæreſim tuentibus, palàm aduerſari, vitia-
què inſectari non eſt veritus; itaut inſignes tumultus exorti ſint, mul-* C
*taquè violenter & iniurioſè contra Clerum commiſſa, & contra ip-
ſos Eccleſiaſticæ diſciplinæ defenſores; de quibus apud Scriptores Me-
diolanenſes. Nam & licere ſibi vxorem ducere, non Mediolani ſo-
lùm, ſed alijs locis multis Sacerdotes erant, qui aſſeuerabant, Nico-
laitarum hæreſim ſequentes. Quæ in re quorumdam Scripta adhuc in
eo genere apud nos reſtant corrigenda* (quæ quidem Scripta ego in-
terpretor non alia fuiſſe, quàm Landulfi Senioris & Arnulfi Me-
diolanenſes Hiſtorias, quas ego ipſe iam ſupra indicaui) *Talis
erat Eccleſiæ Dei corruptela: & huiuſmodi fructus eſt eorum, qui ab
Eccleſia Romana deſciſcunt.* A qua quidem deſciuiſſe Mediola- D
nenſes opinabatur Carolus; ſed errabat; vti iam diximus.

III. Sequitur idem Carolus: *Re delatâ ad Stephanum Decimum, Ponti-* I
*ficem Romanum, qui tum Pontificatum geſſit; Litteris ſuis Mediola-
nenſes hortatus eſt, vt à vi temperarent; Archiepiſcopum verò, vt
coacta Synodo rebus conſuleret. Pluribus Epiſcopis Prouinciæ coac-
tis, Conuentum habuit Fontaneti, in hac Nouarienſi Diœceſi: locum
aliàs diximus inſignem fuiſſe Abbatia, cuius Eccleſia, Sancti Sebaſ-* II
*tiani*

*tuum nomine dicata, ſtat adhuc, Romanis Inſcriptionibus & marmoreis fragmentis nobilitata, quæ antiquæ artis elegantiam teſtantur. Epiſcopi, Arialdo & ſocijs fruſtra vocatis, demùm contra illos, vt homines à Romana auctoritate adhuc alieni (* quippe Carolus hic etiam in ſuo illo errore de Mediolanenſi præſertim Eccleſia perſeuerat*) ſtatuerunt, Cleri vitijs indulgentes.* A

IV. *In his, non dubium, quin fuerit etiam Oddo noſter, minimè hac in re prudens, quemadmodùm Catalogus noſter eum facit, ſi conſenſit cæteris.*

V. *Sacræ autem diſciplinæ defenſores, in quibus erant etiam ex Clero multi, Arialdo Romam eundum conſtituerunt. Vbi à Nicolao Secundo, qui Pontificatum iniJt Anno* 1059. *Legatos obtinuit ad Mediolanenſem Eccleſiam, Petrum Damianum (illum ſanctitate ſacriſquè litteris illuſtrem, Oſtienſem Epiſcopum) & Anſelmum Lucenſem: qui furentis Cleri pericula vix euaſerunt: immò & Populi, qui Legatorum Romanorum auctoritatem vix ferebat.* B

VI. *Legati demùm rem confecerunt: Clerus Populuſquè, naturæ bonitate adiutus; ipſe etiam Archiepiſcopus Vido, qui ferè alienorum criminum diſſimulatione tantùm peccaſſe videbatur, peccatum agnouerunt, veniam petierunt, pœnaſquè à bono Legato, Petro, iuramento obſtricti acceperunt.*

VII. *Mox Archiepiſcopus Romam euocatus eſt. Quem, Arialdo cum ſocijs accuſante, defenderunt, vt Arnulphus & Triſtanus ait, Epiſcopi Prouinciæ Mediolanenſis, præſertim Aſtenſis, Taurinenſis, & Nouarienſis: iſquè Oddo fuerit, neceſſe eſt.* C

VIII. *Deinde, Clero rurſùm tumultuante, cùm neque Archiepiſcopus in ſententia maneret, ſeditione armiſquè rurſùs Ciuitas multis annis fœdiſsimè turbata eſt.*

IX. *Arialdus ipſe crudeliter in Inſula Lacus Verbani, huius Diœceſis, de qua ſuperiùs (*& de qua ego item Capite primo*) fuit necatus: & Landulfus, telo percuſſus, haud multò pòſt interijt; quibus tamen in ea contentione alij ſucceſſere. Qua de re latiùs agendi hic locus non eſt. His de rebus latè Sigonius; & demùm Baronius Cardinalis, ex Petri Damiani ſcriptis.* D

X. Hucuſque Carolus à Baſilica Petri: qui tamen Herlembaldum Cottam nullibi hac in cauſa nominauit; ſed ſolummodò Landulfum, eius fratrem; de quo nobis multa ſupererunt in huius Operis progreſſu.

## CAPVT XXIII. A

### *Leonardi Coquæi teſtimonium, Anno 1616.*

I. TEſte nunc quidem vtor, non tantùm mihi dilectiſ-
ſimo, ſed etiam viciſſim mei amantiſſimo; ſed,
heu, quàm intra breue tempus mihi ſublato!
Patria ille fuit Aurelianenſis, Ordine autem Re-
ligioſo Auguſtinianus Eremita, omnibus ad ſtu-
porem virtutibus excultus, Sacræ verò etiam
Theologiæ Doctor perinſignis, quinetiam Catholicæ Fidei pro- B
pugnator aduersùs Hæreticos acerrimus: multoſquè præterea
per annos vſque ad obitum maximo habitus in honore Confeſſa-
rius fuit Sereniſsimæ Chriſtianæ à Lotharingia, Magnæ Etruriæ
Ducis. Hæc ipſa impenſiſsimè illum Federico Cardinali Archie-
piſcopoquè noſtro Bortomæo, quocum multa ipſi familiaritas
erat, commendauit, accepta occaſione, qua Mediolani typis im-
primendus erat illius *Antimornæus, id eſt, Confutatio Myſterij Ini-
quitatis Philippi Mornæi*, Caluiniani perditiſſimi, perdendiquè
Romanæ Primatus Eccleſiæ auidiſſimi: Opus profectò varia re-
fertum eruditione, ac litteratis hominibus vtiliſſimum: *in quo* C
(ſicut etiam in fronte veraciſſimè præfert) *elucidata Hiſtoriæ veri-
tate, Romani Pontifices vindicantur ab Aduerſarij calumnijs: ab er-
roribus ſacra eorum auctoritas ac Fides Orthodoxa aſſeritur: Impera-
torum Regum ac Principum iura, tum Bellarminus & Baronius Car-
dinales defenduntur.* Per eamdem igitur occaſionem Mecœnas
ille meus, iure merito in omne tempus nec vnquàm ſatis cele-
brandus, ſicuti me poſt Humanæ Diuinæquè Philoſophiæ ſtudia
iamdudùm addixerat Controuerſijs præſertim aduersùs Æui noſ-
tri Hæreticos; ſic etiam tunc inuigilare me protinùs iuſſit, vt eius
Operis impreſsio, quantò fieri per omnia poſſet, emendatior D
euaderet; cùm præſertim exemplar, huc tranſmiſſum, ex Aucto-
ris autographo inſcitè admodùm & infideliter eſſet ab amanuen-
ſi exſcriptum, & frequentiſſimis erroribus ſcateret. Hinc igitur
Auctor etiam ipſe ſummopere me dilexit, atque per mutua Epiſ-
tolarum officia ſtatim amicitia inter nos arctiſſima coaluit. Ea
tamen paulò diutiùs, quàm per annum, durauit. Cùm enim
Anno 1616. Septembri menſe, finis eſſet Operis impreſsioni da-

tus; Nouembri ſubinde menſe Auctor etiam ipſe finem inter mortales viuendi fecit, maximumquè ſui deſiderium mihi etiam reliquit. A

II. Quantus verò Doctor ipſe fuerit, non è prædicto tantùm eius Antimornæo colligi poteſt, verùm etiam ex eruditiſſimis in Sancti Auguſtini Libros *De Ciuitate Dei* Commentarijs, quæ ſimul cum reliquis eiuſdem Auguſtini Operibus Anno 1613. typis impreſſa Pariſienſibus in lucem prodierunt.

III. Nunc ad eius pro præſenti cauſa teſtimonium veniamus. Antimornæi Tomo Primo, pag. 521. Coquæus recitauerat hæc Mornæi de Guidone, Archiepiſcopo noſtro, verba: *Anno ſequenti* B 1066. *pars eius, haud dubiè par pari reddiτura, ita ſe comparat, vt Arialdus fuga ſibi conſulere cogatur: ab eaque retractus, tamquàm malorum omnium author, miſero fœdoquè ſupplicio crucietur. Cuius exemplo perterritus Herlembaldus, ſibi tum quieſcendum exiſtimat.* Subinde verò protinùs hunc in modum reſpondit: *Tum Pſeudoarchiepiſcopus Guido Arialdum, proditione captum, & per ſuos ad inacceſſas ſolitudines, trans Lacum Maiorem poſitas, ductum (ne Populus commoueretur) necandum curauit. De hac morte fusè Baronius ad eum Annum Art.* 19. *Miſerum fœdumquè vocat ſupplicium Mornæus. At ego pretioſam in conſpectu Domini mortem illius,* VT SANCTISSIMI MARTYRIS, *qui tam ſtrenuè pro diſciplina Eccleſiaſtica reſtituenda contra Simoniacos & Nicolaitas laborauerat, appello. Malorum omnium author habetur Arialdus? Vtique & Chriſtus Dominus à Iudæis ſeductor dicebatur: & Chriſtiani olim à Paganis omnium malorum authores habebantur.* C

IV. *De Herlembaldo, quanta humilitate & charitate flagraret, docet ex Syro Presbytero* (veriùs, vt ſupra etiam obſeruabam, *ex Andrea Monacho*) *in Vita Arialdi Martyris Baronius ad Annum Chriſti* 1061. *Art.* 60. *Idem Anno* 1076. *Art.* 77. *Cùm Dux eſſet Fidelium, qui in Eccleſia Mediolanenſi Catholici habebantur, reſiſtens Hæreticis atque Schiſmaticis, necatus ab ipſis* GLORIOSVM MARTYRIVM EST CONSECVTVS. *Quod contigiſſe exiſtimat, cùm Henricus vexaret Mediolanenſem Eccleſiam, & Longobardi magna ex parte pro Rege agerent contra Pontificem. Extant Epiſtolæ Gregorij Septimi ad eumdem, Libro primo* 25. & 26. D

## CAPVT XXIV. A

*Philippi Ferrarij teſtimonium, Anno 1625.*

I. QVæſtionem, quæ nobis eſſe poterat de Sancto
Arealdo Martyre, in Vrbe Cremonæ culto, di-
uerſuſnè ſit, an idem cum noſtro, Auctor hic ita
diſſoluit, vt diuerſum aſſeruerit: in Catalogo vi-
delicet, quem Venetijs Anno 1625. edidit, San-
ctorum, qui non ſunt in Martyrologio Romano.

II. Etenim quinto Kalendas Iulij ſic habet: *Apud Lacum Larium* (ſed B
error eſt, & ex veritate legendum eſt *Apud Lacum Verbanum*)
*Sancti Arialdi, Diaconi Mediolanenſis, & Martyris.* Mox au-
tem in Notis: *Ex Baronio in Annalibus; ad Annum 1066. quo is
paſſus eſt, à Schiſmaticis interfectus. Cuius Geſta præclara pluri-
bus referuntur.*

III. Deinde verò Calendis Septembris: *Cremonæ Sancti Arealdi, Mar-
tyris.* Ac itidem in Notis: *Ex Tabulis Sacris Eccleſiæ Cremonen-
ſis. Paſſus Brixiæ fertur. Quando, neſcitur. De eo in Tabulis
Epiſcoporum Cremonenſium. Eſt & Arialdus, Diaconus & Mar-
tyr Mediolanenſis: de quo ad diem 27. Iunij.* De hoc igitur Are- C
aldo Ferrarius ſolùm attendiſſe videtur Blaſij Rubei teſtimo-
nium, hic à nobis Capite 19. recitatum; ac propterea nullum aſ-
ſignaſſe tempus, quo ille paſſus fuerit; quod tamen hic item no-
bis Capite 17. à Ludouico Cauitellio aſſignabatur.

IV. Quid porrò nobis de quæſtione illa ſentiendum videatur: id Capite
ſequenti, Num. 17. aperiemus.

## CAPVT XXV.

*Peregrini Merulæ teſtimonium, Anno 1627.* D

I. HOC ipſo Anno, Cremonæ in Vrbe typis ille Li-
brum edidit, inſcriptum: *Santuario di Cremo-
na, nel quale ſi contengono, non ſolo le Vite de'
Santi di tutte le Chieſe, e di quelli i cui Corpi in
alcune di eſſe ſi ripoſano, ma anche le Reliquie e
coſe notabili di ciaſcuna di eſſe.* Semetipſum au-
tem

tem

tem profeſſus eſt Apoſtolicum Protonotarium, & Eccleſiæ Sanctorum Nicolai & Michaelis Noui Rectorem. A

II. De Sancto autem Arealdo Martyre luculenter & ex inſtituto ille ſcripſit è pagina 247. atque ab hoc titulo auſpicatus: *Nella feſta di Santo Arealdo Martire: il cui Corpo è ſotto Confeſſione del Duomo.* Hoc enim præmiſſo, hæc proſequitur: *Nacque Arealdo da nobili e ricchi parenti nella Villa di Cuſago, poſta nella ſtrada, per la quale ſi và da Milano à Como. Atteſe alle lettere, & alla diſciplina Eccleſiaſtica: dalla quale fù promoſſo all'Ordine del Diaconato. Viſſe l'Anno 1056. in quel tempo, nel quale erano corrotti i coſtumi del Clero Milaneſe. Onde, moſſo dall'amore della ſua Chieſa, s'inuiò à Milano: doue giunto predicaua, eſſortando il Clero à viuere ſecondo le Sante Conſtitutioni.* B

III. *Auuiſaua egli ſpeſſo con Lettere Papa Nicolò, pregandolo à rimediare à gl'abuſi di quel Clero: che perciò per mezo ſuo furono mandati Ambaſciatori al ſodetto Pontefice; come affermano gl'antichi Atti Romani de' Pontefici, raccolti da Nicolò Cardinale d'Aragona, dicendo così: Vennero i Legati de Milaneſi nell'Anno 1059. pregando il Pontefice Romano, che ſi degnaſſe rimediare alle rouine, che ſopraſtauano alla Chieſa Ambroſiana. Il quale, moſſo à pietà, deſtinò all'Arciueſcouo di Milano il Cardinale Pietro Damiano, & Anſelmo Milaneſe, Veſcouo di Luca; che poi fù Papa Aleſſandro Secondo.* C

IV. *Non ceſſaua il Santo Diacono di dar contezza di quanto occorreua ad Aleſſandro Pontefice: il quale nella promotione al Ponteficato ſcriſſe al Clero di Milano, eſſortandolo à ſeguir l'orme de ſuoi paſſati Paſtori, in ogni virtù eccellenti.*

V. *Arealdo, huomo veramente Cattolico, con Eubaldo* (quo nomine hic Auctor videtur Herlembaldum intellexiſſe) *andò à Roma, e fece conſapeuole il Papa di quanto occorreua: il quale rimandò i due Serui di Dio à Milano, acciò ſtaſſero conſtanti nelle ammonitioni ſino all'effuſione del ſangue.* D

VI. *Molti auuiſauano Arealdo, che non così liberamente riprendeſſe l'Arciueſcouo, e Clero; & gli perſuadeuano à laſciar la cauſa di Dio. Mà egli, ſeguendo il detto dell'Apoſtolo, inſtaua opportunè & importunè: & di tutto ne daua parte al Papa, acciò faceſſe qualche prouiſione: il quale fece molti Decreti vtiliſſimi per la Chieſa di Milano, che ſi leggono nella ottanteſima-prima Diſtintione in molti Canoni.*

VII. *Fù con varij e crudeli tormenti fatto morire per la Fede di Chriſto, come*

*me racconta il Baronio l'Anno* 1077. (veriùs ad Annum 1066.) A
*Lo ſcriue Nicolo Cardinale d'Aragona nelli Atti antichi de' Pontefici Romani.*

VIII. Ecce igitur hic nobis Arealdi Vitam, qualem Peregrinus hic Merula Cremonenſis ſcribebat. Ecce verò, quales item in eam Obſeruationes illicò adiecerit: has nimirùm: *Racconta il Cauitelli ne gl' Annali, à charte* 103. *che Gerardo de Maggi, Breſciano, e Veſcouo della Città* (videlicet Cremonæ) *l'Anno* 1305. *traſportò il Corpo di Sant' Arealdo da Breſcia à queſta Città, e lo collocò in queſta Chieſa: l'iſteſſo fù trasferito nella Chieſa Cathedrale l'Anno* 1484. *per opra d'Iſaco Reſtallo, Canonico del Duomo.* B

IX. *La ſua feſta ſi celebra il primo di Settembre, nel qual giorno fù traſportato à Cremona.*

X. *L'Anno* 1614. *alli* 8. *di Giugno, il ſodetto Corpo Santo fù traslatato con altri Corpi Santi. Nell' Arca, in cui fù riposto, ſi leggeua: Anno poſt Ortum Chriſti* 1614. *die ſeptimo Iunij, huic Arcula mandatum eſt, non paruo totius Ciuitatis ſumptu, Corpus Sancti Arealdi Martyris, per Illuſtriſſimum & Reuerendiſſimum D. Ioannem Baptiſtam Brunum, Cremonæ Epiſcopum.*

XI. *Il ſuo Corpo, rinchiuſo in vna Caſſetta di Cipreſſo, coperta di Damaſco roſſo, con ſopra l'Imagine dipinta del Santo à ſpeſe della Fabrica, fù* C
*portato nella Proceſſione da quattro Canonici della Cathedrale, ſotto vn' Baldacchino di Damaſco roſſo, ſoſtenuto da quattro Sacerdoti con Tonicelle di color' roſſo. In vn' Arco trionfale ſi leggeua: Diuis Archelao & Arealdo, ſanguine ob Chriſtum Seruatorem profuſo aureas Coronas adeptis, ab Æthere ſuos hic Cineres Cremonenſemquè Rèmpublicam reſpicientibus, Arcas, Aras, Arcus eadem pia & fidelis Hoſpes condidit, dicauit, erexit.*

XII. *Queſta Chieſa fù dal ſuo principio dedicata al Glorioſo Martire Arealdo, e doppo molti anni inueſtita del titolo Abbatiale de Tutti i Santi* &c. Hæc Auctor eo, quem dicebam, loco. D

XIII. Certè autem idem Merula in multis quoque alijs eiuſdem Vrbis Eccleſijs aliquas extare commemorat eiuſdem Sancti Arealdi Reliquias, vt hinc etiam intelligamus, ipſum penè certatim ea in Vrbe cultum eſſe. Præter Eccleſiam enim Cathedralem, in qua ſitum dicitur eius Corpus, aliquæ item in aliquot alijs extant Eccleſijs; videlicet pagina 57 in Eccleſia Sanctorum Iacobi & Vincentij; pag. 116. in Sanctæ Monicæ; pag. 202. in Sancti Dominici;

Dominici; pag. 228. in Sancti Bernardi; pag. 290. in Sancti Ho- A
moboni; pag. 316. in Sancti Syri Eccleſia.

XIV. Sed illud etiam obſeruatione dignum eſt, quòd ijs in locis ali-
quando ſimplici ac ſolo Sancti Arealdi nomine nuncupatur, vt
pag. 57. & 116. aliquando Martyris etiam appellatione ſuperad-
dita, vt pag. 228. 290. & 316. nonnunquàm verò Diaconi
etiam, vt pag. 2. in Eccleſia Cathedrali, & pag. 202. Et hæc
quidem nobis deprompta ſint ex eo Peregrini Merulæ San-
ctuario.

XV. Atqui ne illud quidem hoc loco prætermittendum videtur, quod
iamdudùm mihi ſignificauit amiciſſimus idemquè doctiſsimus, B
& adhuc quidem propitiante Deo ſuperſtes, Angelus Benedictus
Creſcentinus, Ciuis Mediolanenſis, Cathedralis Eccleſiæ Cre-
monenſis Theologus, & antea in Vrbis huius noſtræ Collegio
Helueticorum, & in Clericorum noſtratum Seminario Præfec-
tus Studiorum meritiſſimus. Cùm enim à me rogatus fuiſſet, vt
quàm diligentiſſimè ſcrutaretur, num ea in Vrbe ſacris eiuſmodi
Reliquijs adſcriptum re vera eſſet Arealdi, an Arialdi nomen; per
ſuam ille mihi Epiſtolam, Anno 1638. die 22. Ianuarij datam,
reſpondit, à ſe in Sancti ſolummodò Dominici Eccleſia, ſeu in
eius Cappella, quæ vulgo *Del Nome di Dio* appellatur, inuentam C
eſſe Thecam reliquiariam, in qua Martyris huius Reliquiæ non
aliter appellentur, quàm SANCTI ARIALDI, LEVITÆ.
Quod quidem aliquali documento mihi eſt, ne Cremonenſibus
quidem negotium faceſſiuiſſe vllum, quòd vnus idemquè Mar-
tyr ille vocaretur Arealdus, vel Arialdus; quemadmodùm ego
item ſuperiori Capite 17. Num. 4. præmonebam. Sed hinc ad
ſuperius Merulæ teſtimonium reuertamur, illudquè cum Ludo-
uici Cauitellij, Blaſij Rubei, & Philippi Ferrarij teſtimonijs con-
feramus.

XVI. Arealdum ſuum Merula fatebatur vnum penitùs & eundem, D
fuiſſe cum Arialdo illo, quem Baronius ſapienter crediderat An-
no vixiſſe Chriſti ſupra Milleſimum quinquageſimo-ſexto, ac
poſtea ſexageſimo-ſexto crudeliter & impiè necatum, & ad Ver-
banum quidem Lacum. Non igitur Cauitellio credidit, cum
affirmanti necatum eſſe circiter Annum Chriſti Centeſimum tri-
geſimum-quartum, & ad Vrbem quidem Brixiam: & quia hæc
illi non credidit, immò verò ne fide quidem digna exiſtimauit;

propterea

propterea etiam hæc ipſa ne ipſi quidem adſcripſit Cauitellio, A
cùm eius teſtimonium proferret, vt proximè vidimus Numero 8.
Quod itaque illi credidit, hoc in primis erat: Arealdum Anno
Milleſimo trecenteſimo-quinto ex Vrbe Brixia translatum eſſe
Cremonam. Quoniam verò altera ex parte Arialdum noſtrum
conſtat in San-Dionyſiana demùm Eccleſia ſepultum antea fuiſ-
ſe; idcircò etiam reliquum pariter hoc illi erat, vt eumdem
Arealdum ſuum priùs ex ea Mediolani Eccleſia translatum eſſe
Brixiam fateretur. Quoniam item rursùs obſtare illi poterant ij
Scriptores, à quibus Arialdi Corpus aſſerebatur etiam poſt An-
num illum Milleſimum trecenteſimum-quintum in eadem illa B
Eccleſia quieuiſſe; certè ſemet ab ijs expedire potuiſſet hac ſaltem
ratione, Scriptoribus etiam Eccleſiaſticis in hoc rerum genere
non improbata, nec inuſitata; quia nimirùm aliquid ex Arialdi
Corpore relictum illic fuerit eo tempore, quo translatum inde
fuit; indequè propterea Scriptores, nomine totius communica-
to parti, Corpus ipſum etiam deinceps ibidem quieuiſſe aſſerue-
rint. Talia vtique mihi videntur conſectaria, in quæ tandem ſu-
perior deſinat Merulæ opinio, ad Baronij ſententiam compoſita.

XVII. Quòd ſi fortè Cremonenſes in eamdem opinionem ac ſenten-
tiam conueniunt; ego ſanè repugnare non auſim; tametſi per C
eam Ciuitas noſtra potiori priuetur eius Sacri Corporis parte,
quod alioqui totum apud nos adhuc quieſcere ſimul ac latere
non negarent Cauitellius & Rubeus; ſicuti ne Ferrarius quidem
negauit. Iacturam enim eiuſmodi noſtram non mediocriter
compenſare conſolariquè poſſet tam celebris ille cultus, eidem
Sacro Corpori per Cremonenſes tanto iam ex tempore ſolitus
impendi. Sin autem Cauitellio & Rubeo adhærere malint; ipſi
videant, quàm probabili nitantur fundamento. Vtrùm Caui-
tellius ex Auctoris illius incogniti fragmentis, ſibi datis, compre-
henderit, non modò Arealdi Oſſa per eum Epiſcopum ex Vrbe D
Brixia fuiſſe Cremonam aſportata, ſed Arealdum quoque ipſum
Brixiæ fuiſſe martyrio affectum circiter Annum illum Centeſi-
mum trigeſimum-quartum: id quidem ſubobſcurum & ambi-
guum eſt, neque ſatis certò ex ipſiuſmet Cauitellij verbis diſcer-
ni poteſt. Tale ipſius pronunciatum Rubeus deinde ita videtur
imminuiſſe, vt ipſum non ad tempus illud, ſed ad ſolam Brixiæ
Vrbem contraxerit. Sed & multò magis illud poſtea imminuit

taciteque

taciteque negauit Merula, qui ne ad eam quidem Vrbem illud A
contraxit. Ferrarius porrò, prima Semptembris die, de Arealdo
ipſo, quem ſupponebat Brixiæ necatum, ita ſenriebat: *Paſſus
Brixiæ fertur. Quando, neſcitur.* Mihi autem (vt liberè loquar)
tam neſciri videtur, cum Brixiæ paſſum eſſe, quàm quo illic tem-
pore paſſus ſit; vt propterea ne Brixiæ quidem paſſus ille ferri di-
cique poſſit. Meritò itaque Merula vtrumque illud prætermiſit:
& ſicut prætermittendo reliquerat erroris ſuſpectum; ſic etiam
manifeſti damnauit erroris, cùm ſibi Cardinalis Baronij ſenten-
tiam ſelegit. Qua quidem ſelecta id etiam obtinuit, vt certum
ſaltem aſſignauerit Martyrem, nomine Arialdum, ſiue Areal- B
dum; de quo ſatis conſtat, quando & vbi paſſus fuerit ac ſepul-
tus; & cui nihil repugnat, quin potuerit inde transferri Brixiam
priùs, quam ea ex Vrbe Cremonam deferretur.

XVIII. Summa verò præſentis Capitis hæc denique ſit, quòd Peregrini
huius Merulæ iudicio meritiſſimè Sanctis Martyribus Leuita hic
noſter Arialdus connumeratur, & ab Eccleſia Catholica colitur.

## *CAPVT XXVI.*

*Ioannis Baptiſtæ Villæ teſtimonium, Anno* 1627. C

I. EOdem hoc Anno, præter Peregrinum Merulam,
Cremonenſem, in promptu nobis eſt Ioannes
Baptiſta Villa, Mediolanenſis: qui tunc tempo-
ris in Collegiata Sancti Babylæ Eccleſia Cano-
nicatum obtinebat: quique poſtmodùm pro
ſua Cantus Ambroſiani peritia, cæteriſquè doti-
bus laudabili Sacerdote dignis, ad Chori Metropolitani Magiſte-
rium promotus eſt à Federico Cardinali Archiepiſcopoque Bor-
romæo: cui etiam percharus erat ob eum Librum, quem typis D
eodem illo Anno ediderat Italicum De Septem Stationalibus de-
què nonnullis alijs inſignioribus Vrbis huius Eccleſijs.

II. Sicut autem inter inſigniores huiuſmodi Eccleſias iure merito San-
Dionyſiana quoque computatur; ita etiam de ipſa ille ſcripſit à
pagina 263 vſque ad 270. & his quidem verbis ad extremum pa-
ginæ 265. initiumquè ſubſequentis: *Il Padre Moriggia nel ſuo
Santuario di Milano dice hauer letto, come in queſta Chieſa vi ſono*

*(mà non ſi sà, done) li Corpi dell'infraſcritti Santi : ciò è , di Sant Arnoldo, Leuita & Martire: di Sant' Erembaldo, Martire, della famiglia Cotta : di San' Lucifero, Martire: di Sant' Eulalia , Vergine & Martire : di Sant' Arnoldo , Confeſſore: delli Santi ſette fratelli Machabei* &c. A

## CAPVT XXVII.

*Hieremiæ Drexelij teſtimonium, Anno* 1638.

I. HVnc ego Annum ex eo ſupputaui , quo doctiſsimus & pijſsimus hic è Societate Ieſu Pater, & Vitæ Spiritualis Magiſter, occubuit. Cùm enim quinquageſimum-ſeptimum ætatis ageret Annum; eo ipſo Chriſti Anno 1638. vndeuigeſima die Aprilis, ex hac mortali abijt vita. Sic enim habetur initio eius Operum, quæ duobus vaſtæ molis comprehenſa Voluminibus,& Antuerpianis edita typis , prodierunt in publicum Anno Chriſti 1643. quæquè venerabilem præferunt etiam eius effigiem, pereleganter & affabrè ex ære expreſſam. B

II. *Omnia ſi perdas* (ſapientiſsimè docebat ille in Opuſculo *De Æternitate*, Conſideratione 9. Concluſione 2.) *animam ſeruare memento. Omnia penè membra amiſit Arialdus , Mediolani Diaconus, homo patria nobiliſſimus (nam Marchionis frater fuit) ſed & vita ſanctiſſimus; vt qui conſtantiſſimè Hæreticis alijſquè flagitioſis hominibus reſtitit, demùm ad necem ductus eſt. Aures ei præſectæ , ſuperiora labra mutilata, præciſa nares, lingua ſub gutture euulſa , oculi effoſſi, dextera amputata, taceo cætera. Hic Diuus in corpore verè perditiſſimo ſeruauit animam : & , vitam vt acquireret, vitam perdidit Anno à Pariente Virgine Milleſimo ſexageſimo ſexto. Syrus Presbyter in eius Vita ad Rudolphum Abbatem Vallis-Vmbroſæ.* C D

III. Hæc vtique Drexelius è Baronio accepit, nécnon etiam vnà cum ipſo dupliciter errauit. Primò quidem; quia Marchionis (ſicuti vulgus noſter corruptè nunc etiam loqui ſolet) ſiue Melchioris nomen proprium accepit pro Marchione , dignitatis agnomine. Secundò autem; quia pro vero eius Vitæ Arialdi Auctore , Andrea Monacho, Presbyterum illum, nomine Syrum, allegauit.

## *CAPVT XXVIII.* A

*Ranucij Pici teſtimonium, Anno* 1642.

I. PRobationes, à me præſenti Libro deſtinatas, optimus ille proſequatur ſenex, idemquè Doctor peritiſſimus, Ranucius Picus, Parmenſis, erga me quidem officioſiſſimus. Plurimos ille annos Sereniſſimo Duci ſuo fuit à Secretis. Atqui politicas eius Aulæ curas, magis è propinquo ad Cæleſtem aſpirans Aulam, hoc denique lenimento temperauit, vt B quamplurimas Sanctorum Hominum Vitas conſcriberet. Hinc binas ille Partes ſeparatim edidit inſcriptas, *Dello Specchio de Prencipi, ouero delle Vite de Prencipi Santi.* Hinc tertium Volumen, *Il Cortigiano Santo, ouero la Vita di Sant'Eleazaro, Conte di Ariano.* Hinc quartum, *Theatro de Santi e Beati della Città di Parma, e ſuo territorio.* Hinc quintum, & poſtremum, *Appendice de vari Soggetti Parmigiani, che ò per bontà di vita, ò per dignità, ò per dottrina ſono ſtati in diuerſi tempi molto celebri & illuſtri.* Hæc enim Volumina ille mihi largitus eſt: neque mihi adhuc alia ipſius Opera, typis impreſſa, innotuerunt. C

II. Poſtremum autem illud è Parmenſi Marij Vineæ typographia prodijt in lucem Anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo-ſecundo: atque felicibus auſpicijs ab Arialdo noſtro ſic incœpit: *Di Arialdo, Chierico Parmigiano.* In extremo nimirùm Præfationis exorſurum ſe dixerat ab ijs, qui ſeſe innocentia vitæquè integritate conſpicuos reddidiſſent. Dehinc ergo ſic etiam exorditur: *Trà i quali, il primo, che mi ſi fà innanzi (ſeruando l'ordine de' tempi) è Arialdo, Chierico Parmigiano, che fù dell'Ordine de i Decumani della Chieſa Archiepiſcopale di Milano: il quale, benche il Sigonio* (Libro 9. De Regno Italiæ, Anno 1058.) *dica,* D *che era opinione, ch'egli foſſe Milaneſe, della famiglia Alciati, fù però veramente Parmigiano; ſi come lo fà il Padre Don Arnoldo VVion nel ſuo Ligno Vitæ* (Libro 3. die 10. Martij) *Egli hebbe ventura di ſpargere il ſangue, e di ſpendere la ſua vita con crudeliſſima morte, che gli fù data à 29. di Giugno, eſſendo gittato con vna gran mola al collo nel Lago Maggiore, come narra il detto Sigonio Anno* 1066. *per difeſa della Religione Catolica, contra li He-*

*retici e Simoniaci, che in quel tempo perturbauano fieramente la Chieſa di Milano; ſi come narra il medeſimo Sigonio, e prima di loro Triſtano Calco nelle Hiſtorie Milaneſi.* A

III. Hactenùs ille de hoc Sancto Martyre. Subinde verò ſeparatim proſequitur de Beato Andrea, Vallumbroſano Abbate, qui olim fuerat eiuſdem Arialdi diſcipulus. Ac de ipſo quidem ſic incipit: *Dopò Arialdo debbo, ſecondo la ragione de' tempi, commemorare il Beato Don Andrea, del Sacro Ordine di Vallombroſa, Abbate del Monaſtero di San Fedele di Strumi, del Caſtello di Poppi, nel Caſentino in Toſcana; comeche fù diſcepolo del ſodetto Arialdo, e l'aiutò à confutare l'hereſie, che trauagliauano la Lombardia.* B *Percioche dopò la morte di detto Arialdo, venendo à Firenze, s'accoſtò à San Giouanni Gualberto, Inſtitutore di detto Ordine: e ſi fece ſuo diſcepolo, ſcriuendo anche la lui Vita &c.*

IV. Quod tamen Arialdum Picus aſſerebat Ciuitate Parmenſem fuiſſe; id quidem ab Arnoldo VVion (cuius teſtimonium nos etiam exſcripſimus Capite 18.) accepit; ſed errore manifeſto nòn carere didicit poſtea, & ex Baronio præſertim ad Annum Chriſti 1066. Articulo 12. Quocirca erratum eiuſmodi ſuum iam emendauerat in id tempus, quo Appendicem illam ſuam recudere poſſet reformatam, vt optabat. Sic enim diſertè pariter ac ingenuè C profeſſus ipſe mihi eſt per Epiſtolam, ex Vrbe Parma datam decimo-octauo Aprilis die, Anno 1644. ſed ipſi poſtmodùm vita defuit. Quonam verò præcisè Iunij die, quo item mortis genere necatus fuerit Arialdus, hæc magis etiam è Libris ſubſequentibus conſtabunt.

## CAPVT XXIX.

*Ioannis Petri de Creſcentijs Romani teſtimonium, Anno 1648.* D

I. POſt Ranucium Picum, Ciuitate Parmenſem, duo nobis ſuffragantur Placentini Teſtes: quorum primus eſt, quem proximè dicebam, Ioannes Petrus de Creſcentijs Romanus.

II. Hieronymianus hic erat Monachus, mihiq; notiſſimus & admodùm familiaris, ac Sanctorum Coſmæ & Damiani Cœnobium hac in Vrbe incolebat; cùm Anno

1648.

1648. Volumen edidit, *Anfiteatro Romano* &c. *Parte Prima*; A
multaquè in eo collegit de nobilibus Regiæ Mediolani Vrbis familijs, & antiquis & recentibus; atqui non multò poſt eius editionem reuerſus in Patriam, immatura præreptus morte illic occubuit.

III. Titulo autem *Alziati*, ò *Alzati*, præ multis alijs ita etiam tradebat: *Arialdo Alciati, Chierico Decumano, fiorì ne gli Anni Mille cinquantadue, Zelantiſſimo della riſforma del Clero, amiciſsimo del Cardinale San Pietro Damiano: opponendoſi à gli Sciſmatici, Simoniaci, & Nicolaiti, che la Chieſa di Milano infelicemente tentarò di occupare, fù da gli ſcelerati vcciſo l'Anno Mille ſeſſantaſei.* B
*Non mancano di quelli, che Beato e Martire lo predicano, per eſſer egli morto in ſeruigio di Dio. Nicolò Secondo, à cui piedi e' fù in Roma, lo ſtimò aſſai; mà da tutti i Cattolici di quei tempi fù predicata la ſua coſtanza.*

## CAPVT XXX.

*Petri Mariæ Campi teſtimonium, Anno 1651.*

I. Cathedralis Eccleſiæ Placentinæ Canonicus hic C
fuit, eiuſquè Vrbis Eccleſiaſticam Hiſtoriam Italico ſermone quàm diligentiſſimè conſcripſit. Bina iam & iuſta eius Volumina typographiæ beneficio fruuntur: ac ſecundum, Anno Chriſti 1651. editum, pertingit vſque ad Annum 1150. Tertium quoque non nemo mihi affirmauit ab ipſo compoſitum fuiſſe; ſed, quia poſtmodùm interijt, quantocyùs fore nihilominùs, vt ab eius nepote illud luci publicæ donetur.

II. Parmenſi ergo Teſti, Ranucio Pico, Placentinus hic alter nunc ſuccedat, & his quidem verbis, ex eius Parte Prima, Libro vndecimo, D
ad Annum Chriſti 1066. depromptis: *Nella Città di Milano &c. paſſauano le coſe de' coſtumi e della Chieſa alla peggio. Era la vita & la conuerſatione dell'Arciueſcouo Guido, già ritornato al vomito, guida di ogni ſorte di male col peſsimo eſſempio ſuo, tanto à gli Eccleſiaſtici, quanto à i Secolari, ò Laici; viuendo tutti ne' ſoliti vitij del ſenſo, e nelle Simonie ſino alla gola; in modo, che chi ſi opponeua loro per Zelo dell'honor di Dio, e della ſalute di eſsi, veniua e*

dall'

*dall' Arciueſcouo e da gli altri perſeguitato à morte ; e gli leuauano* A
*finalmente la vita.*

III. *Di ciò, per tutto che dir' ſi poſſa, baſti queſt'vno ſceleratiſsimo fatto,*
*nell' Anno Seſſantaſei auuenuto per opra dell'iſteſſo maluagio Guido.*
*Il quale come di gia (pochi anni prima) haueua fatto ferir in Piacen-*
*za grauemente Landolfo Cotta, nobil Milaneſe, e gl'impedi con vn'*
*tal'accidente l'andata, ch'ei faceua, à Roma, per querelarſi di nuouo*
*appo il Pontefice dell'inhoneſta vita d'eſſo Arciueſcouo, e de' ſuoi Ec-*
*cleſiaſtici; così, non più potendo egli ſentirſi riprendere, benche dolce-*
*mente, & auuiſare del continuo da vn'honeſtiſsimo ſuo Diacono, di*
*patria Parmigiano (altri diſſero Milaneſe) compagno del ſopradetto* B
*Landolfo defonto, e per nome chiamato Arialdo, perche hoggimai ceſ-*
*ſar' doueſſe da così ſcandaloſa e vitupereuol maniera di viuere; il*
*fece prendere vn' giorno à tradimento; e, perche il Popolo non tumul-*
*tuaſſe, con ſecretezza il mandò legato oltre il Lago Maggiore, ad*
*eſſer fatto iui morire in certe ſolitudini.*

IV. *Doue appena eſſendo arriuato Arialdo, e poſto da' Condottieri per la*
*ſtanchezza a ripoſarſi ſopra vn ſaſſo, all'improuiſo ſopragiunſero due*
*diabolici Chierici, mandatigli dietro dalla Nipote dell' Arciueſcouo: i*
*quali ſe gli auuentarono intorno contr' il voler' di que' Miniſtri, che*
*ſaluare il voleuano: e quiui con ferri ignudi in mano, pigliandogli* C
*vno di eſsi per vn'orecchia, e l'altro per l'altra, così l'interrogarono:*
*Di sù ò degniſsimo di forca; di hora; ſe Monſignor' noſtro è vera-*
*mente Arciueſcouo? E riſpondendo Arialdo, ch'egli nè all'hora, nè*
*mai era ſtato Arciueſcouo; perche non erano in lui nè mai erano ſta-*
*te operationi d'Arciueſcouo; gli tagliarono i ribaldi amendue l'orec-*
*chie. Et egli immantinente con gli occhi al Cielo: Ti ringratio,*
*Chriſto mio (ſoggiunſe) c'hoggi ti degni annouerarmi trà li tuoi Mar-*
*tiri. Doppo queſto ſeguitando gli ſteſsi maſnadieri à domandargli di*
*nuouo, ſe Guido era veramente Arciueſcouo; replicò il buon' Seruo*
*di Dio con la medeſima intrepidezza, che nò. Il che ſentito, gli* D
*mozzarono il naſo con le labra di ſopra; & appreſſo cauatigli gli oc-*
*chi, gli troncarono la man' deſtra, dicendo: Queſta è, che le Lettere*
*ſcriueua, da mandare à Roma. Et indi tagliategli le parti genitali:*
*Tu ſei ſtato fin' quì (gli diſſero) predicatore della Caſtità; perciò ne*
*ſarai caſto. Poſcia per di ſotto la gola cauandogli la lingua, ſoggiun-*
*ſero: Taccia hor quella, che tante volte hà conturbata e diſperſa la*
*famiglia de' Chierici. Di donde ſe ne volò la felice Anima à rice-*

uer'

*uer' nel Cielo la palma del martirio : & il Sacro Corpo di lui, gettato da que' Carnefici nel Lago, dopo dieci meſi ne venne recato alla ripa : e ritrouatoſi ancora intiero, & illuſtrato da Dio con ſegni dimoſtranti la gloria, ch'ei nel Paradiſo godeua, fù riuerentemente ſepolto. Accadè queſto martirio di Sant'Arialdo à 27. di Giugno nel ſudetto Anno.* Et hic in margine Ferrarium allegat in Catalogo Sanctorum, à me pariter iam productum; ſicut etiam ſupra, cùm Arialdum fuiſſe diceret patria Parmenſem, allegabat Arnoldum VVion. A

## *CAPVT XXXI.* B

*Teſtimonium ſacræ Picturæ veteris, in Mediolanenſi Sancti Babylæ Baſilica extantis.*

I. PRoductis hactenùs Teſtibus non importunè nunc ſacram connumerabo & perantiquam ex aſſeribus Tabulam, in Collegiata huius Vrbis Eccleſia, Sancto Babylæ ſacra, extantem: in eo nempè Sacello, quod Cappellæ primariæ ſiniſtrum eſt. C

II. Tres ei Tabulæ pereleganter appicti ſunt Sancti, hoc ordine ſedentes, & hæc ſymbola geſtantes. Medium locum tenet Sanctus Antiſtes noſter Ambroſius, indumentis Archiepiſcopalibus ſolemniter ornatus. Flagellum minaciter elatum dextera geſtat manu: ſiniſtra verò vexillum album, in quo tres itidem pictæ ſunt Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonæ, diſtinctæ quidem inter ſe; atqui nihil inter ſe forma vel ætate differentes; quali videlicet modo Catholici antiquitùs etiam ſolebant inſinuare Trinitatis æqualitatem, atque in tribus Perſonis vnam & eamdem ſubſtantiam. Quocirca etiam circùm ipſius vexilli haſtam ex alto fluitat faſcia, D his inſcripta verbis: *Inſeparabilis vnitatem Trinitatis veneramur.* Cæterùm Ambroſio dexter aſſidet Sanctus Miles armatus, gentilitium familiæ Cottæ ſtemma, ſiue albam Cottam (vt infra etiam videbimus Libro Quarto, Capite 1.) ſupra pectus in latere dextro præferens, & his litteris indicatus, *Sanctus Arembaldus*. Siniſtra verò martyricam quoque geſtat palmam: dextera verò vexillum album, rubra Cruce interpoſita variatum. Simile porrò

porrò vexillum & palmam ſimiliter geſtat alter ille, in ſiniſtro A
aſsidens latere, ac *Sanctus Iulianus* appellatus.

III. De prædicta verò Sancti Babylæ Eccleſia Ioannes Baptiſta ille Villa, quem Capite 25. teſtem producebamus, multa ſcripſit, & hæc nominatim pagina 230. cùm feſtiuitates ibi quotannis celebrari ſolitas enumeraret: *A quattro di Marzo, San Lucio, Papa & Martire, della famiglia Illuſtriſsima de Signori Cotta, per legato d'eſſa famiglia.* Sic igitur è ſingulari etiam eiuſdem familiæ pietate erga ſuum hunc Sanctum Arembaldum ego quidem factum crediderim, vt in eadem ſingulariter B
Eccleſia (nedùm in San-Dionyſiana, in qua ſepultus iacebat) cæleſtibus ille cultus olim fuerit honoribus, ac talem ipſius cultum ea hodie Pictura conteſtetur.

## FINIS LIBRI PRIMI.

# De SS. Martyribus,

# ARIALDO ALCIATO ET HERLEMBALDO COTTA, MEDIOLANENSIBVS:

## veritati ac luci reſtitutis,

# LIBER SECVNDVS: SANCTI ARIALDI VITA;

## per Beatum Andream, ex eius diſcipulo Monachum Vallumbroſanum; conſcripta.

### Præfatio in hunc Librum Secundum.

*De Beato Andrea, Vitæ huius Auctore.*

I. VIræ huius Auctor proprium nomen reticuerat: & eo conſilio, quod ipſemet in Prologo expreſſit. Ne tamen illud nos lateret, effecerunt & ipſius ad Presbyterum nomine Syrum, & Syri viciſſim ad ipſum Epiſtolæ, quas ad finem huius Vitæ ſaluas adhuc & integras habemus. Sed & alij quidem multi nobis illud indicarunt Scriptores, qui ſupra infraquè commodè per varias occaſiones dignoſci poſſunt: & ille præſertim, à quo poſtea conſcriptam rurſus Arialdi eiuſdem Vitam contuebimur Libro Tertio.

II. Quemadmodùm autem ille fuerit Arialdi diſcipulus, in hac ille Vita ſatis explicauit. Quemadmodùm item poſtea factus fuerit Monachus



nachus

nachus Vallumbroſanus, & quàm laudabiliter ac ſanctè in eo ſe geſſerit Ordine, creatus etiam Abbas: horum teſtem luculentum habemus Eudoſium Loccatellum Libro 2. De ſui Ordinis Abbatibus Generalibus, itemquè Sanctis ac Beatis, Capite 10. quem ille Librum adiecit Primo, quo Patriarchæ ſui, Sancti Ioannis Gualberti, Vitam recenſuerat: vtrumque verò Florentiæ typis edidit Anno Domini 1583. vt iam diximus Libro 1. Cap. 16.

III. Ex hac migraſſe vita eodem Capite ille dicitur circiter Annum Milleſimum nonageſimum-ſeptimum: & inter eiuſdem Ordinis Beatos connumeratur. Quocirca Philippus etiam Ferrarius in Catalogo Sanctorum, qui non ſunt in Martyrologio Romano, ſic habet decima Martij: *In Monaſterio Vallis-Vmbroſa, Beati Andrea Monachi, Beati Ioannis Gualberti diſcipuli.* Et mox in Annotationibus: *Ex Tabulis Cœnobij Vallis-Vmbroſa. Fertur hic Vitam Sancti Ioannis Gualberti Abbatis ſcripſiſſe. De eo Arnoldus VVion in Appendice ad Librum primum Ligni Vita, & Chronicum Ordinis prædicti.* Quibus poſtea conſenſit etiam Gerardus Ioannes Voſſius Libro 3. *De Hiſtoricis Latinis*, Cap. 6.

IV. De Rodulpho autem illo, eiuſdem Ordinis Abbate Generali, ac Beatis itidem connumerato, cuius iuſſu Beatus Andreas hanc Vitam ſcripſit, legatur idem Loccatellus, eiuſdem Libri 2. Capite 1. atque hinc etiam fortunatum prædicemus hunc Martyrem; quòd eius Vitam, Beati Abbatis iuſſu à Beato itidem Abbate, qua tales Viros decebat veracitate, conſcriptam habeamus.

V. Quòd enim eiuſdem Vitæ Auctorem Baronius aſſerebat Presbyterum fuiſſe quendam, nomine Syrum; id ego iam refelli ſuperioris Libri Capite 20. Num. 12. vbi alia etiam nonnulla diſcuſſi digna, quæ hic iterum in memoriam reuocentur. Non enim huius Vitæ, ſed alterius Auctor verè fuit Syrus, vnaquè cùm ipſo Herimbertus; vt infra videbimus Capite 34. Ipſe verò mihi etiam vnus videtur idemquè cum eo, cuius mentionem Landulphus de Sancto Paulo in ſuæ Hiſtoriæ Mediolanenſis Capite 1. inter Anni à Natiuitate Dominica Milleſimi nonageſimi circiter ſeptimi acta faciebat his verbis: *Verumtamen altera die* (Presbyter Liprandus, ille nimirùm inclytus Sanctorum Arialdi & Herlembaldi aſſecla, de quo nobis multa Libro Quarto dicenda erunt) *faciens iter ſuum cum Presbytero Arnaldo Magiſtro Scholarum Mediolanenſium*, ET SYRO SACERDOTE ECCLESIÆ

SANCTÆ

SANCTÆ MARIÆ PODONI &c. Quæ quidem Eccleſia communiter nunc SANCTÆ MARIÆ PEDONIS appellatur: quæquè paucis ante annis, quàm Federicus Cardinalis Archiepiſcopuſquè Borromæus moreretur, è Parochiali erecta fuit in Collegiatam & Præpoſituralem.

VI. Manca tamen duabus eſt paginis hæc Vita, ſicut etiam manca erat in eo veteri exemplari, ex quo hæc fuit exſcripta. Earum tamen defectus ſuppleri facilè poterit ex altera eiuſdem Arialdi Vita, quam Libro Tertio dabimus, quæquè veluti Compendium eſt anterioris huius; vt Lectori, vnam cum altera conferenti, conſtabit.

# INDEX PROLOGI ET CAPITVM
## Libri huius Secundi.


*Prologus:* *Cuius mandato ab Auctore conſcripta fuerit hæc Arialdi Vita. Cuius item auxilio: qua fide: cur tacito Auctoris nomine: & ad quorum præſertim documentum.*

*Caput I.* *Arialdi Patria, & Parentes, iidemque genere ac probitate nobiles.*

*II.* *Arialdi præſaga Lux, Natiuitas, Clericatus, & Studia litterarum.*

*III.* *Corrupti Mediolanenſium Eccleſiaſticorum mores.*

*IV.* *Arialdus Mediolani palàm deprædicat contra Cleri corruptelas, præcipuequè contra Sacerdotum coniugia & adulteria.*

*V.* *Arialdo, contra Cleri corruptelas concionato, Landulphus Cotta, Eccleſiæ Metropolitanæ Canonicus Ordinarius, ſeſe in id ipſum aſſociat.*

*VI.* *Eidem ſimiliter Arialdo, talia concionato, Nazarius Laicus, at vir probus, applaudit: ſuumquè ipſi offert hoſpitium, & opes.*

*VII.* *Arialdi & Landulphi concionibus, contra coniugia & adulteria Sacerdotum continuatis, mirificè profectum.*

*VIII.* *Arialdus, contraquàm contigerat eius Collegæ Landulpho, aduerſariorum, à quibus ambo ad necem petebantur, feliciter inſidias eluctatus, Romam pergit ad Pontificem: ab eoquè collaudatus, ad incœptum opus viriliter proſequendum animatur.*

*IX.* *Landulphus, Vrbani Cleri coniuratione quæſitus ad necem, ac venenato gladio grauiter in collo denique vulneratus; morti tamen diuinitus eripitur.*

*X.* *Suburbanus Mediolani Clerus, deſperata cæde Arialdi, Eccleſiam ab*

*ab ipſo conſtructam, eiuſquè prædia diſſipare aggreſſus, manifeſtam erga ſe illicò experitur Diuini Numinis iram.*

XI. *Arialdus & Landulphus liberè iam & publicè ſuis concionibus in Simoniacam Cleri Hæreſim inuicti, diuerſis ſtudijs pro cuiuſque affectu excipiuntur.*

XII. *Quamplurimi Clerici, dimiſſo prauorum Clericorum conſortio, adhæreſcunt Arialdo: non nemo etiam ſeſe abdicat Eccleſiaſtico Beneficio, per Simoniam obtento.*

XIII. *Eccleſia quædam Simoniacè obtenta, & Arialdi ſuaſu abdicata, eidem Arialdo poſſidenda offertur. Hanc ille recuſatam, ſuo tamen è patrimonio ita reſtaurat, vt cum fratribus Canonicas illic Horas ritè perſoluere, vitamquè communem viuere poſſit: vtq; Fideles in eamdem poſſint ad Conciones, ad diuina Myſteria & Sacramenta conuenire.*

XIV. *Praua conſuetudini nuptiarum tempore Aduentus celebrandarum ſeſe opponit Arialdus.*

XV. *Clericus certo pretio ſibi coemerat Eccleſiaſticum Beneficium, quod item alteri de iure debebatur. Monitus ab Arialdo, factiquè pœnitens, dum prætextu paupertatis eo ſeſe abdicare cunctatur; Arialdus è ſuomet ipſius patrimonio pretium illud, iam inſumptum, ei reſarcit.*

XVI. *Herlembaldus Cotta, Landulphi frater, Laicus, ſed admodùm pius, ab Arialdo & à multis alibi Viris religioſis in conſilium adhibitis ſuaſus, à Pontifice autem Romano etiam iuſſus, & in idipſum Eccleſiæ Romanæ Vexillifer creatus, patrocinium ſuſcipit Arialdi, eiuſquè cauſæ contra Cleri corruptelas.*

XVII. *Clericus quidam, empta Sancti Celſi Abbatia, inde ab Arialdo & Herlembaldo exturbatur.*

XVIII. *Arialdus Clericum nobilem ac Potentem obſecrat, vt Sancti deſerat Ambroſij Abbatiam, quam Simoniacè inuaſerat. Viciſſim autem ab eo poſtulatus, vt ſe protinùs denudatum ſcopari flagriſquè cædi faciat: hoc ille protinùs & promptiſſimè facit.*

XIX. *Quàm liberalis erga pauperes Arialdus: quamquè vigilans, vt ſe purum caſtumquè conſeruaret.*

XX. *Arialdus eorum damnat vſum, qui Sabbato Sancto ad horam nonam prandebant, inexpectatis Miſſarum ſolemnijs & Baptiſmatibus, quia ſubſequente nocte peragebantur. Quibus quidem ipſe expectatis, ieiunus cum ſuis in Eccleſia Sancti Ambroſij ad Nemus pernoctabat.*

XXI. Li-

*XXI.* *Litaniarum triduanarum ieiunium (idemquè rigidiùs alijs ab Eccleſia certè Catholica imperatis) intra Paſchales dies recenter ab Eccleſia Ambroſiana, tamquàm ex obligatione, vſitari cœptum, Arialdus opinatur Paſchali eſſe tempori diſſentaneum: hortaturquè propterea, vt in aliud tempus opportunum differatur. Hinc orta impiorum ſeditione, cædes Arialdo intentatur, atque ipſius Eccleſia & domus diripitur. Mox tamen occurrit Herlembaldus cum aſſeclis, & ablata recuperantur.*

*XXII.* *Quàm ſolicitus & frequens in oratione, Pſalmodia, inuocatione Sanctorum, Sacrarum Reliquiarum & Eccleſiarum cultu fuerit vnà cum aſſeclis ſuis Arialdus.*

*XXIII.* *Duo Clerici, propterea quòd Arialdo auctore reſipuiſſent, dirum in carcerem à Guidone Archiepiſcopo truduntur. Hinc Populus Fidelis ad arma concurrit: eumdemquè Archiepiſcopum, ingenti armatorum multitudine comitatum, pugnamquè propterea fidenter molientem, ſed mox ſubito cum ſuis timore diuinitùs perculſum, captiuos ſibi reddere Clericos compellit.*

*XXIV.* *Guido Archiepiſcopus, eo quòd à fide, Romanæ data Eccleſiæ iurataquè, deſciuiſſet, per Pontificias Litteras excommunicatur. Quo ille comperto, plurimos ad Arialdi & Herlembaldi cædem concitat; ſed exitu tamen tam aduerſo, vt ipſemet ægrè manus euaſerit Fidelium, qui ſe protinùs opponunt, & innoxios Dei Seruos tutantur.*

## PRÆMONITIO AD LECTOREM.

Ex his, quæ hoc Capite comprehendenda congruenter ad præmiſſum argumentum eſſent, multa deſunt. Sed ea tamen (ſicut & pauca illa, quæ ſuperiori deerant Capiti) Lector ſupplere ſibiquè ſatisfacere commodè poterit è Capite 24. & 25. Vitæ ſimiliter Arialdi, ab altero poſtmodùm Auctore conſcriptæ, quam poſtea Libro Tertio producemus. Quæ porrò in hoc noſtro exemplari ſequuntur (è quibus vtique dignouimus, quæ in antiquo atque olim perfecto & integro præcedebant) ita ſe habent: . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . tos cruentoſquè. Cœperunt itaque &c.

*XXV.* *Arialdi fautoribus anhelantibus ad vindictam de ſuis aduerſarijs ſumendam, eos ipſe (tametſi malè habitus, & vulneratus) dehortatur.*

*XXVI. Guido*

*XXVI.* *Guido Archiepiſcopus profuſione pecuniarum ſeditionem redintegrat obſtinato in id animo, vt Arialdus expellatur ab Vrbe, ac necetur. Sed hic mori paratus cum ſuis Collegis ſua in domo & Eccleſia ſe continet: nec vllius auſu expellitur, nedùm necatur.*

*XXVII.* *Guido Archiepiſcopus Mediolanum iubet eſſe ac pronuntiat interdicto ſubiectum, quamdiu Arialdus hic manſerit: qui verò contra fecerint, fieriuè permiſerint, hi bonis fortunæ omnibus vitaquè priuandi denunciantur. Arialdus occultè fuga elapſus, iamquè Papiam tranſgreſſus, Pado nauigat, Romam tendens. Inſidijs igitur circumquaque iam diſpoſitis interceptus, in Arcem illic abripitur; atqui mox, tamquàm innocens veriquè ac recti amans, ab ipſomet interceptore perhumaniter habetur, & comitibus ſuis in libertatem reſtituitur.*

*XXVIII.* *Arialdus, vt contra hoſtium inſidias & furorem incolumis ſeruetur, ab Herlembaldo fidei creditur & tutelæ cuiuſdam Preſbyteri, quem putat opportuniſſimum. Sed ab hoc perfidè proditur Guidoni Archiepiſcopo: illiquè traditus in poteſtatem, celerrimè versùs Lacum Maiorem abducitur occidendus.*

*XXIX.* *Arialdus, iubente Guidonis Archiepiſcopi Nepte, in ſolitudinem Lacus Maioris abductus, à duobus denique Clericis per ſummam crudelitatem necatur conſtantiſſimus Chriſti Martyr.*

*XXX.* *Arialdi Cadauer, varijs ſubinde in locis humatum, emiſſa cælitùs luce illuſtratur. Quocirca, iubente ſimiliter Guidonis Archiepiſcopi Nepte, ingentibus illigatum ſaxis, in profundum Lacus Maioris præceps immittitur.*

*XXXI.* *Arialdi Corpus decimo deinde menſe, mirificè candidum, neque quicquàm interim læſum, aut corruptum, è profundo Lacus, lapidum Pondere ſolutum ac liberum, emergit: & ex aqua in ripam proiectum, per aquilam mirabiliter indicatur. Inde rursùs, iubente Guidonis Archiepiſcopi Nepte, in fouea occultatur, mox & in Arcem Aronæ noctu transfertur, ibidemquè rursùs detruncatur, deturpatur.*

*XXXII.* *Herlembaldo duce Mediolanenſes inſtructo ingenti exercitu propè Aronam caſtrametati, ab Archiepiſcopi Nepte ſibi repoſcunt Arialdi Corpus. Dimiſſum tandem, diuinoquè monitu viciſſim acceptum, perhonorificè deferunt ad Vrbem: atque per decem dies, tametſi æſtiuos, in Baſilica Sancti Ambroſij publicè ad venerationem expoſitum, ac mirabilem ſpirans odorem, ſolemni*

denique

*denique pompa tumulant ad Eccleſiam Sancti Celſi: necnon etiam deinceps illic a Fidelibus adoratur & colitur.*

XXXIII. *Denarius numerus obſeruatione dignus in Arialdi rebus. Quandonam ſcripta fuerit hac Martyris Vita, & hic ipſe occubuerit; ſicut & poſtea Herlembaldus, itidem Martyr.*

XXXIV. *Andreas, huius Auctor Vitæ, hanc ipſam Sacerdoti, nomine Syro, rerum Arialdi quam optime conſcio, & antehac Scriptori, tranſmittit examinandam, & pro rei veritate teſtandam.*

XXXV. *Syrus, ad Andream reſcribens, omnibus ab ipſo in hac Arialdi Vita narratis luculentiſsime, tamquam teſtatiſsimis veriſs. miſquè, ſubſcribit. At enim dolet, quòd multa & præcipua fuerint omiſſa. Ex his pauca quædam recenſet: nimirum, de Concione in Oppido Variſij priùs, quàm Mediolani, ab Arialdo contra Cleri corruptelas habita: de duobus exteris Sapientibus, & vno ex noſtratibus, quem Guido Archiepiſcopus miſerat, ipſo diſputante ſuperatis: de Sacerdote quodam Simoniaco & adultero ab Altari per ipſum repulſo, & hinc orta contra eum ſeditione, mox autem ab eodem ſedata: de ipſius apud Laicos & Monachos reuerentia: de lenitate erga peccatores pœnitentes, & in ſemetipſum ſeueritate.*

XXXVI. *Andreas Syro reſpondet, ſe quidem multa de Arialdo, ſibiquè notiſsima, ſed ſponte, omiſiſſe. Ex his autem ſic etiam ipſe tria hæc miracula ſubiungit. Res amiſſa protinùs inuenitur per Arialdi ad Deum preces: Paralyticus ad eiuſdem, iam mortui (dum feretro Mediolanum adſportaretur) ſiue contactum, ſiue aſpectum, ſanatus: Blaſphemus in ſacrum cultum, qui eius Sepulchro a Fidelibus impendebatur, acerbiſſimis ſtatim doloribus corripitur; nec his ante liberatur, quàm pœnitentia ductus cultum illi ſimiliter & ipſe impendat.*

Incipit

# Incipit Prologus in Paſsione A
# SANCTI MARTYRIS ARIALDI, Mediolanenſis.

*Cuius mandato ab Auctore conſcripta fuerit hæc Arialdi Vita. Cuius item auxilio: qua fide: cur tacito Auctoris nomine: & ad quorum præſertim documentum.* B

I. PRæcepiſti, Venerande Pater RODVLFE, vt BEATI MARTYRIS ARIALDI Paſſionem deſcriberem. Quod licet facere conatus ſim; in veritate, non pro humilitate ſola (vt plerique Sapientes ſolent) loquor; quicquid in ea eſt, quod conueniens ſit, etiam in ipſa verborum compoſitione, non meæ ſapientiæ, quæ ſic eſt parua, vt penè ſit nulla, ſed ſoli Dei gratiæ, meritiſquè ipſius, atque tuæ orationi tribuo. In qua ſciat, eam quicumque legerit, me prorsùs nihil dixiſſe, niſi C quod viris certis narrantibus didicerim: à MARCHIONE videlicet ipſius germano fideli, vel à BONOVISINO eiuſdem fidiſſimo famulo, qui ei à cunabulis eſt famulatus fideliter: immò de quibus tot exiſtere poſſunt teſtes, quot illo in loco cum ætate perfecta ſanoquè ſenſu ſunt homines.

II. Verùm per totum hunc Libellum meum nomen celetur; quia talis ſum, vt magis conueniat neſciri, quam ſciri; cui iure congruit illud Iſaiæ; *Claude* (inquit) *oſtium tuum, & abſconde te poſt illud, donec tranſeat ira Domini*: tuum verò nomen in eius fronte habeatur; quoniam, velis nolis, ſuper candelabrum, vt omni- D bus luceas, te poſuit Chriſtus; quatenùs is, qui ſcripſit, ſi ignoratur; ad quem ſcriptus eſt, non ignoretur. Porrò quia in hoc plura ſunt in verbis & factis ædificationi vtilia; duodecim Monaſterijs, quibus te Supernus Iudex præpoſuit, oro, vt ad legendum tribuas; quatenùs, dum audierint in defenſione veritatis quod alij noſtro in tempore dixerunt & perpeſſi ſunt, accendantur & ipſi, vt talia dicant; &, ſi neceſſe fuerit, pro eadem veritate ſimilia patiantur.

# Explicit Prologus. A
# Incipit Vita & Paſsio eiuſdem.

## CAPVT I.

*Arialdi Patria, & Parentes, ijdemquè genere ac probitate nobiles.*

I. LIcet iam ſic ſenex ſit Mundus, vt iam iamquè vicinus eius cernatur occaſus; tamen quia ab vniuerſis mortalibus ignoratur, quando finiatur; B libet nouorum conſtantiam Sanctorum, ſupparem antiquorum, ſæuitiamquè perfidorum, qui eos vſque ad necem noſtris temporibus, immoquè noſtris ſub oculis, perſecuti ſunt, ſcriptis tradere, atque poſteris ad eorum ædificationem intimare.

II. Igitur IN CVTIACO QVODAM VICO, inter Mediolanum Cumumquè ſito, milliario vigeſimo diſtante à maiore, quinto verò à minore, vt in vulgari fertur opinione, BEZO quidam cum BEZA ſua vxore extitit: NOBILES VTRIQVE NATIONE, C SED NOBILIORES PROBITATE. In quorum profectò laude parumper immorari, & Sanctorum geſtis quamplurimis inſtruimur: & cuncti ſcimus, liberiorem fore laudem celſi ædificij, ſi ipſius certitudo habeatur manifeſta firmi fundamenti.

III. Hi namque cauſam reproborum, quæ eſt rapacitas, tam exoſam habebant, vt inter cætera eorum bona, cùm in ſeruis equiſquè nimis abundarent. Nullus quippe erat audax ex ipſis ſeruis, qui manipulum quidem vi furtimuè alienæ ſegetis raptum deferre auderet eiſdem coram æquis. Porrò ſuperbiam, quæ eſt cauſa Diaboli, ita execrabantur, vt cum liberè modis omnibus ſuis vi- D cinis imminerent: atque à nemine eorum, ſi nollent, conſtringi poſſent; ceù eſſent ex illorum minimis, ſic ſe vltrò ſubdebant ipſorum omni iuſtæ conuentioni.

IV. Verùm quoniam vnicuique parum eſt non agere praua, niſi in bonis operibus exercitationem ponat; pauperum infirmorumquè neceſſitati ſic intendebant, vt ex vicinis nemo infirmitate oppreſſus in ſtrato iaceret, qui à BEZA, memoria digna, non viſitaretur,

&

& ſuis, ſi egeret, huiuſmodi ſubſtantijs non aleretur. Præterea in A
cæterorum orphanorum egenorumq; beneficijs, quæ illis ſedulè impendebat, Deo & hominibus eius vita ſic erat grata, vt ipſi pauperes inuicem conferrent, dicentes: *Si hæc obierit; profectò nobis viuere non expedit.* Hoc quippe exercitium ſanctæ actualis vitæ per multorum curricula annorum in venerabilis BEZÆ natorumquè eius deſudatione, viro ipſius iam defuncto, egomet vidi, cæteraquè perplura ædificationi congrua: quæ ideò prætermitto; quia velociter ad ea, quorum cauſa hoc Opus aſſumpſi, venire concupiſco. B

## CAPVT II.

*Arialdi præſaga Lux, Natiuitas, Clericatus, & Studia litterarum.*

I. HVic vtique, ſicut illius relatione didici, nocte quadam dormienti, eius adhuc viuente viro, ex quo tunc in vtero habebat filium, admirabile lumen in viſione, ceu Solis meridiani ſplendor, deſuper illuxit: cuius claritas omnibus tenebris ab ea expulſis totam domum, vbi erat iacens, C
impleuit. Mane autem facto, inſolitam ſecum viſionem admirans, antiquis matronis pandit: à quibus protinùs audit, habere ſe in vtero infantem ſexus maſculini, meritiquè futurum celſi.

II. Quem cùm enixa eſt, apto præſtulato tempore, ARIALDVM vocant: Clericum faciunt: ſcholis diligenter eò vſque tradunt, quouſque Prouinciales Magiſtri, qui eum poſſent inſtruere, deficiunt. A quibus cùm per tempora, vt ſcholaribus moris eſt, reuerteretur (ſicut à matre eius, iam ſæpè dicta, cognoui) & puellæ ipſius ornatiores more ſolito nitidioreſquè ſe eius vultui præſentarent; quemadmodùm eſſent viperæ, ſic exterminabat à ſua D
facie, dicens, *Captio hæc eſt Satanæ.* Indeſinenter denique in diuerſis Terris, ſcholaſticis ſe ſtudijs tamdiù tradidit, donec optimè tam liberalium, quàm diuinarum litterarum haberet ſcientiam, ſimulquè ætatem perfectam.

## *CAPVT III.*

*Corrupti Mediolanenſium Eccleſiaſticorum mores.*

ERat enim tunc Ordo Eccleſiaſticus in tot erroribus ſeductus, vt ex illo vix quiſpiam exiſteret, qui in ſuo loco veraciter reperiri poſſet. Nam alij cum canibus & accipitribus huc illucquè peruagantes ſuum venationi lubricæ famulatum tradebant. Alij verò tabernarij, & nequam villici, alij impij vſurarij exiſtebant. Cuncti ferè aut cum publicis vxoribus, ſiue ſcortis, ſuam ignominioſè ducebant vitam. Omneſq;, quæ ſua erant, non quæ Chriſti, quærebant. Nam, quod ſine gemitu dici vel audiri nec poteſt nec debet, vniuerſi ſic ſub Simoniaca Hæreſi tenebantur impliciti, quatenùs à minimo vſque ad maximum nullus Ordo, vel gradus, haberi poſſet, niſi ſic emeretur, quomodo emitur pecus. Et, quod eſt nequius, nemo tunc, qui tantæ peruerſitati reſiſteret, apparebat. Sed, cùm lupi eſſent rapaces, veri putabantur eſſe paſtores.

## *CAPVT IV.*

*Arialdus Mediolani palàm deprædicat contra Cleri corruptelas, præcipuequè contra Sacerdotum coniugia & adulteria.*

I. AD quorum nimirùm peruerſitatem detegendam & corrigendam, Mediolanum, vbi hæc iniquitas tanto erat copioſior, quanto Vrbibus cæteris ipſa eſt populoſior, à Deo procul dubio præfatus miſſus eſt ARIALDVS, diuinis, vt prædiximus, legibus benè eruditus.

II. Qui ingreſſus Vrbem, Populum penè vniuerſum, ad eius verba confluentem, fari ſic adorſus eſt: *Volo, Dilectiſsimi, vobis dicere in noſtri ſermonis exordio, quæ ſcire vos ſcio; vt paulatim ſic vos introducam ad ea, quæ neſcitis, & vobis ſcire magnopere neceſſaria ſunt. Veraciter credo, vos noſſe, humanum genus vſque ad Chriſti Domini noſtri aduentum cæcum fuiſſe, non oculis corporis, ſed cordis. Quid ideò erat cæcum? Quoniam, quod erat falſum, credebat verum: di-*

*cens*

*cens lapidi, lignoquè, & metallo, Deus meus es tu. Cuius cæcitati* A
*& miſeriæ in tantum Summa Lux & Æterna compaſſa eſt ( per quam omnia facta ſunt, & in qua vniuerſa conſiſtunt ) vt non ad hanc à cordibus hominum auferendam Angelum mitteret; ſed per ſemetipſam de cælo deſcendit, carnem aſſumpſit, &, vt eam ab hominum cordibus penitus expelleret, vſque ad Crucis mortem libenter acceſsit. Qui in diebus carnis ſuæ homines tot de mundo elegit, quot ſufficere ad vniuerſitatis illuminationem ante ſæcula poſſe præuidit. Quos, omnibus falſitatis tenebris ab eorum cordibus expulſis, æterna luce illuminauit, eoſquè per Mundum vniuerſum miſit: & lucem, quam acceperant, vbique deferre præcepit: ſicquè ad Patrem, à quo* B
*venerat, redijt. Hæc quippe Summa & Æterna Viuaquè Lux duas in terra cauſas reliquit: in quibus omnes, qui erant illuminandi, illuminarentur, & vſque in finem ſæculi ſemper permanerent lucidi: tam iſti, qui adhuc erant illuminandi, quàm qui iam fuerant illuminati.*

II. *Vultis noſſe, eæ res quæ fuerunt? Verbum ſcilicet Dei, & Doctorum vita. De verbo autem Dei, quòd lux ſit: non meum, ſed Pſalmiſtæ audite teſtimonium. Præceptum ( inquit ) Domini lucidum, illuminans oculos. Et item: Lucerna pedibus meis verbum tuum. De vita verò Doctorum, quòd eſſe debeat lux in verbis ſuis: ipſa per ſe Veritas apertè manifeſtat. Vos (inquit) eſtis lux mundi. Et protinùs addidit: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui eſt in cælis. Ex* C
*his itaque vnam idem Dominus poſuit ante illos, aliam ante vos. Hi verò, quibus ſcientiam Scripturæ dedit, ſibiquè ad miniſtrandum elegit, vt ad lumen verbi ſui lucidi ſemper viuerent, conſtituit: &, vt eorum vita eſſet veſtra lectio, qui litteras neſcitis, ordinauit. Sed, Inimico humani generis inſidiante, pariterquè noſtra negligentia & peccato operante, illi, ſe conuertendo retrorsùm, perdiderunt ſuam; vos autem lucem perdidiſtis veſtram.*

III. *Verumtamen, vt ſecuriùs vos idem Inimicus deluderet, qui ſocietatis* D
*ab eis abſtulit veritatem, eis promiſit in exteriori habitu ſanctitatis habere ſimilitudinem. Quod gemens dico, non ad veſtram ignominiam, ſed ad cautelam. Nonne ad eamdem cæcitatem eſtis reuerſi, pro qua ab hominibus auferenda Chriſtus dè cælo miſericorditer deſcendit? Si enim ideò humanum genus ante ipſius aduentum, vt diximus, erat cæcum, quia ſumebat pro vero mendacium; quicumque nunc opus ſimile facit, nonne cauſam eamdem incurrit? Nam ſic illi decepti,*

cepti, lapides & ligna credebant Deos; ita vos veſtros Sacerdotes A
putatis veros, quos incunctanter eſſe conſtat falſos.

IV. *Vnde hoc ſcire poſſumus? Vultis noſſe vnde? In tenebris ſumus: vt hoc patenter cognoſcamus, ad lucem eamus. Ad quam lucem? Ad verbum videlicet Dei. Ecce Chriſtus dicit: Qui mihi miniſtrat, me ſequatur. Quod eſt aperte dicere: A nemine quippe mihi miniſtratur, niſi ab eo, qui me ſequitur. Veſtrorum vitam Sacerdotum ſcio vos noſſe: &, quò Chriſtus pergat, & quid dicat, audite: atque tunc plenius cognoſcetis, vtrum iſti ſint eius miniſtri, an ipſius potius adverſarij. Ecce Chriſtus clamat: Diſcite à me, quia mitis ſum, &*
*humilis corde. Et iterum de ſe dicit: Filius hominis non habet, vbi* B
*caput reclinet. Et item: Beati pauperes ſpiritu; quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum. E contra verò, vt inſpicitis, veſtri Sacerdotes, qui effici poſſunt ditiores in terrenis rebus, excelſiores in ædificandis turribus & domibus, ſuperbiores in honoribus, in mollibus delicatiſquè veſtibus pulchriores, ipſi putantur beatiores. En ipſi, vt cernitis, ſicut laici, palam vxores ducunt: ſtuprum, quemadmodum ſceleſti laici, ſequuntur: atque ad nefandum hoc opus patrandum tantò ſunt validiores, quantò à tereno labore minus oppreſſi; videlicet viuentes de dono Dei. Chriſtus autem in ſuis econtra miniſtris tantam mundi-*
*tiam quærit & exoptat, vt non ſolùm in opere, verùm etiam ſtupri* C
*ſcelus damnet in corde: dicens, Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.*

V. *Redite Dilectiſſimi ad corda veſtra, redite: & ſumere verum, falſumquè reſpuere diſcite. Nam conatus ſum reos reducere ad ſuam lucem; ſed nequiui. Vt enim vos ad veſtram reducam, huc ideò veni: & hoc aut fecero, aut pro veſtra ſalute paratus ſum animam meam tradere gladio.*

VI. Hæc, & huiuſcemodi complura Vir Dei dùm diceret; in verbis eius Plebs ferè vniuerſa ſic eſt accenſa, vt, quos eatenùs venerata
erat vt Chriſti miniſtros, damnans proclamaret Dei hoſtes, ani- D
mârumquè deceptores.

## *CAPVT V.* A

*Arialdo, contra Cleri corruptelas concionato, Landulphus Cotta, Eccleſiæ Metropolitanæ Canonicus Ordinarius, ſeſe in id ipſum aſſociat.*

I. FActum eſt autem, dum agerentur hæc, de medio
multitudinis SVRGENS QVIDAM CLERICVS, NOMINE LANDVLPHVS, DE VRBANIS EXCELLENTIBVS TAM ORDINE QVAM NATIONE, nimis potens in voce &
ſermone, ſilentium petijt. Quo conceſſo, hu- B
iuſmodi lætiferam vocem prompſit. *Gratias* (inquit) *coram vobis Omnipotenti Deo ago, qui nunc me ea audire permittit, vnde meum cor per innumera tempora igneſcit. Nam olim hæc ſciens, dolenſquè ideò tacebam, quoniam, cum quo ea dicerem, non habebam. Nunc verò, Domine* ARIALDE *chariſsime, quia Dei donum te dedit mihi; ſcito, me ab ipſo collatum tibi; & exinde, quicquid hac de re dixeris feceriſuè, me facere & dicere; vt me meam animam, ſicut tu profeſſus es tuam, pro ſalute fratrum ponere eſſe paratum, incunctanter te nunc reddo ſecurum.*

II. Populus namque iam fidelis hæc audiens, in Dei laudem creſcens, C
hilareſcit: pars aduerſa tabeſcens deficit: Dei verò famulus ARIALDVS, oculis ac manibus ſursùm erectis, omnium bonorum Largitori immenſas ac debitas reddit gratias.

## *CAPVT VI.*

*Eidem ſimiliter Arialdo, talia concionato, Nazarius Laicus, at vir probus, applaudit: ſuumquè ipſi offert hoſpitium, & opes.*

I. DEnique poſt hæc quidam Laicus ſurrexit alius, D
nomine NAZARIVS, officio monetarius, cuius vita valde erat ab omnibus laudabilis, licet coniugalis: qui ſilentium petijt. Quo accepto, coram omnibus tale reſponſum dedit: *Domine* ARIALDE, *ea, quæ dicis, eſſe vera & vtilia, non ſolùm aduertere poſſunt ſapientes, verùm etiam & vecordes. Quis tam inſipiens eſt, qui non lucidè perpendere poſsit, quòd eorum*

*vita*

*vita eſſe altiùs debeat à meâ diſsimilis? quos ego in domum meam* A
*ad benedicendum eam voco, iuxta meum poſſe reficio, & poſt hæc manus deoſculans munus offero: & à quibus Myſteria, pro quibus æternam vitam expecto, omnia ſuſcipio. Sed, vt omnes inſpicimus, non ſolùm non mundior, verùm etiam ſordidior perſpicuè cernitur. Verumtamen hoc ſcelus ſic ſcito inter nos radicatum & inueteratum; quatenùs aut vix, aut cum grandi labore, poterit euelli. Nunc autem, quia Largitor omnium bonorum mihi tanta contulit bona, quæ ſatis & mihi ſufficere poſſunt & tibi; obſecro te per eundem Omnipotentem Dominum, vt in domum meam ingredi digneris,*
*& exhinc bonis omnibus meis, vt ego, ita & tu fruaris; quatenùs* B
*tua exhortatione aſſidua ab hoc errore liberari, & in omni veritate confirmari poſſimus tam ego, quàm hæc Plebs vniuerſa.* CAVE, NE AD SANGVINEM ALTVM, DE QVO ORTVS ES, ET AD OPEM MVLTAM, QVA POLLES, INSPICIAS; *ne fortè ſacramento, pro quo te adiuraui, ſpreto, non quæ Dei; ſed quæ tua ſunt, quærere videaris.*

II. Vir autem Domini hæc audiens, & magnitudinem coniurationis, & famam viri optimam conſiderans, omnia terrena, quæ ſibi reſiſtere poſſent, conculcans, in domum ſe iuſtè inuitantis libenter
intrauit: & per plura tempora Marthæ opus ab eo fideliter ſump- C
ſit: & quod operatus eſt Petrus in Cornelio ſuiſquè amicis, operatus ARIALDVS eſt in NAZARIO eiuſquè vicinis. In quibus vtrique tunc arbuſta, quæ ſe Dominus per Prophetam pollicitus eſt in deſerto ſimul poſiturum, ſcilicet vitem & vlmum, procul dubio eſt completum; quatenùs altera mentes debriaret, altera verò debriantem ſuſtentaret.

## *CAPVT VII.*

*Arialdi & Landulphi concionibus; contra coniugia & adulteria Sacerdotum continuatis, mirificè profectum.* D

EXhortantibus denique ARIALDO LANDVLPHOQVE Populum fideli & aſſidua doctrina, ſtupra Clericorum nefanda, & execranda eorum connubia ſic ab eodem Populo intra aliquanta tempora ſunt perſecuta & deleta, vt nullus exiſteret, quin aut cogeretur tantum nefas dimittere; vel ad Altare non accedere.

*CAPVT*

## CAPVT VIII. A

*Arialdus, contraquàm contigerat eius Collegæ Landulpho, aduerſariorum, à quibus ambo ad necem petebantur, feliciter inſidias eluctatus, Romam pergit ad Pontificem: ab eoquè collaudatus, ad inceptum opus viriliter proſequendum animatur.*

I. PER idem tempus decreuere Fideles Romam ad Synodum LANDVLPHVM mittere; quoniam, vt eos mendaciter eorum æmuli accuſarent, illò pergebant. Quem Vrbem Placentinam progredi non licuit; quia ibi à quodam profano eſt in B
Oppido percuſſus, & ſic Mediolanum regreſſus.

II. Sed ARIALDVS, Dei famulus, ſumpto itinere, omnium aduerſariorum fraudem, circumquaque poſitorum ad eum necandum, ſcienter declinauit: atque Romam, Deo illum protegente, incolumis peruenit. Qui coram Summo Pontifice ſe offerens, cùm cauſam iam cœptam ei retuliſſet; poſt multam honorificentiam, quam ipſi iſdem impendit, iuſſit, à quibus Sacerdotibus diuina Myſteria dehinc ſumeret; ET SVB INEVITABILI IVSSV EI PRÆCEPIT AD OPVS COEPTVM REGREDI, ET TAMDIV IN EO VEHEMENTER INSISTERE, DONEC C
NEFANDA OPERA, QVÆ TVNC INERANT IN ECCLESIASTICA FAMILIA, AVT PENITVS DELERET, AVT SANGVINEM PRO CHRISTO PROPRIVM INIMICIS FVNDENDVM PRÆBERET. Qui in omnibus obediens regreditur, iam ſæpè dictam cauſam competenter perſequitur & conſtanter cum ſuo Socio diuinitùs ſibi collocato, habentes dehinc doctrinam tam plenam auctoritate, quàm veritate.

## CAPVT IX.

*Landulphus, Vrbani Cleri coniuratione quæſitus ad necem, ac venenato gladio* D
*grauiter in collo denique vulneratus; morti tamen diuinitùs eripitur.*

I. HOC quippe impij Ciuiles perpendentes Clerici, quaſi occultè in vnum conueniunt: ideò, QVIA PROGENIE ALTIOR ERAT LANDVLPHVS, eum occidere diſponunt: putantes, timore perterritum ſic ſilere poſſe ARIALDVM. Ad patrandum verò tam ſceleſtum opus, quemdam

audacem & impium conueniunt Clericum, nimio præmio reddunt ſecurum, ſi iam dictum extingueret virum. Qui acquiſito grandi carnificis gladio (quem ſæpè ego poſtea vidi) ſimulquè toxico ad necandum citiſſimo, cœpit eum proſequi per Cœnam Domini, & Paraſceuen; Sabbatumquè Sanctum, clanculùm, necnon & ſanctum diem Paſchæ. A

II. Vera vtique me dicere ſcio; verùm rei geſtæ ordinem teneam, ignoro. Cumquè ipſum in diebus his reperire minimè potuerit abſque turbis; in ſecunda tandem de Albis feria ad impium & diu optatum peruenit votum. Nam in ipſius diei crepuſculo ſolum illum ante quoddam reperit Altare orantem: mixturam impiam, quam ſecùm ferebat, permiſcuit illicò, ſcilicet gladium cum toxico: & poſt tergum clam veniens, eum in collò grauiter percuſſit, & ſic fugam protinùs petijt. Sed, volente Deo, licet eſſet nimis velox ad fugiendum, in egreſſu Baſilicæ per quemdam captus eſt claudum. Clamor igitur vehemens attollitur, ab omnibus concurritur: quæ eſſet cauſa tanti clamoris, inquiritur. Cognita namque cauſa, nefandum Clericum circumdedêre, eumquè cornu toxico plenum habentem reperiunt. Mœrentes ergo, percuſſum, & eum qui percuſſit, accipiunt: ac ſic ad domum LANDVLPHI pergunt, & ipſius obitum protinùs præſtolantur affuturum. B C

III. Sed magni prodigij euidentiam tunc oſtendit Deus Omnipotens, vt Seruo ſuo nihil plus venenum officeret, quemadmodùm ſi aqua eſſet. Nam iſdem profeſſus eſt Clericus, ſe illud in pluribus pecudibus probaſſe. Quæ vt deglutiuêre, cunctæ poſt paululum vita caruerunt. O mira Domini potentia! Hunc virum poſtquàm tetigit, etiam deglutitum nulli nocere quiuit. Vnde ipſe, reddens debitam Deo laudem, percuſſorem Clericum dimiſit incolumem: admonens, ne vlteriùs tantam conaretur præſumptionem. D

IV. Iſdem verò Clericus, ſua cernens molimina, nimio ſtudio exquiſita, à Dei euidenter virtute exinanita, ſibiquè ab eius Famulo pro malis impenſa bona; corde compunctus veniam petijt, tanti ſceleris incentores prodidit, ſe vlteriùs tale quid minimè conari promiſit, & poſtremò ſic diſceſſit.

CAPVT

## CAPVT X. A

*Suburbanus Mediolani Clerus, deſperata cæde Arialdi, Eccleſiam ab ipſo conſtructam, eiuſquè prædia diſſipare aggreſſus, manifeſtam erga ſe illicò experitur Diuini Numinis iram.*

I. PER idem tempus Clerici Suburbani, in vnum conuenientes, ad inuicem dicunt: *Quid facimus? En* ARIALDVS, *qui nos noſtraſquè familias conturbauit & diſperſit, in Vrbe concluſus, atque à Populo circumdatus, inhabitat; ideoquè, vt eum perimamus, nequaquàm pertingere valemus.* B *Si autem hoc nequimus; damnum dedecuſquè, quod poſſumus, illi ſaltim inferamus. In loca noſtra nunc reuertamur: & exquiſitis gladijs benè acutis rurſùm nocte alia conueniamus: vnà illuc, vbi iſdem eſt ortus, pergamus: & vbi adhuc cum ſuis magna pollet poſſeſſione parentibus, atque ad ignominiam eius Eccleſiam, quam olim impedio proprio conſtruxit, violemus, diſſipemus. Arbores verò caſtaneas, quas habet innumeras, decorticemus: vineas autem, quibus nimis abundat, incidamus. Interim quidem ex nobis aliqui illuc pergant in die, qui ipſius ſubſtantiæ plenè habent notitiam: vineas eius & ſyluas euidenter deſignent;* C *vt non tunc quid appareat, in quo quis errare debeat.*

II. Nocte igitur conueniunt condicta: Eccleſiam extra Vicum reperiunt; quam ruptis oſtijs intrant. Altare frangunt & violant, cæteraquè vtenſilia diſſipant: & dedecus, quod infelices nequibant Famulo facere, non ſunt veriti Domino. Porrò cùm ad deſignatas arbores vineaſquè vellent accedere; ſicut ipſi poſtea profeſſi ſunt morientes, cùm ingenti terrore tanta à iuſto Dei iudicio ſunt perculſi cæcitate, vt, neque vbi eſſent, neque rem deſignatam inuenire poſſent. O mira Domini pietas! Suam demoliri D cauſam permiſit; Serui verò ſui optimè tutari nouit.

III. Sed ne miſeri illam noctem inanem ducerent, vineas & ſyluas ingreſſi alienas incidunt, & decorticant. Verumtamen Deo gratias agens profiteor, poſtea me vidiſſe perſæpè ipſas arbores ſuis cultoribus vberrimos fructus reddere, eaſquè adhuc ſimiliter credo facere.

## CAPVT XI. A

*Arialdus & Landulphus liberè iam et publicè ſuis concionibus in Simoniacam Cleri Hæreſim inuecti, diuerſis ſtudijs pro cuiuſque affectu excipiuntur.*

I. PER idem tempus Chriſti Famuli cernentes, om-
nem Populum ad ſequendum, quicquid dice-
rent, eſſe promptiſſimum; de Simoniaca, quam
eatenùs reticuerant, palam loqui incipiunt.
Quorum primus in virtute ſcientiæ & ſanctita-
tis, ſcilicet ARIALDVS, licet illo eloquentior B
eſſet LANDVLPHVS, de Simoniaca, & contra ipſam tale exor-
dium protulit ad Populum. *Gratias* (inquit) *Dilectiſsimi, Omni-
potenti Deo reddere debemus, qui dedit vobis velle, quæ vult ipſe.
Scire vos quidem volumus, quod laborem non modicum; quem vſ-
que modò contra inſolentiam coniugatorum adulterorumque ſumpſi-
mus Sacerdotum, magis nos feciſſe neceſsitate, quàm voluntate.
Nam; vtrùm Hæretici vxores habeant, an non, parui pendimus.
Aſpicientibus ergo adinuicem ſe turbis, & admirantibus, cur hoc di-
ceret; adiecit: Audiſtis, Chariſsimi, dum legeretur liber Actuum
Apoſtolorum, veniſſe Simonem Magum ad Beatum Apoſtolum Pe- C
trum, & poſtulaſſe per pecuniam Spiritus Sancti gratiam: Lucas
Euangeliſta, qui hoc ſcripſit, quid Beatus ei Petrus reſponderit, pro-
tinùs adiunxit. Pecunia (inquit) tua tecum ſit in perditionem; quia
exiſtimaſti, donum Dei pecunia poſsideri. Quid eſt hoc? Nonne iſte
eſt ille Petrus, cui ſeptuagies ſepties peccanti fratri dimittere iuſsit
Dominus? Eſt vtique. Sed hunc non proſpexit in ſe nec in homi-
nem peccare ſolummodò, ſed in Deum. Nam nimis iſdem Beatus
Petrus peccaſſet, ſi auctorem tanti reatus ſilendo proficere ſineret, &
æſtimationem tantæ nequitiæ in ipſa ſua radice minimè damnaſſet.
Quod lachrimabiliter validoquè dolore profero: Ecce nefas, quod Apo- D
ſtolorum Princeps in ipſa æſtimatione æternæ perditioni tradidit, per
vniuerſum penè Mundum ſic obtinet principatum, quatenùs nullus
ad regimen Pontificale, vel Abbaticum, ſiue ad officium qualecum-
que Eccleſiaſticum, perueniat, niſi per ipſum. Quis, quæ dicturus
ſum audit, dolens non obſtupeſcit?*

II. *En Chriſtus, verus Dominus, Paſtor bonus, ſuo Gregi ſolemne & ſa-
lutare bonumquè dedit præceptum: quod obliuioni tantæ proiectum*

*eſt,*

*eſt, vt nemo appareat, quòd eius iam reminiſci audeat. Vultis audire, quid eſt illud? Gratis (inquit) accepiſtis; gratis date. E contra verò impia cogitatio, quæ malignè ſemel eſt exorta in impij Simonis corde, & quæ illicò eſt damnata à tanto Apoſtolo cum ſuo auctore, vbique ſic eſt ſparſa ſolemniter; vt nemo ferè ad Altaris officium accedat, niſi priùs agat opere, quod idem cogitauit nequiter corde; & donec eidem maledictioni tanto profundiùs ſe ſubijciat, quanto eſſe noſcitur peius malum facere, quàm cogitare.* A

III. *Vtinam hæc maledictio illos percuteret tantummodò, qui Dei donum vendere aut emere præſumunt audaci corde & impio. Verumtamen hic tam noxius eſt reâtus, vt non ſolùm qui faciunt, & qui conſentiunt, verùm etiam eos, qui facientibus non reſiſtunt, & obpugnant, ſic pænaliter obliget, quatenùs maledictione, quæ Simoni à Petro eſt illata, minimè procul dubio careant.* B

IV. *Ne fortè mentiri me arbitremini, quid de hac re noſter Patronus ſentiat, Beatus Ambroſius, audite. Ait enim: Nam & lepram cum Giezi à Sancto ſuſcepiſſe ſe credant Eliſæo, qui gradum ſacerdotalem ſe exiſtimant pecunijs comparare. Nam ſicut validioribus morbis capite vitiato, reliquum neceſſe eſt corpus inundatione ſuperioris morbi lethaliter irrigari: ita & ij, qui caput videntur eſſe Eccleſiæ, morbo peſtifero fraternum vitiant corpus; vt nihil ex totius corporis compage inſauciatum poſſit euadere, quod negligentium Sacerdotum vitioſitatis mortale non infecerit virus; itaut videas in Eccleſia paſsim, quos non merita, ſed pecuniæ ad Epiſcopatus Ordinem prouexerunt.* C

V. *Verumtamen, vt in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum, audite, quid ſuper hac re Beatus dicat Gregorius. Cur (inquit) non videtur, cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem conuertitur, qui ad hoc, vt fiat hæreticus, ordinatur? Et iterùm: Quiſquis contra hanc Simoniacam & Neophytorum hæreſim vehementer pro officij ſui conſideratione non exarſerit, cùm Simone Mago ſe non dubitet habere portionem, qui priùs commiſit hoc piaculare flagitium.* D

VI. *Quoniam locus ille in hoc Beati Gregorij ſermone, vbi præcipitur vnicuique pro ſui officij conſideratione contra Simoniacam ardere debere, non omnibus forſitan plenè patet; vobis lucidè nos explanare condecet. Tres quippe ordines in Sancta Eccleſia habentur: vnus Prædicatorum, alter Continentium, tertius Coniugatorum. Primus*

namque

*namque debet contra hanc ardere indefeſſa exhortatione: Continen-* A
*tes autem aſſidua oratione: Vos vero, qui coniugati eſtis, & de veſ-*
*trarum labore manuum viuitis, vt Deus Omnipotens hanc ab Eccle-*
*ſia Sancta repellat & diſperdat, quotidie ardenterquè operibus elee-*
*moſynarum inſtare debetis. Quiſquis igitur nunc ex his tribus ordi-*
*nibus contra Simoniacam cum his iuſtitiæ operibus ardenter minimè*
*pugnauerit, iuxta dicta Spiritus Sancti, qui hæc dixit per os Beati*
*Gregorij, pœnam, quam Simon Magus nunc habet, quòd eandem*
*in fine effugere queat, nullo modo credat. Si enim hi, quibus eſt*
*ſcientia officiumquè prædicandi commiſſum, qualibet ex cauſa ta-*
*cuerint; non ſolùm Continentes, quorum prædicatio tanto eſſe debet* B
*liberior & veracior, quanto conſtat quia ſunt ab omni re ſæculari*
*expediti, & ſacræ Legis meditatione aſſiduæ edocti; verùm etiam vos,*
*qui eſtis idiotæ ignariquè Scripturæ, communibus verbis, quibus va-*
*letis, inuicem vos cautos ab hac nequitia reddere debetis. Vnde*
*Dominus dixit: Si homines tacuerint; parietes loquentur. Nonne*
*de hac re dicit Propheta? Maledictus, qui prohibet gladium ſuum*
*à ſanguine: hoc eſt, ab interfectione huius nequiſſimæ belluæ.*

VII. Hæc quippe & huiuſcemodi quamplura dicente BEATO ARIAL-
DO, in locum illum ſalutifer ille gladius eſt procul dubio miſ-
ſus, qui Fideles diuidit ab infidelibus, & de quo locutus eſt Do- C
minus. *Non veni* (inquit) *pacem mittere, ſed gladium*. Nam
GVIDO, qui dicebatur Archiepiſcopus, & pars maxima Cleri-
corum & Militum, necnon & multi de populo minore nequam
viri, ſe cernentes, dixere ad inuicem: *Hæc namque doctrina ſi ad*
*profectum venerit; nobis noſtriſquè filijs profectò nullo modo viue-*
*re expedit. Quæ enim eſt noſtra vita, niſi Eccleſiarum Beneficia,*
*quæ aſſiduè à nobis venduntur, & emuntur? Quapropter vtilius eſt*
*nobis, vt huic nouæ doctrinæ reſiſtentes moriamur, quàm venire hanc*
*ad profectum, vt diximus, ſinamus.*

VIII. E contra verò ad Viros Dei Fideles clamabant. *Audiuimus* (in- D
quiunt) *ex veſtra aſſertione, Simoniacos hæreticoſquè eſſe procul du-*
*bio, qui noſcuntur emiſſe ea, quæ ſunt ſacra. Quo ſcelere qui im-*
*munis de Sacerdotibus inter nos ſit, ſine dubio manifeſtum eſt, quia*
*nemo eſt. Nos autem quia Chriſtiani dicimur, abſque Chriſti ſacra-*
*mento viuere nullatenùs valemus. Quod ſi ab iſtis ſumpſerimus;*
*potiùs dicitis, nos ſumere damnationem, quàm ſalutem. Et ideò his*
*telis vndique conſtringimur: & quid agamus, profectò neſcimus.*

IX. Quibus

IX. Quibus BEATVS ARIALDVS ſic reſpondit. *Videte* (inquit) *Di-* A
*lectiſſimi, dum hæc dicitis, ne ſuper vos veniat, quod Spiritus San-*
*ctus per Beatum Iacobum loquutur dicens: Vir duplex animo, in-*
*conſtans eſt in omnibus vijs ſuis. Ideoquè qui veritatem cupit ve-*
*raciter inuenire, conſtanter omnem debet falſitatem reſpuere. Qua-*
*propter, vt veritate, quæ Deus eſt, perfrui perfectè valeatis, per*
*ipſum vos obſecro, vt à falſorum conſortio Sacerdotum penitùs vos*
*ſegregetis. Quoniam luci cum tenebris, Fidelibus cum infidelibus,*
*Chriſto cum Belial nulla eſſe debet conuentio, aut pars, ſiue ſocietas.*
*Sic enim ſcriptum eſt: Exite de medio eorum, & ſeparamini, &*
*immundum ne tetigeritis; & ego recipiam vos, dicit Dominus.* B
*Quomodo poteſt fieri, vt vobis petentibus minora non tribuat, id eſt,*
*Paſtores, qui vos iuſtè regant? qui vobis adhuc non exiſtentibus*
*tribuit maiora, hoc eſt, ſemetipſum pro ſalute veſtra. Propterea,*
*omnium ſpreto hæreticorum conſortio, Paſtores bonos & fideles ab eo*
*fiducialiter petite: &, quia accipietis, procul dubio ſcitote.*

X. His namque verbis multi viri ac mulieres ſic ſunt accenſi, vt non ſolum deinceps Simoniacorum actus omnes contemnerent, ſed etiam cum eis nullo modo in vno Oratorio orare vellent.

XI. In his autem diebus ſi per illam Vrbem incederes, præter huius rei contentionem vndique vix aliquid audires. Alij ſiquidem Si- C
moniacam excuſantes, alij eam conſtanter damnantes. Nec mirum; quoniam vna domus tota erat fidelis, altera verò tota infidelis; tertia autem, mater erat credula cum vno filio, pater incredulus cum altero. Et hac quidem confuſione & contentione Ciuitas tota erat plena & permixta.

## CAPVT XII.

*Quamplurimi Clerici, dimiſſo prauorum Clericorum conſortio, adhæreſcunt Arialdo: non nemo etiam ſeſe abdicat Eccleſiaſtico Beneficio, per Simoniam obtento.* D

I. IN diebus illis quàmplurimi Clerici cœpere conſortium Clericorum prauorum relinquere, & BEATO ARIALDO adhærere. Inter quos quidam ex illis Sacerdotibus, ipſius exhortatione compunctus, Eccleſiam quamdam, quam grandi pretio malè emerat, dimittere diſpoſuit.

Sed,

Sed, Chriſto ordinante, Miles, in cuius iure hæc erat, iam de A
Fidelibus exiſtebat. Qui per BEATVM ARIALDVM edoctus, ſicut ille eam deſerere diſpoſuerat, qui illam emerat; ſic iſte ſuo è iure elegit hanc amittere vt dominam, qui eatenùs ipſam nequiter vſurparat vt famulam.

II. Conuenientibus igitur cum BEATO ARIALDO in vnum multis Fidelibus, Miles refutationem ab emptore accepit, eamquè ſuper Altare, Viri Dei admonitione, poſuit: & BEATO EIDEM ARIALDO iuſſit, vt deinceps eam diſponeret, ſecundùm quod Deum velle ſciret. Qui protinùs tres Clericos fideles & caſtos vocauit, & refutationem, quam Miles in Altare poſuerat, B
eos pariter iuſſit tollere.

## CAPVT XIII.

*Eccleſia quædam Simoniacè obtenta, & Arialdi ſuaſu abdicata, eidem Arialdo poſſidenda offertur. Hanc ille recuſatam, ſuo tamen è patrimonio ita reſtaurat, vt cum fratribus Canonicas illic Horas ritè perſoluere, vitamquè communem viuere poſſit: vtq; Fideles in eamdem poſſint ad Conciones, ad diuina Myſteria & Sacramenta conuenire.*

I. CVmquè iſdem à pluribus exhortaretur, vt eamdem cum ipſis vnà ſumeret, quatenùs ad multorum profectum ibidem manere deberet; ait: C
*Cum ipſis quidem ad eorum inſtructionem, & cæterorum ſalutem manebo; verumtamen, ne verbo Dei mihi credito impedimentum ſit ſub iugo alicuius terrenæ rei, & ne huic* AZONI, *in cuius ditione hæc Eccleſia eſt conſtructa, ſub hac occaſione aliquod poſſit damnum inferri, huius rei ſortem nequaquàm ſumo; quoniam tale tempus ſcitote procul dubio venturum, in quo nulli viuere liceat, niſi me à ſuis finibus expellat.* Hic quippe ſermo quomodo propheticus fuerit, in D
ſequenti Lectoris menti luce clarior patebit.

II. Eo namque in eadem Eccleſia manente, quanta beneficia, tam verbis quàm factis, ſiue ipſis fratribus, ſiue cæteris, tam Fidelibus quàm infidelibus, impenderit, & quanta ab eis pro bonis mala per decem ferè annos pertulerit, nemo nec omnia ſcribere, immò nec valet profectò dicere. Nam protinùs legationem in domum

domum paternam miſit, & ex ea viginti libras argenti ſumpſit, A
atque iuxta eamdem Eccleſiam habitaculum mirabiliter aptum
ædificauit. Agitur denique res noua, & penè ab eodem loco
hactenus inſcia.

III. Chorus namque alti circumdatione muri concluditur, in quo oſtium ponitur: viſio Clericorum Laicorum ac Mulierum, quæ vna erat & communis, diuiditur: omnes de vna arca viuere coguntur: fabulæ ad menſam compeſcuntur, pro quibus ſancta lectio ſuper eam aſſiduè profertur. Cæteri autem Clerici mane omnes diei Horas potiùs murmurabant, quàm decantarent. Hic verò in die, tacto ſepties ſigno, fratribus vnà congregatis, magna cum veneratione debitam Omnipotenti Deo laudem decantabat, atque ad ſatisfactionem omnes in eodem Officio, dum forte delinquerent, dicto & facto prouocabat. Porrò ſicut BEATVS ARIALDVS lætus nimis eſt effectus, eo quòd ad votum diù nimiſquè optatum (videlicet, vt cum fratribus ad Eccleſiam communiter viuere poſſet) peruenerat; ſic Fideles multi læti ſunt effecti pro eo quòd aptum locum haberent, vbi Domini verba mente libera audire poſſent, & diuina Myſteria, Sacramenta percipere. B

IV. Cœpit autem tanta illuc ibidem multitudo confluere, non ſolùm de Vrbe, ſed etiam de Villis & Caſtellis, quatenùs eos nullo modo valeret capere ipſa Eccleſia; licet ſatis eſſet ampla. Quos tam conſtanti aſſiduaque doctrina Vir Dei docebat, vt plerumque vocem ſic amitteret, quatenùs ab aliquibus iuxta ſe poſitis vix audiri poſſet. C

## CAPVT XIV.

*Praua conſuetudini nuptiarum tempore Aduentus celebrandarum ſeſe opponit Arialdus.* D

I. PRæterea quia Canes muti effecti erant, & latrare nequibant; multa mala & deteſtanda Populus tunc committebat. Quæ ita idem ab exordio ſuæ prædicationis vniuerſa damnauit, vt ſuum procul dubio illud dictum faceret, quod per Beatum Paulum prolatum eſt: *Mundus* (inquit)

*à ſanguine ſum omnium veſtrum. Non enim ſubterfugi, quo mi-* A
*nùs nunciarem omne conſilium Dei vobis.*

II. Per totum namque Aduentum abſque contradictione vlla eos reperit nuptias ſolemniter celebrare, vxores ducere, etiam in ipſa Domini Natalis Vigilia, ſi fortaſsis eueniret in Dominica. Cui rei nefandæ tam ardenter conſtanterquè verbô cœpit pariter & actibus obſiſtere, quatenùs in eius venerabili tranſitu nemo penè reperiri poſſet, qui tam nefandum opus agere præſumeret. Nam in ipſo nuptiali die, iam paratis omnibus, quæ in nuptijs ſolent parari; illuc, vbi eædem nuptiæ agebantur, cum fratribus anxiè occurrebat: & celebraturos omnium rerum Domini nup- B
tias, nitidos, ſuis minimè rudibus eſſe debere ſordidos occupatoſquè denunciabat;& tali modo illos cogebat omnia iam tractata omittere, & in apto tempore ſeruare.

## CAPVT XV.

*Clericus certo pretio ſibi coemerat Eccleſiaſticum Beneficium, quod item alteri de iure debebatur. Monitus ab Arialdo, factiquè pœnitens, dum prætextu paupertatis eo ſeſe abdicare cunctatur; Arialdus è ſuomet ipſius patrimonio pretium illud, iam in-* C
*ſumptum, ei reſarcit.*

I. DVO denique Clerici olim ſignum Clericatus in Eccleſia quadam, quæ SANCTA MARIA SECRETA nuncupatur, ſumpſerant; quorum tamen nemo ipſius Beneficio perfrui poſſet, donec, ſicut in loco eodem mos erat, eiuſdem Eccleſiæ Sacerdos minimè obiſſet. Quem per idem tempus obiſse contigit. Sed cùm iamdictam Eccleſiam, pridem qui primus deſignatus fuerat, adipiſci deberet, tantum- D
modò ſi pro ea malè vſitatum præmium daret; Viri Dei iam credulus verbis, diſtulit. Quem improbus ſuus minor anticipauit; vt neque Dominum neque hominem erubuit; nec veritus eſt, vt eamdem ſibi cum pecunia non acquireret. Quod vt ad Hominem Dei ARIALDVM fuiſſet perlatum; eum adſcitum ad ſe ſic allocutus eſt: *Inique præſumptor, cur, poſtquàm, me docente, eſſe hæreticum emptorem venditoremquè ſacri, audiſti; hanc iniquitatem committere non timuiſti?* II. Quo

II. Quo obmuteſcente, & neſciente, quid reſponderet in excuſatione: A
& quia iam pro hoc à vicinis nimis habebatur execrabilis; tandem ſic reſpondit: *Audita quidem manifeſta ratione, me malè feciſſe video; ſed quid exhinc agam, penitùs ignoro; quoniam Abbas Sancti Victoris, cui hac de cauſa penè quicquid habebam dedi, Deum non ſic timet, vt mihi meam ſemel acceptam pecuniam reddat; & hanc ſi non habuero; vnde meam vitam mediocriter ſuſtentem, minimè habebo.* Cui Vir Dei, *Quid* (inquit) *dediſti? Duodecim* (inquit) *libras argenti*. Reſpondit autem Vir Dei dicens: *Et, ſi tibi reddantur; vis dimittere libenter, quod comparaſti nequiter?* Qui reſpondit: *Libentiſſimè*. At bonus diſcipulus, pium B
imitans Magiſtrum, ſequitur opere, quod loquitur ore. De ſuo proprio patrimonio duodecim integrè libras argenti ſumpſit, ipſiquè vniuerſas tradidit; & ſic iam fatam Eccleſiam gratis alterum fecit habere, cui competebat iure.

## CAPVT XVI.

*Herlembaldus Cotta, Landulphi frater, Laicus, ſed admodùm pius, ab Arialdo & à multis alibi Viris religioſis in conſilium adhibitis ſuaſus, à Pontifice autem Romano etiam iuſſus, & in idipſum Eccleſiæ Romanæ Vexillifer creatus, patrocinium ſuſcipit Arialdi, eiuſquè cauſa contra Cleri corruptelas.* C

I. PER idem tempus *Landulfus*, ſodalis ipſius, obiens, ſuperſtitem germanum, nòmine *Erlembaldum*, prudentem & fidelem virum, licet Laicum, reliquit. Hic, nuper Ieroſolyma reuerſus, volebat tunc ſæculum relinquere, & ſe tradere vitæ monaſticæ. Cuius fidem & conſtantiam BEATVS ARIALDVS agnoſcens, cœpit ei promittere, D
quòd ſibi potiorem apud Deum gradum acquireret, ſi Monaſterium ingredi differret, & Fidem Catholicam ſecum defenderet, atque cum ipſo Hæreticis & Chriſti hoſtibus reſiſteret.

II. Qui volens probare, vtrùm in his, quæ à BEATO ARIALDO ſibi promittebantur, veraciter auderet confidere; ſumptis aliquantis Fidelibus, perrexit Romam, non per viam regiam gradiens, ſed per Dei cultores, in Erêmo & in Monaſterijs circumquaque

degentes, de iam re dicta omnes interrogans. Cumquè cuncti, A in vera & pura Fide accenſi, ſententiam ei concordem vnà cum BEATO ARIALDO promerent; tandem peruenit Romam. VBI SVB INEVITABILI IMPERIO AB ALEXANDRO PAPA ET A CARDINALIBVS EI PRÆCEPTVM EST REDIRE, ET CHRISTI ADVERSARIIS IN DEFENSIONE IVSTITIÆ VSQVE AD PROPRII SANGVINIS EFFVSIONEM VIRILITER CVM BEATO ARIALDO RESISTERE. CVI ETIAM EX BEATI PETRI PARTE MIRIFICVM VEXILLVM DEDERE; VT, QVOTIENS HÆRETICORVM VESANIA VLTRA MODVM INSANIRET, B
ILLVD IN MANV TENENS EOS REPRIMERET. Quod quàm conſtanter per decem & octo fere annos impleuerit, nec lingua plenè promere nec ſtylus meus exprimere eſt profectò idoneus.

III. Erat enim NOBILIS HERLEMBALDVS coram ſæculo quaſi Dux in veſtibus pretioſis, & in equitibus, ac armis. Sed in abſcondito coram Deo, ſicut Eremita agreſtis, indutus erat laneis. Hunc in pedum ablutione pauperum agere vidi, quod in alio nemine me reminiſcor vidiſſe. Nam cum alicubi per Vrbem, vallatus magna multitudine Fidelium ſibi gratis obſequentium, incederet, & horrendos pauperes & debiles inſpiceret; clam alicui ex C
ſuis famulis innuebat perſiſtere, atque pauperem poſt ipſum ad domum ſecum ducere. Dimiſſis igitur extraneis, allata aqua, cinctuſquè linteo, egeni pedes nimia cum veneratione abluebat & extergebat. Poſt hæc autem, corpore in ſolo proſtrato, ſub ipſius pedibus caput ponebat, & tali modo mendicum & pauperem faciebat ſe modicùm conculcare diuitem. Denique honorificè & abundanter ipſum reficiebat ſecum. Nam hoc opus ſanctum interdùm in numerum duodenum explere vidi pauperum. D

IV. Veruntamen Dei zelo ſic erat accenſus, vt de eo in eius abſentia plerumque VIR DEI, ARIALDVS, ſuſpirans diceret: *Pro dolor! Præter Herlembaldum & Nazarium, Clericum vix quemquam reperio, qui quoquomodo mihi ſub falſa diſcretione tacere non* II
*ſuadeat, quatenùs Simoniaci & Adulteri liberè poſſint peragere opera Diaboli.*

V. Multa namque bona de hoc Viro familiariter cognoui. SED

QVIA

QVIA NVPER IN DEFENSIONE IVSTITIÆ MARTYRIO EST CORONATVS ; EA ALTERI TAM VOLVMINI QVAM SCRIPTORI RELINQVO ; QVIA BEATI ARIALDI VITAM PERFICERE VELOCITER CVPIO. A

## CAPVT XVII.

*Clericus quidam, empta Sancti Celſi Abbatia, inde ab Arialdo & Herlembaldo exturbatur.*

PER idem tempus Abbas Cœnobij Sancti Celſi obijt: cuius locum quidam Clericus, nomine Lanfrancus, protinùs rapuit, refutato pro eo tyrocinio non modico, quod annuatim ſumebat de Pontificali domo. Cuius nefandæ præſumptioni tam conſtanter per tempora plurima VIR DOMINI ARIALDVS CVM HERLEMBALDO NOBILI, SOCIOQVE FIDELI, obſtitit, donec eum facerent exulem, non ſolùm malè emptæ Abbatiæ regimine, ſed etiam penè finibus eiuſdem Parochiæ. B

C

## CAPVT XVIII.

*Arialdus Clericum nobilem ac potentem obſecrat, vt Sancti deſerat Ambroſij Abbatiam, quam Simoniacè inuaſerat. Vicißim autem ab eo poſtulatus, vt ſe protinùs denudatum ſcopari flagriſque cædi faciat: hoc ille protinùs & promptiſſimè facit.*

IN eodem denique tempore defuncto Monaſterij Sancti Ambroſij Abbate, alius Clericus, Cancellarius, nomine Ariprandus, Clericale birrum, eatenùs ignominiosè delatum, reliquit, & huius Monaſterij nomen Abbaticum ſibi nefandè vſurpauit. Qui cùm tantæ eſſet celſitudinis pro natura ſuperbi ſanguinis, vt violenter nequàquàm poſſet expelli; ait ARIALDVS, Vir Dei: *Si, quod debemus, in hoc improbo explere nequimus; quod valemus, ſaltim faciamus.* Protinùs igitur ſumptis fratribus, ad eum perrexit. Quo coram D

peruento,

peruento, dixit: *Quid eſt hoc? Heri Clericus: hodie Abbas. Magnum feciſti & velocem ſaltum. Et quàre non timuiſti contra Sanctos Canones, & contra iuſiurandum, quod nuper in Eccleſia Romana iuraſti, hoc vſurpare?* Qui reſpondit: *Hoc, vt vides, actum eſt: & relinquere id vlteriùs minimè poſſum.* Cui vir Dei: *Si vis* (inquit) *potes: & omninò ex Dei parte Sanctaquè Romanæ Eccleſiæ deprecor te, vt rem, contra Dei voluntatem ſumptam, & contra tuæ animæ ſalutem raptam, relinquas.* At ille: *Et ego* (inquit) *ſub eodem iuramento, quo adiuraſti me, adiuro te, vt tuis te veſtibus nunc exuas, & hic coram me te ſcopari facias.* A

Qui protinùs cucurrit, virgas adquiſiuit, veſtibus ſe exuit, & acriter ſe ab vno ex ſuis ibi coram omnibus ſcopari fecit. Hæc itaque falſus Abbas perpendens, quid vltra diceret, neſciens; capite demiſſo inde ſurrexit, & induratus, vt Pharao, aliorsùm declinauit. B

## CAPVT XIX.

*Quàm liberalis erga pauperes Arialdus: quamquè vigilans, vt ſe purum caſtumquè conſeruaret.*

I. SIcut enim tot teſtari poſſunt, quot eum familiariter nouere, huius intentio & exercitium aliud aſſiduè non erat, quàm, vt operè impleret quicquid in diuinis legebat Voluminibus. Nam ſic erat largus, vt frequenter de ipſo dicerent hi, qui ſedulè cum eo morabantur: *Si hic arcam aureis plenum haberet: non petentes egenteſquè defuiſſent; vno in die omnia procul dubio expenderet.* Cùm enim alicubi incederet, & obuiantes pauperes eum, vt eis aliquid largiretur, exorarent; argentum, quod nunquàm peculiariter detinebat, à ſe ſequentibus protinùs commodabat; & ſic eorum neceſſitati miſericorditer ſubueniebat. C D

II. Munditiam namque cordis corporiſquè ſic diligebat, vt contra Diabolicas illuſiones, quibus homines illudi ſolent, nocturnis horis vniuerſas ferinè noctes medias inſomnis & peruigil permaneret; & quamplurimas vſque ad galli cantum protelaret, partim orando, partim legendo, partim ad deſtructionem

Simoniacæ

Simoniacæ Hæreſis cum cæteris Fidelibus in conſilio con- A
ſiſtendo.

## CAPVT XX.

*Arialdus eorum damnat vſum, qui Sabbato Sancto ad horam nonam prandebant, inexpectatis Miſſarum ſolemnijs & Baptiſmatibus, quæ ſubſequente nocte peragebantur. Quibus quidem ipſe expectatis, ieiunus cum ſuis in Eccleſia Sancti Ambroſij ad Nemus pernoctabat.* B

I. ILlum præterea vſum guloſum, qui carnales, tam Clericos quàm Laicos, in Sabbato Sancto ad Nonam cogit Miſſarum ſolemnia & Baptiſmatum, quæ in eadem ſancta nocte agenda ſunt, anticipare, valde damnabat. Sed quia alijs in hoc non valebat; ſibi conſulebat. Prandente namque vniuerſa Vrbe, ipſe ſanctam noctem ieiunus cum fratribus aliquibus præſtolabatur: atque cum eis ad quendam exibat locum, qui dicitur NEMVS, milliario à Ciuitate C ſeceſſus.

II. Ibi enim adhuc eſt Eccleſia, à Beato Ambroſio conſtructa & dedicata: vbi, ſicut fertur, idem fugiens Populi tumultum ſolitus erat degere, libroſquè dictare. In hac autem Vir Dei ſanctam eamdem noctem pernoctabat, & debitas Omnipotenti Deo laudes cum fratribus competenter reddebat.

III. Numquàm enim volebat ſolus bibere, numquàm ſine pauperibus Clericis comedere, numquàm ſine ſodalibus limitem forinſecum tranſire. In diebus verò ieiuniorum ſolemnia nequaquàm celebrabat Sanctorum. E contra autem in ſolemnitatibus nec ge- D
nua flectebat, nec ieiunabat, nec quemquam ſecum commorantem ieiunare ſinebat.

## *CAPVT XXI.* A

*Litaniarum Triduanarum ieiunium (idemquè rigidius alijs ab Eccleſia certè Catholica imperatis) intra Paſchales dies recenter ab Eccleſia Ambroſiana, tamquam ex obligatione, vſitari cœptum, Arialdus opinatur Paſchali eſſe tempori diſſentaneum: hortaturquè propterea, vt in aliud tempus opportunum differatur. Hinc orta impiorum ſeditione, cædes Arialdo intentatur, atque ipſius Eccleſia & domus diripitur. Mox tamen occurrit Herlembaldus cum aſſeclis, & ablata recuperantur.*

I. TRIDVANVM NAMQVE ILLVD IEIVNIVM, QVOD INTER SANCTOS DIES PASCHALES CONTRA ANTIQVORVM DICTA SANCTORVM NOVITER EST PERAGI VSITATVM, ſic vehementer horrebat, vt libenter diceret velle ſe tradere morti, ſi tantùm exhortari poſſet Populum, quatenùs in tempus mutaretur licitum & aptum. Quapropter in vno eorum dierum, vnà omni iam Eccleſia congregata, vt ſolito more ad Litanias procederet, locum, è quo docere ſolebat, conſcendit, eiſquè talia verba proferre cœpit. B C

II. *Debet* (inquit) *Dilectiſſimi, iuxta Apoſtoli dictum, eſſe Domino Deo noſtro rationabile obſequium noſtrum. Quod competenter tunc agitur, quando cum Sanctorum dictis noſter actus conſors inuenitur. Hoc ieiunium, quod nunc agitis, ſcitote, me penitùs ignorare, cuius impulſione ſpiritus agatur. Si enim Dei ſit; valde miror; quoniam per illorum dicta Sanctorum; pro quibus Deum locutum non dubito, ieiunare in his diebus Paſchalibus interdictum reperio.*

III. *Eſt & res alia, quæ ſuper hoc nimis me haſitare cogit.* NAM IN ISTIS DIEBVS TAM ACRITER VOS AFFLIGERE CERNO, VESTIBVS LANEIS INDVENDO, NVDIS PEDIBVS INCEDENDO, IN PANE TANTVMMODO ET AQVA IEIVNANDO, QVOMODO, QVANDO HÆC AGERE DEBITE IVSSVM EST, VOS NVLLO MODO FACERE INSPICIO. *Scitote, quia ſicut vnus ex diebus Quadrageſimalibus non debet frangi à ieiunio, qui hanc ſignificant vitam; ſic procul dubio nec vnus ex his diebus quinquaginta eſt* D

ieiunandus, qui ſignificant futuram; præter Sabbatum Pentecoſten; A
& hoc, non propter afflictionem (ſicut cætera ieiunia alterius tem-
poris) ieiunandum eſt; ſed propter nouorum fratrum expectationem,
qui ad Nonam regenerantur; quorum renouationem nos oportet ie-
iunos præſtolari.

IV. Verumtamen vt ea, quæ dico, plena eſſe auctoritate demonſtrem:
Sancta Synodo Nicena (cuius inſtituta ſic ſunt recipienda, quomo-
dò Sancta Euangelia) per hos dies nec genua flectere, nec ieiunia
celebrare placuit. Nam ij dies, qui non ſunt ieiunandi, oranti pro
hoc quondam cuidam Patri venerando, nomine Apollonio, qui præ-
erat Monachis circiter quingentis, ſatis declaratum eſt. Hic enim, B
Quadrageſimali rigore tranſacto, cum fratribus Omnipotentem Deum
rogauit, vt eis dignaretur oſtendere, ſi eos more ſolito hos dies vellet
ieiunare. Quibus ipſe Dominus per incognitos viros ante eos illicò
tanta dona omnium rerum ad edendum congrua miſit, quanta per
hos omnes dies Paſchales eis abundanter ſufficere poſſent. Et vt
euidenter hac vlteriùs ambiguitate carerent; eadem dona ſic fuerunt
menſurata, vt, donec dies Pentecoſtes complerentur, ipſa non defi-
cerent; & dum completi ſunt, ſimiliter conſumpta vniuerſa ſunt &
illa. Quod Beatus Benedictus cernens, cùm omni tempore alio Mo-
nachis ieiunium indixiſſet; hos ieiunare eos nullo modo iuſsit. C

V. Quid enim Beatus Ambroſius, noſter Patronus, de his dixerit, com-
memorandum eſt. Ait enim: Hanc Sanctam Pentecoſtes diem qua
ratione curemus, vel cur iſtorum quinquaginta dierum numero ſit
iugis & continuata feſtiuitas, ita vt hoc omni tempore neque ad ob-
ſeruanda indicamus ieiunia, neque ad exorandum Deum genibus
incumbamus, ſed, ſicut Dominica facere ſolemus, erecti & feriati
Reſurrectionem Domini celebremus. Ad inſtar enim Dominicæ to-
ta quinquaginta dierum curricula celebrantur; & omnes iſti dies
velut Dominici deputantur. Sic enim diſpoſuit Dominus, vt, ſicut D
eius Paſsionem Quadrageſimæ ieiunijs mærebamus; ita eius Reſur-
rectione in Quinquageſimæ ferijs lætaremur. Non igitur ieiunamus
in Quinquageſima; quia in his diebus nobiſcum Dominus commo-
ratur. Non, inquam, ieiunamus præſente Domino; quia ipſe ait,
Numquid poſſunt filij ſponſi ieiunare, quamdiu cum illis eſt ſponſus?
Hæc cuncta Beatus dixit Ambroſius. Cuius dicta quomodo ſint ac-
cipienda, non ſolùm nouimus nos, quorum eſt Patronus, ſed omnis
etiam penè noſcit Mundus. Verumtamen hæc nunc tantummodò

*meminiſſe veſtræ Charitati ſufficiat. Cæterùm, ſi vixerimus, hac de re, Chriſto auxiliante, plus dicemus.* A

VI. Poſt hæc autem plebem dimiſit, ET AD SANCTI AMBROSII CORPVS CAVSA ORANDI PERREXIT. Quidam enim illicò currentes ad Eccleſiam Maiorem, vbi iam Ciuitas erat omnis congregata, retulere hæc omnia. His itaque auditis, Sacerdotum filij, cæterique quamplurimi deteſtandi viri, accepta occaſione diu præſtolata, cœpere inſanire, & dicere: *Modò aperiè patet, hunc, qui tam ſanctum opus damnat, eſſe hæreticum, Deique inimicum.* Et his dictis, leuauerunt pariter voces & fuſtes: omnique plebe commota, IN ECCLESIAM BEATI VIRI, QVÆ CANONICA NVNCVPABATVR, cum magno impetu irruunt: quicquid inueniunt, diripiunt: domumquè deſtruere incipiunt. Seruum verò Dei ideò non interfecêre, quia non inuenêre. B

VII. Hæc vt nobilis HERLEMBALDVS cæteriquè Fideles audiêre; ſumptis armis in audacem plebem & temerariam irruêre. Quos protinùs ſic exterminauere omnes, quaſi eſſent viliſſimæ pecudes. Immò cum virtute magna & poteſtate ad Eccleſiam Maiorem venientes, violenter ab impijs abſtulere quicquid de Domo Domini rapuerant. Et ſic Eccleſiæ Dei penè cuncta ſunt reddita, operante Chriſto per zelum piorum, quæ ab ea fuerant rapta, operante Satana per furorem impiorum. C

## *CAPVT XXII.*

*Quàm ſolicitus & frequens in oratione, Pſalmodia, inuocatione Sanctorum, Sacrarum Reliquiarum & Eccleſiarum cultu fuerit vnà cum aſſeclis ſuis Arialdus.*

I. SIcut enim ARIALDVS quotidie Chriſti cauſas erigere & exaltare contendebat; ita Chriſtus de virtute in virtutem ARIALDVM aſſiduè prouehebat. Nam tam potentem in oratione nunquàm reminiſcor me vidiſſe alium quemquam. Cuius qualitatem ſi dixero; gratam fore diligentibus Deum, profuturamquè ſpero. Tot enim Sanctorum nomina de ipſius ore non ſolùm ſemel in die, ſed D

etiam

etiam bis terquè audiebam procedere, quot nunquàm ſcripta A
in codice vidi, nec alium proferentem audiui.

II. Nam licet diuinis ac liberalibus litteris ſic imbutus eſſet, vt vix alicubi eius par inueniri poſſet; nullatenùs plùs in ſua ſcientia confidebat, quàm velut nec vnam ſciret litteram. Sed cùm eſſet cum aliquo de Fide altercaturus in publico; priuſquàm ipſa haberetur congreſſio, ſtudebat per ſe, ſiue per fratres directos, circumquaque Corpora Sanctorum requirere, atque eorum patrocinia; vbi omnem ſuam ſpem collocarat, obnixè flagitare. Nam quotidie vallatus fraterna ex acie Sanctorum Corpora circumibat, atque coram eiſdem Deo gemebundam fundebat precem. B

III. Exeuntes enim à domo, ſingulatim priuatimquè orando incedebamus, donec Populi tumultum tranſiſſemus. Quo tranſito, Pſalmos cantabamus reciprocè, quos verò incipiebat ipſe. Et hoc donec agebamus, quouſque Eccleſiæ ianuis proximi eſſemus, ad quam pergebamus: vt relicta Pſalmodia, eiquè parte vltima memoriæ tradita, quos ad laudem illius Sancti pertinere Cantus vel Hymnos ſciebat, ſumebat ſic quidem dicendo moderatè leniquè voce, vt, quod dicebat, poſſemus audire, atque cum eo dicere. Et cum hoc ſancto canore ante ſanctum veniebamus Altare. Quo venerabiliter adorato (ſi dies ſolemnis, vel Paſchalis, non eſſet) vtraque genua in terram ponebat, manus expandebat, oculos in cælum figebat: & ſic in Crucis modo ante Altare ſtans pro Romano Summo Pontifice, atque pro pace, pro ſalute Vniuerſalis Eccleſiæ, ac pro eius Aduerſariorum conuerſione, & pro cæteris huiuſmodi vtilitatibus multis Deum exorabat cum gemitibus & lachrymis. Nos verò poſt ipſum procumbentes, quod dicebat, audiebamus, & reſpondebamus. Tunc demùm ſilenter paululùm orabat, idquè vnumquemque noſtrum agere ſinebat. Denique ſe erigebat, Altare honorificè adorabat, & nobiſcum iam regrediendo dicebat: *Angelum pacis & gratiæ dona nobis Domine Deus noſter*. Et tunc ibi Pſalmos dicere in Eccleſiæ exitum incipiebat, vbi eoſdem in ingreſſum reliquerat. Cumquè ad aliam veniremus Eccleſiam, hoc in ea agebamus, quod in alia feceramus. Et notandum, quòd in loco, quo Pſalterium finiebat, in eodem protinùs idem incipiebat; etiamſi præter Pſalmos tres minimè ei de exordio tunc dice- C D

re liceret. Clericum enim fatebatur ſemper debere inter Pſal- A
modiam eſſe.

## C A P V T XXIII.

*Duo Clerici, propterea quòd Arialdo auctore reſipuiſſent, dirum in carce-
rem à Guidone Archiepiſcopo truduntur. Hinc Populus Fidelis ad ar-
ma concurrit: eumdemquè Archiepiſcopum, ingenti armatorum
multitudine comitatum, pugnamquè propterea fidenter
molientem, ſed mox ſubito cum ſuis timore diuinitùs
perculſum, captiuos ſibi reddere Clericos* B
*compellit.*

I. PEractis igitur nouem annis in exercitio tàm gran-
di atque admirabili, ventum eſt ad decimum,
in quo peruenit ad votum diu nimis optatum.
Nam ſic pro Chriſto mori ardenter cupiebat,
vt, cùm quemlibet ſe Deumquè cerneret purè
diligentem, magna cum prece depoſceret, di-
cens: *Obſecro te per Chriſtum, vt pro me precem fundas apud ip-
ſum, quatenùs ſanguine proprio teſtari merear verbum eius, quod* C
*prædico*. Ad quod adipiſcendum ei hæc occaſio fuit. Iurauerat
enim illi OMNIS CLERVS, TAM MAIORIS QVAM MI-
NORIS ORDINIS, necnon ipſe GVIDO, qui Pontifex dice-
batur, quatenùs cum eo deberent hæreſim Simoniacam ac Neo-
phytanam damnare, & in Catholica Fide vlteriùs perſiſtere. Sed
cùm Eccleſiarum regimina EIDEM GVIDONI ſine Rectori-
bus apparebant, illicò, quod iurauerat, obliuioni tradebat: &,
ceu canis ad vomitum, ſic reuertebatur ad ſuum antiquum rea-
tum. Quod VIR DEI ARIALDVS, cernens, litteras per manus
Herlembaldi ad Apoſtolicum direxit, quatenùs ipſe decerneret, D
quid de Guidone adultero & Simoniaco atque periuro fieri
oporteret.

II. Tunc enim duo Clerici MODICENSES ad Chriſti Famulum vene-
re ſpondentes, velle ſe relinquere opera & conſortium Diaboli,
& deinceps firmiter tenere & prædicare opera & Fidem Chriſti.
Nam vnus ex his tantæ erat audaciæ & peruerſitatis, vt quaſi
ductor exiſteret aduerſæ partis. Quibus Vir Dei ait: *Tot quippe*
*ſunt,*

*ſunt, qui hoc dicunt mendaciter, vt iam penè nemo eſt, cui poſſit credi veraciter. Vos verò ſi vultis, vt veſtris credam ſermonibus; ite, & operibus me firmum reddite.* Regreſſi igitur domos, connubio illicò à ſe repulſo, cœpere palam & conſtanter profiteri, Beati ARIALDI verba eſſe plena veritate: quæ hactenùs erant profeſſi, fore plena falſitate. Hæc vt Guido audierat, ſæuos illuc protinùs apparitores mittens, eos capere iuſſit, atque in Alpes ad Caſtrum, quod dicitur LEVCVM, deportari. Ibi namque in tam dirum carcerem ſunt miſſi (ſicut ipſi nobis ſunt poſtea profeſſi) vt nunquàm eos contigerit audiſſe, Sanctos à Paganis diriora perpeſſos. Quod Chriſti Famulus dum audiſſet; conuocata in vnum Ciuitatis multitudine, ait: *Volo vos, Dilectiſsimi, ſcire, quòd Chriſtianus pro nulla cauſa gladium debeat ferre, niſi pro Fidei defenſione. Si ita eſt: immò quoniam ita eſt; vos, qui Chriſtiani eſtis, & arma fertis, cogitate, quid nunc vos oporteat facere. Ecce enim duo Clerici, quamdiù, in perfidia perſiſtentes, opera Diabolica ſunt ſecuti, honorificè ab eo, qui Pontifex Mediolanenſis dicitur, ſunt habiti: cùm verò eamdem perfidiam, diabolicamquè nequitiam decreuere contemnere, & Chriſtum ſequi, tunc ſunt capti, tunc in dirum carcerem truſi.* A B

III. Hæc cùm Ciues Chriſtiani audiſſent; obſtupefacti tantam perfidiam cum magno clamore cœperunt damnare, ad arma cucurrere; & ad vindicandum tantum ſcelus contra Guidonem exire cœperunt. Chriſti verò Famulus timens, ne ad Fidei detrimentum pro abſentia Herlembaldi Populus præmio aut timore corrumperetur; eos præceſſit, in manu portans Vexillum Sanctæ Crucis. Guido autem ſpe nimiæ multitudinis equitum pugnaturus occurrit in Rutibus Modicenſibus, millibus ferè decem ab Vrbe diſtantibus. Vociferantibus itaque partibus vtriſque infidelem aciem protinùs tantus inuaſit timor, quatenùs ei nulla quidem remaneret ſpes fugiendi, vel bellandi. Sed dantes ſtatim obſides, Clericos ſpoponderunt captos quantocyùs ſe reddituros. Et ſic in eodem die reuerſi ſunt gaudentes, Deumquè laudantes. Tertia enim die poſt hæc ad Eccleſiam Viri Dei vox inſonuit, dicens: *En iam veniunt rudes Martyres Chriſti*: Clerici ſcilicet, qui fuerant capti. Quibus Chriſti Famulus cum multis Fidelibus illicò occurrit obuius: eoſquè deoſculans, cum magno gaudio ſuſcepit: & excelſa voce *Te Deum laudamus* C D

cum

cum fratribus cantare cœpit, illoſquè ſic in Eccleſiam introduxit. Quos tunc conſterna . . . . . . A

## PRÆMONITIO AD LECTOREM.

Nonnulla hic deſunt; quippe binæ hic paginæ antiquo exciderant Codici, è quo exſcriptum fuit exemplar, quo vtimur.

## CAPVT XXIV.

*Guido Archiepiſcopus, eo quòd à fide, Romanæ datâ Eccleſiæ iurataquè, deſciuiſſet, per Pontificias Litteras excommunicatur. Quo ille comperto, plurimos ad Arialdi & Herlembaldi cædem concitat; ſed exitu tamen tam aduerſo, vt ipſemet agrè manus euaſerit Fidelium, qui ſe protinùs opponunt, & innoxios Dei Seruos tutantur.* B

## PRÆMONITIO AD LECTOREM.

Ex his, quæ hoc Capite comprehendenda congruenter ad præmiſſum argumentum eſſent, multa deſunt. Sed ea tamen (ſicut & pauca illa, quæ ſuperiori deerant Capiti) Lector ſupplere ſibiquè ſatisfacere commodè poterit è Capite 24. & 25. Vitæ ſimiliter Arialdi, ab altero poſtmodùm Auctore conſcriptæ, quam poſtea C Libro Tertio producemus. Quæ porrò in hoc noſtro exemplari ſequuntur (è quibus vtique dignouimus, quæ in antiquo atque olim perfecto & integro præcedebant) ita ſe habent: . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . tos cruentoſquè. Cœperunt itaque Herlembaldum cohortari, vt deſcenderet, & Chriſti aduerſarios cum eis proſterneret. Quibus nullo modo acquieſcens, nec deſcendit, nec manus depoſuit. Ipſi verò irruere protinùs in eos: &, ſicut enim ante validiſſimum ventum fumus, ſic ante eos omnis illicò infidelis euanuit populus. Guidonem verò ante ianuas in equo reperiunt. Quem iuſtè fuſtigantes ſpoliant: atque eorum manus vix euadere potuit, in cœnaculum quoddam tractus potiùs, quàm delatus. Tot namque ocyùs tunc apparuere pro veritate certantes, quaſi eiſdem nulli eſſent in eadem Vrbe reſiſtentes. Magno igitur cum trophæo Eccleſiam intrantes, HERLEMBALDVM deſcendere faciunt: immò læti valde ſunt effecti, eoquòd BEATVM ARIALDVM, quem credebant mortuum, reperiunt viuum. D

Quem

Quem ergo tollentes in atrium ECCLESIÆ, QVÆ DICITVR A
ROZZONI, deueniunt: ibiquè protinùs tanta armatorum multitudo eſt congregata, quatenùs inimicorum non ſolùm corpora proſternere, verùm etiam ipſorum poſſent liberè omnia ædificia ſubruere.

## CAPVT XXV.

*Arialdi fautoribus anhelantibus ad vindictam de ſuis aduerſarijs ſumendam, eos ipſe (tametſi malè habitus, & vulneratus) dehortatur.*

B
I. AD quod namque patrandum dum anxiè anhelarent; HERLEMBALDVS, iam Vexillum in manu tenens erectum, ait: *Oportet, vt Dominum ARIALDVM inquiramus, & cuius domum euertere primitùs debeamus.* Hæc verò vt Chriſti Martyr audierit: in locum, vnde à cunctis poſſet audiri, ſe iuſſit deferri; eoquè innuente manu, ſilentium factum eſt magnum.

II. *Chariſſimi* (inquit) *ſi in linguas verterentur noſtra omnia membra; nullo modo valerent Dei laudare magnalia, vobis hodie cælitùs oſtenſa.* C
*Hodie enim, vt ſcitis, talis hora fuit, in qua nullus veſtrum vnum ſaltim pro veritate valebat verbum proferre: nunc autem nullus eſt, qui vel etiam contra vos, vt inſpicitis, audeat mutire. Et quis verò eſt hæc operatus, niſi Chriſtus? Si igitur Dominus hodie cognouit famulos ad tuendum; dignum eſt, vt famuli noſcant Dominum ad venerandum. Nam ſi inimici Dei & noſtri hodiernam noſcerent ſolemnitatem; quod egère, nullatenùs eſſent conati. Nos verò & Dei ſcire ſolemnitatem venerando, & eius audire præcepta obſequendo oportet. Ait enim: Diligite inimicos veſtros: benefacite his, qui odère vos. Per ipſum ergo vos oro, vt nunc arma* D
*deponatis,* MECVMQVE AD BEATI AMBROSII SACRVM CORPVS VENIATIS, *& ibi Deo grates debitas pariter reddamus, noſtroſquè æmulos diem hodiernum ducere lætiferum ſinamus, necnon pro ipſis Deum ſuppliciter exoremus. Nam à quibus hæc aguntur, alta celſitudo acquiritur; quia de filijs hominum Dei filij, teſtante Chriſto, efficiuntur.*

III. Hæc enim illa multitudo dum audiſſet; alij videlicet ſapientiores,

BEATVM

BEATVM ARIALDVM totum cruentum & ſeminecem A ſpectantes, pacem vitamquè inimicorum poſcere audientes, mirantes obſtupeſcebant; alij verò feruentiores ſpiritu his verbis nullo modo acquieſcere volebant. Verumtamen, licet diuerſi vellent diuerſa; cuncta tamen illicò ſunt cōpleta Martyris verba.

## CAPVT XXVI.

*Guido Archiepiſcopus profuſione pecuniarum ſeditionem redintegrat obſtinato in id animo, vt Arialdus expellatur ab Vrbe, ac necetur. Sed hic mori paratus cum ſuis Collegis ſua in domo & Eccleſia ſe* B *continet: nec vllius auſu expellitur, nedùm necatur.*

I. SEquenti denique nocte iterùm cum Guidone congregata eſt pars peruerſa, dicens: *Non nos hac aduerſa omnimodò deijciant. Popularis enim turba citò mutatur, & in diuerſas partes facilè inclinat. Certi quidem ſumus, quòd in Vrbe ARIALDVM extinguere nullo modo valemus. Tale igitur aliud conſilium noſtra ſagacitas reperiat, quòd ipſe nullatenùs euadere queat. Conſtituantur equidem per diuerſa Vrbis loca* C *ex nobis viri prudentes, pecunias à nobis ſibi collatas habentes copioſè, quas per populum clam in noctibus tribuant: in diebus verò, omnibus omiſſis negotijs, aſſiduè conueniamus. Et hoc tamdiu agamus, quouſque nimis multiplicati ipſum violenter ab Vrbe pellere valeamus. Quod cùm fuerit factum; poſitis vndique inſidijs capiatur, captuſquè illicò necetur. Quæ cuncta ſi non impleuerimus; pacem nunquam habebimus. Quid multa?*

II. Per dies enim quindecim duo populorum conuenticula ſunt in Vrbe vehementia aſsiduè habita: vnum ſcilicet Fidelium AD ECCLESIAM ROZZONI, alterum verò in Curia Pontificali. D Creſcebat autem nimis pars veſana pro pecunia ſibi in noctibus data. Qua verò nequiter creſcente, Fideles paulatim tædentes cœpere deficere. Quod peruerſa plebs cernens, cœpit elata in BEATVM ARIALDVM cùm nimijs clamoribus irruendi facere impetum, quatenùs eum ibi necaret, eiuſquè locum funditùs deſolaret. Erat enim Chriſti Famulus inter aduerſa tam fortis & conſtans, vt nullus è fratribus in die tribulationis inde

auderet

auderet aufugere, nec quicquam aſportare; ſed cùm fremitum impiorum ſuperuenientiem audirent, ſe ante Altare proſternebant, ibiquè mortem expectabant. A

III. In vno horum dierum, cùm iam clauſis oſtijs fratres ante Altare iacebant mortem præſtolantes; vnus eorum rem, quam maximè diligebat, latenter aperto oſtio inde aſportauit, eamquè in domo cuiuſdam ciuilis amici commendauit; prorinuſquè redijt. Quod Vir Dei vt audierit, fratrem ad ſe accitum ſic allocutus eſt. *Arnulfe* (inquit) *nonne Eccleſia hæc in eius honorem & nomen dedicata eſt, cui aſſiduè dicimus: Sub tuum præſidium confugimus, Dei Genitrix? Et nonne legiſti: Maledictus homo, qui ſpem ſuam ponit in homine? Et cur contra hæc nunc agere præſumpſiſti?* B Qui pauens obmutuit. Vt autem tam iſdem, quàm cæteri, amodò non præſumerent talia; hæc culpa acribus verberibus eſt protinùs emendata.

IV. In his namque diebus ibidem tam grauis confuſio vehemenſquè perturbatio erat, vt in hora conſtituta plerique Fideles cibum capere deſperarent, mortem adfuturam illicò expectantes. Sed licet impij frementes inſanirent; nullo modo facere audebant, quod minabantur; quoniam totiens dolor in eorum capita vertebatur, quotiens contra Chriſti Famulum ſurgere nitebantur. C

## CAPVT XXVII.

*Guido Archiepiſcopus Medıolanum iubet eſſe ac pronunciat interdicto ſubiectum, quamdiu Arialdus hic manſerit: qui verò contra fecerint, fieriuè permiſerint, hi bonis fortunæ omnibus vitaquè priuandi denunciantur. Arialdus occultè fuga elapſus, iamquè Papiam tranſgreſſus, Pado nauigat, Romam tendens. Inſidijs igitur circumquaque iam diſpoſitis interceptus, in Arcem illic abripitur; atqui mox, tamquàm innocens veriquè ac recti amans, ab ipſomet interceptore perhumaniter habetur, & comitibus ſuis in libertatem reſtituitur.* D

I. QVapropter iniquum & publicum dant præceptum: Vt, donec ARIALDVS in Vrbe maneret, quicumque Clericorum publicè Myſterium celebraret, vel tintinnabula ſonaret, aut laicus quiſquam, qui hæc in ſua agere Eccleſia permitteret, non ſolùm priuaretur ſubſtantia,

ſed etiam vita. Hæc verò non ſolùm alibi, verùm etiam in Eccleſia, vbi idem manebat (præ nimio timore iubente Milite, cuius ipſa iuris fuerat) ſeruari cœpere. Quod ipſe ſuper omnia, quæ ei hactenùs acciderant, grauius exiſtimans, ait: *Abſit, vt mei vltra ſint participes & fratres, qui nefandas Hæreticorum obſeruant pro mortis timore inſtitutiones.* Qua de re, etiam ipſis fratribus ignorantibus, aſſumpto tantùm comite vno, nomine Syro, nocte clam Vrbe exijt; ET AD SANCTVM VICTOREM AD VLMVM biduo cum ipſo perlatuit. A

II. Denique hinc Herlembaldus cùm multis Fidelibus militibus vtroſque ſuſcepit, & Papiam cum eis perrexit. Et parte quidem militum remiſſa, parte verò ſecum retenta, per Padum nauigio cœperunt deſcendere, quatenùs Romam pergerent, & vſque ad aliud tempus tantæ iræ cederent. In quo ſcilicet nauigio ſub quodam capti ſunt Oppido, & ex medio ſodalium ineffabiliter mœrentium BEATVS ARIALDVS violenter ſolus eſt raptus, & in Arcem deductus. Vbi dum ſolitam in oratione & ſermone teneret conſtantiam; miratus miles, qui ipſum ceperat, ait: *Pontifex quippe Medidanenſis magnum quidem mihi ſe daturum promiſit præmium, ſi te caperem, eiquè te darem. Namque mihi ab eo eſt intimatum, te eſſe hæreticum: quod, vt cerno, omninò eſt falſum.* Denique eum cum omni domo ſua venerabiliter habere cœpit, & comitibus mœſtis, Papiam iam reuerſis, reddere feſtinauit. B C

III. Poſt hæc, ſcientes loca vndique obſeſſa, ad quoddam Caſtrum fidelis Herlembaldi ſunt reuerſi.

## CAPVT XXVIII.

*Arialdus, vt contra hoſtium inſidias & furorem incolumis ſeruetur, ab Herlembaldo fidei creditur & tutelæ cuiuſdam Presbyteri, quem putat opportuniſſimum. Sed ab hoc perfidè proditur Guidoni Archiepiſcopo: illiquè traditus in poteſtatem, celerrimè verſus Lacum Maiorem abducitur occidendus.* D

I. TVnc quidam fratres Canturienſes ei mandarunt, dicentes: *Nobis quidem hic pro nimia perſecutione viuere non licet: nos verò ad te venire iube, ſi placet.* Quibus & ipſe: *Quicumque* (inquit) *mecum pro Chriſto mori eſt paratus, venire ad me feſtinet. Qui autem nondùm eſt, aliorſùm fugiens*

*fugiens declinet*. Hæc, me præſente, dicta ſunt. A

II. Poſt hæc Herlembaldo, cæteriſquè qui ſecum aderant, ſic locutus eſt. *Ex hac* (inquit) *terra exire nequimus; quia cum mortiferis inſidijs omnes aditus obſeſſos ſcimus. Et hic manere non poſſumus; quoniam populus veſanus hic me perſequi iam minatur; & valde paueo, ne inſontes huius loci incolæ ſub hac occaſione deuaſtentur. Quapropter neceſſe eſt, vt aliud reperiamus conſilium: ſcilicet, vt quæramus quempiam fidelem virum, qui me per dies aliquot in ſuam occultet domum; quatenùs interim aut populi furor deferueat, & in hac terra me viuere liceat; vel cuſtodia in inſidijs vbique poſita me deſiſtant quærere pro nimia ſecuritate: & ſic me hinc fortè* B *licebit exire*. Qui reſpondere dicentes: *Quæ autem dicis, cunctis placent; ſi inueniretur, qui hoc fideliter faceret*. Et ille: *Eſt* (inquit) *loco huic quidam Preſbyter vicinus, nuper ex Ieroſolyma regreſſus; qui hactenùs mihi credere ſatis eſt viſus: per quem, ſi placet, mittatur, & ſuper hac re diligenter inquiratur*. Omnibus itaque volentibus, per nefandum Preſbyterum tunc miſſum eſt.

III. Poſt hæc Eccleſiam ingreſſus ipſe eſt: in qua, quoniam Vigilia Sancti Ioannis Baptiſtæ erat, à mane vſque ad horam quaſi nonam in oratione permanſit indeficiens. Et ecce deteſtandus Preſbyter veniens ſecretè diligenterquè inquiritur, ſi locum haberet aptum, C ad ipſum per tres ſaltim menſes occultandum. Qui cùm promitteret, ſe iuxta Eccleſiam locum ſic habere ſecretum, vt in eo quempiam per multos annos tenere valeret celatum; media tandem nocte, libatis oſculis cum gemitibus & lachrymis multis, vſque ad portam cum ambobus proceſſimus. Nam ipſum multùm deprecati ſumus, vt vnum (quemcumque ex nobis vellet) in ſuum obſequium ſumens, duceret. Quibus & ipſe: *Nequaquàm*, inquit. *Quoniam, ſi vnà duo ſunt; loquuntur & loquentes audiuntur*.

IV. Quis enim fari poteſt, quanta bona tunc HERLEMBALDVS Preſ- D bytero promiſit; ſi ipſe Chriſti Famulum tractaret benè: & quanta mala; ſi malè? Mœrentes igitur vtroſque abire permiſimus: mane verò ad Vrbem deuenimus.

V. Presbyter ergo nequam mox vt in ſuo conclaui illum concluſerat; diabolico tactus ſpiritu malo Guidoni nunciare feſtinauit, dicens: *Quid vis mihi dare? & ego tibi tradam ARIALDVM ſine turba, ſine Herlembaldo, immò abſque viro aliquo*. Cui ille

lætus nimis effectus magnum præmium illicò cum ſecuritate A
promiſit; ſi ipſe, quod promittebat, impleret.
VI. Tunc ſibi quamplures dari petijt milites. Quos ſumptos inter duas
maceriäs ab habitatione ſeceſſas nocte conſtituit, dicens: *Vnus*
(inquit) *ex vobis tantummodò in media iaceat via, ſcuto cooper-
tus. Hunc enim, cum venero, percutiam calciamento. Tunc vos
omnes velociter ſurgite: & tam me, quàm ipſum capite. Ne fortè
quidem ſuper alium ſurgatis incautè; vobis hoc fore ſignum, ſcitote.*
Et poſt hæc in his verbis ad Virum Dei ingreſſus eſt. *Domine* (in-
quit) *ARIALDE, neceſſe eſt, vt hinc velociter diſcedamus, &
ad Caſtrum, de quo te ſuſcepi, reuertamur; quoniam, te hic eſſe,* B
*omnibus notum eſt. Nam ſi hic moram fecerimus; cras procul du-
bio capiemur.* Cui Vir Dei: *Tibi* (inquit) *via eſt nota. Præcede
ergo; & ego ſequar te.* Traditore igitur præcedente, ad milites
venere vtrique. Et ex calceamento, facto condicto ſigno, om-
nes pariter in Dei Virum irruunt, eumquè capiunt, captumquè
ſtrictè vinciunt, & vinctum iumento ſuperimponunt, ac tacitè
conciteque contra Lacum Maiorem feſtinant pergere.

## *CAPVT XXIX.*

C

*Arialdus, iubente Guidonis Archiepiſcopi Nepte, in ſolitudinem Lacus Ma-
ioris abductus, à duobus denique Clericis per ſummam crude-
litatem necatur conſtantiſsimus Chriſti Martyr.*

I. HOC enim ante horam diei tertiam, in quo Vigi-
lia Sancti Petri celebratur, per totum Mediola-
num eſt diuulgatum. Vnde factum eſt, vt vbi-
que eſſet luctus & lamentum piorum, atque
econtra veſana exultatio reproborum.
II. Quod ego audiens, tumultuoſam & confuſam D
protinùs reliqui Vrbem, eumquè proſecutus ſum. Die igitur
eodem nocteque ſequenti feſtinè properans, die altero ad præfa-
tum iam Sole oriente perueni Lacum. Supra cuius enim dum
incederem litus, & STATIONÆ, VBI PARENTELA MALI
GVIDONIS HABITABAT, eſſem propinquus; obuium ha-
bui virum, nomine Martinum, qui ſe dicebat fore Presbyte-
rum. Hic me interrogauit, vnde eſſem, quouè pergerem.
Cui,

Cui, vt veritatem ſecurus ab eo inquirerem, ex parte mentitus ſum, dicens: *Ex illa Plebe ſum: & compares mei huc me direxere, vt manifeſtè valeant ſcire, vtrùm verum ſit, quod apud nos de ARIALDO, Clericorum inimico, nouiter inſonuit: ſcilicet, quod extinctus ſit: & ſi eis ſuper hoc pleniter lætandum ſit*. At ille: *Reuertere* (inquit) *mecum: &, cùm ad Eccleſiam, quam paululùm poſt te reliquiſti, redieris, optimè de hoc inſtructus eris*. Et tunc mihi ſecum reuertenti ait: *Externa namque die vox lætifera noſtro inſonuit loco, dicens: ARIALDVS, Clericorum aduerſarius, vinctus habetur in naue, & in ripa Laci. Ad quem illicò cum multis alijs decurri: & arrepto palo optimè acuto, manuquè erecta, in pectore eius illum infigere volui; ſed non ſum permiſſus. Miſſi ſunt quidem quinque protinùs viri à Domna Nepte Archiepiſcopi, de quorum ferocitate ipſa non dubitabat: qui eum à militibus diuiderent, & in locum, quo ipſa eis iuſſerat, ducerent. Quod ſine mora completum eſt. Et in tantam illicò eſt ductus ſolitudinem, vt vix ibi ſit aliquando acceſſus hominum, & tantummodò nauigantium, ſed ſyluestrium ſolummodò habitatio beſtiarum. Quid te verbis longiùs protraham? Ibi cadauer eius ſine auribus, ſine naribus, ſine oculis, ſine dextera manu, ſine membro genitali eſſe fecere. Si abſque omnibus his membris aliquando quemquam vidiſti viuere; hunc eſſe mortuum noli credere. Nam ſero nullo modo quieſcere quiueram, donec ij, qui in eum hæc patrarant, ſic me ſecurum fecere; quatenùs vltra non ſit, vnde mea iam mens dubitare poſſit. Tu verò ad tuos reuertere, hæc eis intimans: eoſquè redde ſecuros, lætoſquè*. Et poſt hæc ab alterutro diuiſi ſumus: &, donec Eccleſiam eſt ingreſſus, me redire finxi: poſtea verò, nolens verbis confidere perfidi, regreſſus ſum ad iter, quod reliqueram.

III. Cùm autem in iam præfatum ingrederer Vicum, iuxta viam reperi Eccleſiam, in honorem Sancti Petri dedicatam, ad quam tunc Clericorum Laicorumquè multitudo cum Proceſſione exibat. Ibi quidem ſeorsùm duas inueni mulieres, de his, quæ acciderant, conferentes, & plorantes. Quibus appropinquans inquiſiui, quid haberent, & cur flerent. Quarum vna ait: *Verè tu ex illo es Ordine, qui, cùm deberet ſuis bonis dictis factiſquè omnes leuare in Cælum, econtra malis exemplis cunctos præcipitat in Infernum. In hoc enim loco, machinante tuo Ordine peruerſo, in his diebus tantum eſt perpetratum ſcelus, quatenùs pro hoc Omnipotens*

*Deus*

*Deus in abyſſum demergat, anxiè expectemus: & tu dicis: Cur* A
*flemus?* Videns igitur mulierum fidem; ipſis, quòd diſcipulus
eſſem illius, de quo flebant, intimaui: eaſquè, ſi vera eſſent quæ
à prædicto audieram viro, inquiſiui. Quæ ſtatim factæ apud
me nimis gratæ, omnia teſtantur eſſe vera, præter hoc, quòd de
eius morte adhuc erant incertæ.

IV. Viam itaque mihi contra præfatam tendentem ſolitudinem oſten-
dunt: multumquè depoſcunt, vt reuertens eas facerem ſciolas,
vnde eis adhuc inerat dubietas. VERVM INGENTIVM
PRÆPEDITVR OBSTACVLIS SAXORVM ILLVC AC-
CEDERE. EVNDO PER TERRAM NEQVIVI: QVI- B
QVE PER NAVEM ILLVC ME TRANSFERRE AVDE-
RET, REPERIRE NON POTVI; ideoquè, præter quæ dicta
ſunt, pleniter de illo tunc ſcire non valui.

V. Porrò, ſecundùm quod poſtea diligenter ſcrutatus ſum, qualiter
quibuſque ex hac vita verbis migrauerit, diligentibus Deum
fore gratum credo, ſi id breuiter intimauero. A loco igitur, quo
captus eſt, Pſalmodiam decantauit. Ad STATIONAM enim
à militibus, vt prædictum eſt, diuiſus, & quinque ferocibus
ſeruulis eſt traditus. Qui cùm ipſum ducerent ad mortem, al-
locuti ſunt dicentes: ARIALDE, *cur non recordaris, vt neges,* C
*quæ hucuſque dixiſti: & profitearis, Dominum noſtrum eſſe verum*
*Pontificem? Nam ſi hoc faceres; fortè adhuc viuere poſſes.* At il-
le: *Abſit* (inquit) *vt coronam, quam verum dicendo in mea ac-*
*quiſiui vita, in fine mentiendo amittam. Nam me vtrùm nunc du-*
*catis ad mortem, ignoro. Quod ſi facitis; ſcitote, veſtro Domino*
*meam mortem valde nocituram, non ſolùm in futura vita, ſed*
*etiam in præſenti.* Et illi: *Videſne* (inquiunt) *illum magnum mon-*
*tem? Si ipſe profectò eſſet aureus & tuus, totumquè dares; vltra*
*nullo modo viueres.* Ille autem hæc audiens ſe erexit, & Hym-
num Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli alta voce decantare D
cœpit. Quo finito, ad ſolitudinem, ad quam tendebant, per-
uenere.

VI. Quem tollentes de naue, ſupra quoddam ſaxum vinctum poſuere
ad ſedendum. Seorsùm denique paululùm remoti hæc dicere
cœperunt ad inuicem: *Quid faciemus? Si tantum occiderimus*
*Virum; noſtræ animæ nullum vltra poterunt adipiſci remedium. Et*
*hoc ſi non fecerimus; nihilominus moriemur.*

VII. In

VII. In his enim dum hæſitarent, aſpexere nauiculam concitè venientem, duoſquè homines deferentem. Et aiunt adinuicem: *Hos expectemus: hi forſitan boni nuncij baiuli ſunt.* A

VIII. Prædicta verò mali Guidonis Nepcis (quæ exhinc IEZABEL, & HERODIAS eſt nuncupata) poſtquàm quinque ad Dei famulum necandum direxerat ſeruulos; duos Clericos, quos in eius mortem præcipuè inhiare cognouerat, ad ſe vocatos ſic allocuta eſt: *Aſſumptis gladijs veſtrum perſequimini velociter Inimicum; ne fortè cæteros ſeducat, & vlterius viuat.* Hi verò erant, qui cum naue tunc veniebant.

IX. Qui cùm ad cæteros veniſſent; egreſſi de naue dicunt: *Vbi eſt* ARIALDVS? Qui reſpondere dicentes: *Mortuus eſt.* At illi: *Nobis (inquiunt) iuſſum eſt videre illum, ſiue viuum, ſiue mortuum.* Et aſpicientes vidêre illum eminùs vinctum, ſedentem ſuper ſaxum. In quem ſic anxiè irruunt, quomodò leonum catuli ſuper prædam famelici. Euaginatis igitur gladijs, ipſius vnus vnam, alter verò auriculam arripit alteram, dicentes: *Dic furcifer, ſi Dominus noſter verus eſt Archiepiſcopus.* Qui reſpondit: *Nec eſt, nec fuit vnquàm; quia opus Archiepiſcopi in ipſo nec eſt nunc, nec fuit vnquàm.* Tunc immites eius vtraſquè amputant aures. At ille, oculis in Cælum eleuatis, ait: *Gratias tibi ago, Chriſte, qui me hodie inter tuos Martyres dignatus es connumerare.* Interrogatur denique iterùm, ſi Guido verus eſſet Archiepiſcopus. Qui, ſolitam conſtantiam animi tenens, ait: *Non eſt.* Quapropter naſus ipſius protinùs cum labio ſuperno eſt abſciſſus. Deinde ambo oculi ſunt effoſſi. Poſteà verò dexteram detruncant manum, dicentes: *Hæc eſt, quæ faciebat Epiſtolas, Romam directas.* Dehinc radicitùs membrum amputant genitale, dicentes: *Prædicator caſtitatis hactenùs fuiſti; exhinc & tu caſtus eris.* Poſtea verò deſub gutture linguam extrahunt, dicentes: *Modò ſileat, quæ Clericorum familias conturbauit & diſperſit.* Et ſic illa Sancta Anima carne eſt ſoluta: corpus verò ibi quoquomodo terræ traditum eſt. B. C D

## *CAPVT XXX.* A

*Arialdi Cadauer, varijs ſubinde in locis humatum, emiſſa cælitus luce illuſtratur. Quocirca, iubente ſimiliter Guidonis Archiepiſcopi Nepte, ingentibus illigatum ſaxis, in profundum Lacus Maioris præceps immittitur.*

I. COEperunt denique illic poſt hæc luminaria præclara per noctes piſcatoribus apparere. Quod vt IMPIA IEZABEL audiuit; protinùs in aliam Inſulam eum nocte transferri iuſſit. Sed cùm B eadem lux ibidem ſimiliter crebrò appareret; in locum tertium eumdem aſportari fecit. Videns igitur, quòd non poſſet ſanctum occultare Corpus, nec ſub terra, neque ſuper terram, quia illud vbique lux eximia comitabatur; irata valde fecit ſaxa ingentia circa ipſum innecti, & in profundum Laci dimergi. Verumtamen ibi, vbi eſt proiectum, tanta eſt aquæ altitudo (ſicut didici à viris illius loci) vt vix fune centum cubitorum quiſquam poſſit fundum attingere. Nam iſdem Lacus pro ſui magnitudine MAIOR nuncupatur, & plus quinquaginta milliaribus in longum extenditur. In quo tam innu- C merabiles procul dubio immaneſquè ſunt piſces, vt per tres menſes facilè deuorarent quot in eadem Parochia ſunt pecudes.

II. Verùm quia omnia hæc occultè fuerant peracta; de illo hæſitatio & altercatio vbique erat non parua. Alij dicebant, quòd eſſet mortuus: alij, quòd in vinculis clam detineretur. In cuius amorem tunc ſic omnis Populus eſt accenſus, vt cuncti ſe ſub iureiurando conſtringerent, quatenùs illum aut eſſent viuum ſiue mortuum habituri, aut pro ipſo ad mortem vſque certatu- D ri. Sed Deus Omnipotens, cuius cauſam ipſe patefecerat, nec illum paſſus eſt à piſce contaminari, nec in Lacu profundo occultè morari.

§§§§§§§
§§§
§

## CAPVT XXXI. A

*Arialdi Corpus decimo deinde menſe, mirificè candidum, neque quicquàm interim læſum aut corruptum, è profundo Lacus, lapidum pondere ſolutum ac liberum, emergit: & ex aqua in ripam proiectum, per Aquilam mirabiliter indicatur. Inde rurſus, iubente Guidonis Archiepiſcopi Nepte, in fouea occultatur, mox & in Arcem Aronæ noctu transfertur; ibidemquè rurſus detruncatur, deturpatur.*

I. TRanſactis namque menſibus decem, quidam vir B Fidelis, nomine ALGISIVS, per Vrbem cœpit anxiè diſcurrere, dicens: *Nuper, in die Inuentionis Sanctæ Crucis, mei cauſa negotj iuxta litus tranſibam* LACI MAIORIS. *Et ecce Aquila eadem ſuperuolitabat litora, cætera expellens volucria. Quod vt viderunt paſtores, qui ibi paſcebant ſuas pecudes, illuc feſtine cœpere currere. Cum quibus cucurri & ego. Et ecce* BEATISSIMVS ARIALDVS, *ex aqua proiectus*, IBI INTEGER (PRÆTER OCTO MEMBRA, QVÆ EI ERANT CVM FERRO AMPVTATA) IACEBAT, MIRIFICE CAN- C DIDVS. *Quem ego videns, optimè illicò agnoui: hiſquè, qui aderant, lachrymabiliter omnibus dixi: Videte (inquam) vt hic ſaluus ſit; quia iſte eſt* BEATVS ARIALDVS, *quem mæſtus vniuerſus quærit Populus. Dum enim ibi aliquantulùm moraremur, ſubitò de* ARCE ARONA *miſſi ſunt ſerui, qui inde nos eiecerunt; & in quamdam, quæ ibi erat, foueam leniter humauere.*

II. Hoc ego, qui hæc ſcripſi, dum audiſſem; ſumpto comite, illuc perrexi concitè. Repertoſquè paſtores, vtrumnàm vera eſſent, quæ audieram, diligenter cauteque inquiſiui. Qui, cuncta eſſe procul dubio vera, reſpondentes aſſeruerunt. Et ego: *Si vera ſunt* D (inquam) *vbi ergo eſt ille?* At illi: *Ecce* (inquiunt) *locus, vbi nobis videntibus ſerò eſt poſitus: mane verò reuertentes, locum quidem inuenimus; de eo autem nihil. Hoc tantùm putamus, quòd nocte eadem ſursùm delatus ſit* IN ARCEM. His auditis, velociter reuerſus, HERLEMBALDO, viro prudenti, quæcumque audieram, per ordinem cuncta narraui.

III. Qui, feſtinè omnibus conuocatis Ciuibus, iam in appetitu Marty-

ris, quem patefactum audierant, vehementer inhiantibus; ex A
illis viros elegit, atque ad ſanctum requirendum Corpus direxit. Qui poſt biduum reuerſi, profeſſi ſunt, hoſtes veritatis dixiſſe: *Mori potius parati ſumus, quàm, quod quæritis, reddere Corpus.* Hoc autem ideò dicebant; quia idem diſsipare temptarant. Nàm nocte, qua ad ſe illud detulerant, cernentes eius integritatem & decorem, dixere ad inuicem: *Si enim hic fuerit quæſitus, & ab omni Populò tam decorus inſpectus; ſemper quidem ipſe erit in laude; nos verò in opprobrio. Quapropter cutem cum capillis de eius radamus capite; pellem verò corporis albeſcentem ferreis dilaceremus vngulis; pedes abſcindamus vtroſque, & in furno* B
*denique nimis candentem illum aduramus; quatenùs, ſi ad eum videndum miſſum fuerit, horridus & ignotus potiùs reſpuatur, quàm quæratur.*

## *C A P V T XXXII.*

*Herlembaldo duce Mediolanenſes instructo ingenti exercitu prope Aronam caſtrametati; ubi Archiepiſcopi Nepte ſibi repoſcunt Arialdi Corpus. Dimiſſum tandem, diuinoque monitu viciſſim acceptum, perhonorificè deferunt ad Vrbem: atque per decem dies, tametſi æſti-* C
*uos, in Baſilica Sancti Ambroſij publicè ad venerationem expoſitum, ac mirabilem ſpirans odorem, ſolemni denique pompa tumulant ad Eccleſiam Sancti Celſi; necnon etiam deinceps illic à Fidelibus adoratur & colitur.*

I. VErùm, licet hæc diabolica machinamenta in eo cuncta compleſſent, in deteriorem, quàm putarant, ignominiam ceciderunt. Quia non miſſum eſt ad videndum, ſed petendum. Nam D
auditis nuncijs, tintinnabulis tubiſquè conciſiùs ſonantibus, omnis Ciuitas in vnum conuenit. Tunc dixit Herlembaldus: *Quoniam inimici Dei & noſtri gratìs ſanctum nolunt reddere Corpus; decet, vt ab eis per nos violenter auferatur. Sed quia res, quam proſequimur, Dei creditur & dicitur eſſe; volo, vt illuc iuſtè, & cum ipſius incedamus honore. Non enim cum raptu & pauperum detrimento innocentium pergamus;*

*mus; ſed nobiſcum feramus, vnde viuere debeamus. Diſcurrant* A
*itaque nuncij circumquaque velociter, qui omnes ad bella aptos cum*
*armis, ruſticoſquè huc venire hortentur cum plauſtris; quatenùs illi*
*nobiſcum pugnent, iſti verò noſtra arma & victus deportent.*

II. Congregata igitur poſt pauſulum tanta ſunt carra, vt per ſeptem ferè milliaria vix poſſent per publicam & communem viam turba pedeſtris vel equeſtris incedere. Confluebat autem vndique quaſi arena maris multitudo innumerabilis, arma ferens & victus ſupra dorſum famulorum, ſiue iumentorum. Et ſic incedentes, ſecundo tandem die ad veſperum reperimus pratum, quarto fere milliario à loco, quò incedebamus, diſtans, benè humectum, B
amplumquè. Ibiquè, quia ad hoc aptum erat, caſtrametati ſumus.

III. Hinc Herlembaldus, vir prudens, iterùm delegauit, blandequè ſanctum Corpus quæſiuit. Perterriti itaque hoſtes à ſonitu pauendo frementis multitudinis, ſuper ſe venientis, prohibere quod petebatur, vltra non auſi ſunt. Et ecce die altero illuceſcente, vox lætifera per caſtra inſonuit, dicens: *In litore quidem Ticini directum eſt in nauem Corpus* BEATI ARIALDI. His auditis, certatim omnes arripuerunt curſum. Ille namque habebatur tunc beatior, qui ad currendum erat promptior. C

IV. Eo igitur leuato in feretrum, cum tanta gloria & laude reuerti cœpimus, vt eas nullo modo exprimere poſſem; etiamſi vocem linguamquè ferream haberem. Nam de Caſtellis, quibus ſe concluſerant pro Ciuium timore, exibant ſenum iuuenum atque mulierum infinitæ multitudines, Cruces, cereoſquè, atque ſitulas aqua plenas (vt potarent æſtuantes) deferentes: & vnuſquiſque, prout valebat, voce excelſa immenſas Deo gratias reddebant. Tintinnabula quippe perſonabant vndique. Arbores namque quamplurimi ſcandebant, vt ipſum ſaltim videre poſſent.

V. At vbi Mediolano propinquauimus, totám penè Vrbem obuiam D
habuimus: matronas, nobiles & ignobiles, cereos innumerabiles deferentes: infantes & ſenes, omneſquè Deo laudem dantes. Etiam ipſos, quos in vita ſua habuit æmulos, ſcilicet Clericos, inuenimus paratos, non Officium cantantes Mortuorum, ſed, vt decebat, Martyrum. Et ſic in ſancto die Aſcenſionis Domini poſuimus illum in Eccleſiæ medio Sancti Ambroſij.

VI. Tunc nobilis Helembaldus in loco eminenti progreſſus, hæc omnibus

ginquo, vt nunquàm ſe vnam tantam vidiſſe etiam ſenes dice- A
rent: ET SIC CVM MAGNA GLORIA LAVDEQVE
INEFFABILI AD MONASTERIVM DELATVS EST
SANCTI CELSI.

X. Ibi namque in locum mirabiliter aptum traditus eſt ſepulturæ. Siquidem ex vna parte HABET ECCLESIAM, IN QVA SANCTI CELSI VENERABILE NVNC ADORATVR CORPVS: ex altera vero ECCLESIAM, VBI QVONDAM (VT FERTVR) DIV SANCTVS PERLATVIT NAZARIVS. Exhinc quippe ibi à multis Fidelibus adoratur & colitur; ab infidelibus autem nec Chriſtus Vniuerſorum Dominus, nec ARI- B
ALDVS ipſius famulus.

## *CAPVT XXXIII.*

*Denarius numerus obſeruatione dignus in Arialdi rebus. Quandonàm ſcripta fuerit hæc Martyris Vita, & hic ipſe occubuerit; ſicut & poſtea Herlembaldus, itidem Martyr.*

I. DEcem igitur Annos BEATVS LEVITA ET MARTYR ARIALDVS duxit pro Chriſti Lege C
viriliter certando. Decem membra eidem poſt hæc per manus obtulit iniquorum: octo, cùm occideretur: duo, ne agnoſceretur. Decem verò menſes in profundo Laci incolumis iacuit. Decem autem milliaria illum nobis proximiorem Lacus proiecit, quàm acceperit. Per dies enim decem æſtiuos ipſum in Eccleſia Sancti Ambroſij, videntibus cunctis, Chriſtus conſeruauit. Eiquè poſt hæc decimo Anno HERLEMBALDVM FIDELEM SOCIVM ASSOCIAVIT (VT VERACITER CREDO) IN REGNO CÆLORVM, peremptum ſcilicet D
per eorumdem manus iniquorum: IN QVO DECIMO ANNO HÆC SCRIPTA SVNT AD LAVDEM CHRISTI, EIVSQVE FAMVLI ARIALDI.

II. PASSVS ERGO EST BEATVS LEVITA ET MARTYR CHRISTI, ARIALDVS, * QVINTO KALENDAS IVLII, ANNO AB INCARNATIONE DOMINI MILLESIMO SEXAGESIMO-SEXTO, Præſidente Sedi Apoſtolicæ Secundo

* Legendum videtur QVARTO.

Papa Alexandro, Regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto cum A
Patre & Spiritu Sancto per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

## CAPVT XXXIV.

*Andreas, huius Auctor Vitæ, hanc ipſam Sacerdoti, nomine Syro, rerum Arialdi quàm optime conſcio, & antehac Scriptori, tranſmittit examinandam, & pro rei veritate teſtandam.*

SYRO, B
VENERANDO ET FIDELI SACERDOTI,
ANDREAS.

LEgente me olim ea, QVÆ CVM SOCIO HERIMBERTO DE VENERABILI ARIALDO SCRIPSISTI; reperi, vos multa præteriſſe, quæ dici oporteret. Vnde factum eſt, vt, IVBENTE BEATÆ MEMORIÆ RODVLPHO PATRE, CVIVS ANIMA
IAM CVM CHRISTO GAVDET, multa tam de his, quæ C
omiſiſtis, quàm quæ dixiſtis, exprimere conatus ſim. Quæ ad te mittens, obſecro per charitatem, vt diligenter inſpicias: &, ſi vera ſunt, teſtimonium feras. Nam ſicut ipſum habui, vt hæc facerem, præceptorem; ſic te habere volo, vt vera ſint, aſſertorem; quatenùs, ſi iure pro inculto ſermone eius putredinis & vermis, qui compoſuit, contemnitur; pro reuerentia duorum Sanctorum Sacerdotum, vnius præcipientis, alterius aſſerentis, ſuſcipiatur. Tu enim tanto tempore eius eſſe frater familiaris meruiſti; vt penè quicquid de eo di-
xerim, proprio intuitu inſpiceres: immò, quia Sacerdos es; D
mentiri non vales. Ideoquè dignè iuſtequè te elegi fore teſtem huius rei.

CA-

## CAPVT XXXV. A

*Syrus, ad Andream reſcribens, omnibus ab ipſo in hac Arialdi Vita narratis luculentiſsimè, tamquàm teſtatiſsimis veriſsimiſquè, ſubſcribit. At enim dolet, quòd multa & præcipua fuerint omiſſa. Ex his pauca quædam recenſet: nimirùm, de Concione in Oppido Variſij priùs, quàm Mediolani, ab Arialdo contra Cleri corruptelas habita: de duobus exteris Sapientibus, & vno ex noſtratibus, quem Guido Archiepiſcopus miſerat, ipſo diſputante ſuperatis: de Sacerdote quodam Simoniaco & adultero ab Altari per ipſum repulſo; & hinc orta* B *contra eum ſeditione, mox autem ab eodem ſedata: de ipſius apud Laicos & Monachos reuerentia: de leuitate erga peccatores pœnitentes, & in ſemetipſum ſeueritate.*

### PRESBYTER SYRVS ANDREÆ, CHRISTI FAMVLO.

I. Miror, Chariſſime, quòd de illis requiras rebus C vnum teſtem, quas teſtari poſſunt non ſolùm multa millia Fidelium, ſed etiam infidelium. Et ſi nullus ſupereſſet alius, qui harum rerum exiſtere poſſet teſtis idoneus; quis tam vecors inueniretur, qui diceret, te ſcripſiſſe falſa? ſi ſciret, te ideò reliquiſſe Sæculum; vt non ſolùm à verbis vacares mendacibus, ſed etiam ab otioſis: præſertim cùm non ciuilia Monaſteria & diſſoluta petiſti, ſed famoſum & celebre Vallis Vmbroſæ Cænobium, itinere dierum quinque à naturali ſolo D ſemotum.

II Porrò de obitu eius clam peracto quis te certior exiſtit? qui pro hoc mortis periculo ter te dediſti. Etenim ſemel vtcunque incaptus euaſiſti. Alia verò vice, quia dicebatur, quòd IN TRAVALLIA ARCE INEXPVGNABILI occultè detineretur; eius deſiderio accenſus longo itinere confecto, multis montibus tranſactis, te ante eiuſdem portas obtuliſti. In quam, quia inſpicere es auſus; quis eſſes, cognitus, ideoquè captus, atque in altiſ-

altiſſimam eiuſdem Turrem deductus;per foramen cum funibus A in ipſius es depoſitus profundum, quod magis videbatur eſſe ſepulchrum, quàm habitaculum. Nam lectuli fulcrum erat cœnum, capitale ſaxum. Nec enim ibi erat, vnde digeſtio occultaretur; nec deſuper tectum, à quo pluuia pelleretur. Ibi quippe præ nimio horrore vultus tuus & ſtomachus ſic elanguit & emarcuit, vt cibum per funes tibi dimiſſum guſtare minimè poſſes. Ideoquè nocte media te ſubtraxere, & ſic ſemiuiuum dimiſere. Altera autem vice Lacum transfretaſti; iterùm cognitus & captus, donec te pretio non emiſti, euadere nullo modo potuiſti. Quæ cùm ita ſint; quis tam crudelis erit & durus, vt B tuis ſermonibus exiſtat incredulus?

III. Verumtamen, licet multùm læter ſuper cuncta, quæ dixiſti, quia ſunt vera, & ædificationi vtilia; tamen valde doleo, quia omiſiſti præcipua, tibiquè notiſſima; & cùr hoc feceris, ſic admiror, vt velim ex his aliquantula coram te prodere, &, quare dimiſeris, addiſcere. Ante quippe quàm introiſſet Mediolanum ad prædicandum, publicè AD VARISIENSEM PLEBEM Clericorum multitudinem conuocauit; eiſquè, ſub quibus eſſent erroribus, indicauit; &, vt ab eis recederent, benignè admonuit. Qui eius verba ſpreuere, dicentes: *Nobis enim ideò hæc loqueris,* C *quia ineruditos cognoſcis. Cæterùm ſi Doctor haberi vis credibilis; vade, & in Vrbe hac loqui noli timere. Quod ſi agere auſus fueris; quæ dicis, credenda comprobabis.* Et tunc Vrbem ingreſſus, & Populum; ſicut tu dixiſti, eſt allocutus. Nam in ipſo exordio ſuæ prædicationis tamdiu cum aliquantis Fidelibus per venerabilia loca, Sanctorum flagitans ſuffragia, nudis inceſſit pedibus, donec ſic intumeſcerent, vt ſuper eos nullo modo exiſtere poſſet.

IV. Duo denique ſapientiſsimi Clerici, audita eius fama, de longinquis regionibus ad eum venere; vt cognoſcerent, quomodò ipſe ſcientia polleret. Quorum vnus ei ſe in altercatione obtulit, D & à mane vſque ad horam ferè nonam, altero penitùs ſilente, vtcumque reſtitit: & tunc ſic eſt deuictus, vt nec quid inſolubile obijcere, nec poſſet obiecta exſoluere. Alium verò, quia nimis eruditum reperit, die eodem deuincere non potuit; ſed in altero proſtrauit. Quos, licet deuictos; quia valde doctos inuenit, multùm dilexit; eiſquè omnem benignè humanitatem impendit; & ſic tandem abire permiſit.

V. Accidit

V. Accidit etiam, vt ſemel tranſiret per plateam quandam, iuxta Domum Pontificalem ſitam. Aliquantos autem viros, quos ibi reperit, admonere cœpit. Erant enim tunc Guido, & Ordinarij, multiquè alij Clerici in eadem domo pariter congregati. Quod cùm audiſſent; ſapientiorem omnibus elegere, eumquè ad ipſum direxere; quatenùs ei reſiſteret; &, quæ dicebat, fore vana diceret. Nam in paucis ſic protinùs verbis concluſus eſt, vt retrò turpiter rediret velociter. Quem cùm ſui interrogaſſent, quid egiſſet; ait: *Scitote, aut ipſum non eſſe hominem, aut alterum fore, qui ab eius loquitur ore.* Hæc omnia, quamuis non interfuiſti, Bonouiſino narrante pleniter didiciſti. A B

VI. Illum præterea famoſiſſimum zelum, quo Hæreticum quemdam ab Altari repulit, cur non dixiſti? Timuiſti forſitan, ne in eo aliqui ſcandalizarentur? Scito Chariſsime, quia dicta factaquè ARIALDI, immò & Chriſti, incredulis & peruerſis plena ſcandalis; pijs verò fomenta ſunt ardoris & lucis. Ea igitur iſtis pandamus; de illis verò Saluatorem dicere audiamus: *Sinite* (inquit) *eos; quia cæci ſunt, & duces cæcorum.* Transeunte ergo per Maiorem Eccleſiam cum fratribus ARIALDO, Chriſti famulo; audiuit, quòd in eadem hora quidam adulter & Simoniacus ad quoddam ipſius Baſilicæ Altare acceſſerat, vt ſe ſimularet ibi canere Miſſam. *Eamus* (inquit) *illuc.* Ad quem cùm perueniſſet; ait: *Cùm enim tu ſis talis, quali Eccleſiæ valuæ patere minimè deberent; cur ſanctum Altare præſumis pollutus contingere? & illa Myſteria agere, quæ ſolummodò innocuis & caſtis ſunt commiſſa, te fingere? Aufer te hinc quantocyùs putride.* Qui cùm inde ſe non amoueret; Vir Dei manum ad Planetam miſit; eamquè ab eius tergo extraxit; & ipſum ab Altari expulit. Erant enim tunc in circuitu eiuſdem Eccleſiæ cauſa negotiandi tam ciuiles viri quàm ſuburbani pariter congregati. Qui exijt, & per forum querimoniam fecit. Commoto itaque Populo, dimiſſiſquè negotijs, ac fuſtibus eleuatis, per oſtia irruunt; vt ipſum quærant, & perimant. C D

VII. Ipſe verò, ſciens quæ ventura erant, non fugerat, ſed gradum aſcenderat, ibiquè Populum expectabat. Videntes ergo eum in gradu ſtantem, ſacraquè manu innuentem, omnes deponebant fuſtes, & ſe ad audiendum parabant, ſuper ipſos innitentes. Facto denique ſilentio magno, prædicationem ſic mellifluam

compoſuit, vt corda, quæ fuerant commota & conturbata per A
falſi verba Sacerdotis operante & inſtigante Aduerſario, ſedarentur & dulcorarentur per verba veri Chriſti Famuli operante & flante Spiritu Sancto. Et ora, quæ inrrando veſanè proclamauerant, *Moriatur, moriatur*: exeundo dicebant orando, *Faciat te Chriſtus per multa tempora viuere, qui huic loco te pro noſtra ſalute eſt dignatus dirigere.*

VIII. Quis enim Laicorum, ſuam in coniugio habens conſanguineam, audebat Eccleſiam ingredi, in qua morabatur ARIALDVS, famulus Chriſti? Nam tales ex ea perſonas pro hoc pepulit; vt non ſolùm feciſſe, ſed etiam æſtimaſſe, obſtupendum ſit. Monachos B
autem, conſortium Simoniacorum Abbatum falſorumquè fratrum fugientes, benignè ſuſcipiebat. Sed numquid eorum aliquis in eius præſentia erat auſus vacare? quatenùs aut non legeret, vel non oraret, aut aliquid non ageret. Nam ſi interdùm in eius vacarent abſentia; ſic pauidè, illum ſentientes venire, ad prædicta recurrebant opera; quemadmodùm ſolent in ſcholis pueri vacantes ad lectionem recurrere, magiſtrum ſentientes venire. Quis enim, dum prædicaret, in eodem loco mutire audebat? Nam qualiſcumque perſona eſſet, illicò audiebat: *Siue tu tacebis, ſiue ego. Quia ſcriptum eſt: Nolite mittere margaritas* C
*veſtras ante porcos.*

IX. Sed licet tam ſeuerus eſſet contra delinquentes; quis mitior erat in ſuſcipiendo pœnitentes? Cùm enim viri, qui dicebantur Preſbyteri, in adulterio deprehenderentur, & à facie Populi perſequentis locus eis tutus minimè pateret alibi; ad ipſum confugiebant. Quos ſi purè confeſſos cerneret; protinùs eos in omnibus omninò locis, excepto Altaris Officio; ſuos faciebat participes; nec deinceps apparebat quiſquam, qui dicere contra eos præſumeret quicquam.

X. Die vero Paraſceue in cubiculo clauſo nudus confitebatur coram D
cæteris fratribus, quicquid à cunabulis deliquerat, & pro culpa vnaquaque ſe faciebat verberari acerrimè. Nemo enim id facere cogebatur inuitus; ſed permittebatur, ſi quiſquam hoc agere vellet ſpontaneus. Hæc quia tibi ſunt nota, & ædificationi vtilia; cur omiſiſti, obſecro, ne ſileas, ſed mihi ſuper hoc nimis admiranti prodas.

## *CAPVT XXXVI.* A

*Andreas Syro reſpondet, ſe quidem multa de Arialdo, ſibiquè notiſsima, ſed ſponte, omiſiſſe: Ex his autem ſic etiam ipſe tria hæc miracula ſubiungit: Res amiſſa protinùs inuenitur per Arialdi ad Deum preces: Paralyticus ad eiuſdem, iam mortui (dum feretro Mediolanum adſportaretur) ſiue contactum, ſiue aſpectum, ſanatus: Blaſphemus in ſacrum cultum, qui eius Sepulchro à Fidelibus impendebatur, acerbiſſimis ſtatim doloribus corripitur; nec his ante liberatur, quàm pœnitentia ductus cultum illi ſimiliter & ipſe* B *impendat.*

### ANDREAS SYRO.

I. AEſtimas, Venerande Syre, æſtimas, me dixiſſe, quicquid me contigerit de BEATO ARIALDO ſciſſe? Audi adhuc, qualia tria prætermiſi; vt ex his intelligas, me multa alia euidenter de eo cognouiſſe, & ſcienter omiſiſſe.

II. Perrexerat enim aliquando inuitatus ad Eccle- C ſiam Cumanæ Ciuitatis, vt pacificaret diſſidentes Clericos ipſius Vrbis. Erat quippe tunc tempus Quadrageſimale. Cumquè ad vnum Altare conueniſſemus, vt Officium Veſpertinale perſolueremus; vnum quid (non recordor modò, vtrùm fuiſſet de Antiphonis, vel Reſponſorijs) ſic elapſum eſt ab omnium memoria, vt penitùs inueniri nequiuerit. Salubri igitur conſilio reperto, Signum Salutare ſibi in fronte impreſſit, iuxta Altare ſe proſtrauit, rem perditam à Domino petijt. Quam ſic protinùs inuenit, ac ſi in loco, quo poſuit occultum, id, quod petebatur, haberetur deſcriptum. D

III. Aliud verò ſignum factum eſt, dum illum, ex aqua Laci proiectum, ad Vrbem duceremus. Erat enim in quodam Vico quidam ruſticus, per multa tempora morbo paralyſi diſſolutus. Qui cùm audiſſet, quòd Chriſti Martyr per viam duceretur; fidem habens firmam, in eamdem fecit ſe viam ferri, ibiquè dimitti. Tranſeunte itaque turba, quæ feretrum præcedebat, Martyrem infirmus expectabat. Ad quem cùm perueniſſent,

qui ipſum portabant; ab infirmo eodem obnixè rogati, perſti- A
terunt, eum coram ipſo depoſuere. Et (neſcio, verùm ex ſolo viſu; an tactu) ſanitati ſic eſt protinùs redditus, vt, qui vix aliorum manibus deferri valebat, ſtatim, ſuis firmiter incederet plantis. Nam ego tunc aderam inter ſubſequentem turbam. Sed cùm audiſſem hoc; tam fortiter firmaui greſſum, vt veniens ante feretrum, virum inſpicerem firmiter incedentem, Deumquè laudantem.

IV. Tertium verò, quod narro, miraculum, non quidem egomet vidi, ſed quadam perſona valde fideli narrante didici. Erant aliquanti viri ad Portam Ticinenſem ſimul congregati. Cœpe- B
runt itaque confabulationem habere tam de ARIALDO Chriſti famulo, quamquè de his, qui eius venerandum adorabant Sepulchrum. Tum vnus, ſuperbo malignoquè ſpiritu afflatus, tale execrandum protulit verbum: *Maius* (inquit) *deſiderium eſt mihi ſuper ipſum mingere, quàm illum adorare.* Quem tam ſæuus internorum viſcerum illicò dolor apprehendit, vt neque quieſcere neque mingere ei licuerit, donec, nimio dolore cogente, pariterquè aliquorum cohortatione virorum conſiliante, munus ad BEATI ARIALDI Sepulchrum obtulerit, ibiquè
adorauerit. Et ſic priſtinam ſoſpitatem adeptus eſt humiliatus, C
quam iuſtè amiſerat ſuperbus.

V. Si enim bona omnia, quæ de eo nouerim, ſcribere vellem; priùs dies & charta deficeret, quàm ſermo. Verùm quia tanta de eo ſcripta ſunt, in quibus ſatis poteſt dinoſci, quis vel vnde fuerit, quiduè docuerit, vel quid pro Chriſto perpeſſus ſit; metam igitur ponamus; Deumquè trinum & vnum benedicamus; cui ſit honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

FINIS LIBRI SECVNDI. D

DE

# De SS. Martyribus, A

# ARIALDO ALCIATO ET HERLEMBALDO COTTA, MEDIOLANENSIBVS,

## veritati ac luci reſtitutis,

## LIBER TERTIVS: B

## SANCTI ARIALDI VITA, per Landulphum de Sancto Paulo conſcripta.

### Præfatio in hunc Librum Tertium. C

*De Vita huius Auctore.*

I. SVbſequens Arialdi Vita citra dubium illa eſt,
quam Libro huius Operis Primo, Capite 2.
Num. 13. & 14. Andreas Alciatus aſſeuerantet
dicebat ab Arnulpho Hiſtorico noſtrate ſcrip-
tam, & adeò diligenter, vt omnem ſibi de ipſo
ſcribendi, ſiue potiùs ſcripta proſequendi, an-
ſam præripuerit. De ipſo enim (vt eiuſdem Libri Capite 12. vi- D
dimus) ſcribere iam incœperat, licet alteram ipſius Vitam iam
vidiſſet, ab Andrea Monacho ſcriptam, & à nobis Libro Secundo
recitatam; eiuſquè propterea Monachi mentionem nobis facie-
bat eodem illo Capite 12. Num. 11. Arnulphus autem ille Hiſto-
ricus, Alciati iudicio, citra omnem pariter controuerſiam eſt il-
le, cuius Quatuor Hiſtoriarum Mediolanenſium Libros ego ty-
pis impreſſos euulgare quantocyùs meditor: quiquè Arialdo,

eiuſquè

eiuſquè fautoribus, ipſiquè quinetiam Eccleſiæ Romanæ, infen- A
ſiſſimum ſe præbuit Libro Tertio; tametſi poſtea propè finem
Libri Quarti reſipuerit. Ab hoc igitur Arnulpho ſcriptam credi-
dit Alciatus ſubſequentem Arialdi Vitam.

II. Mihi tamen ex aduerſo hiſtoricus huius Vitæ ſtylus euidenter vide-
tur tam diuerſus ab eo, quo ſuas Arnulphus Hiſtorias ſcripſit:
tamquè ſimilis ei, quo Landulphus Iunior ſuas, vt Alciato ſuſpi-
cer Arnulphi nomen pro Landulphi nomine per errorem (vt
mihi etiam quandoque inter ſcribendum accidit) excidiſſe: Lan-
dulphi nempè illius, cui *de Sancto Paulo* cognomen fuit, vt Li-
bro etiam Primo, Cap. 2. Num. 3. præmonebam: qui præterea B
ſuas Hiſtorias contexuit ab Anno Chriſti, ſicut ego computaui,
ſupra Milleſimum nonageſimo-ſeptimo vſque ad poſterioris Sæ-
culi trigeſimum-ſextum: quiquè ſemper Arialdo eiuſquè affe-
clis addictiſsimus fuit; quemadmodùm ipſius etiam Hiſtoriæ
illæ ſatis ſuperquè teſtificantur, quas ego typis itidem quanto-
cyùs edere meditor. Hæc ipſa itaque ſtyli qualitas ante omnia
mihi perſuadet, germanum Vitæ huius Auctorem fuiſſe, non
Arnulphum illum, ſed hunc *de Sancto Paulo* Landulphum.
Quam quidem in ſententiam nonnulla quoque alia mihi ſuppe-
tunt indicia, quæ mox explicabo. C

III. Arnulphus vtique initio Libri Secundi ſe profeſſus ea deinceps
ſcripturum, quæ ipſemet videndo cognouiſſet, initium ab Ari-
berti Archiepiſcopi noſtri fecit electione, quæ communiter
Anno Chriſti ſupra Milleſimum decimo-nono adſcribi ſolet; ſi-
cut ego quoque in Ambroſianæ Baſilicæ ac Monaſterij Monu-
mentis Num. 213. commemini. Eo igitur Anno Arnulphus, vt
iudicio, ac tali ea rerum, quæ Hiſtorijs conſignandæ forent, in-
telligentia, ſic etiam ætate ſatis iam tum maturus fuiſse credi
poteſt. Ex altera verò parte Quartum & poſtremum Hiſtoria-
rum ſuarum Librum proſequutus eſt ad eum vſque Annum, quo D
Germaniæ Principes, abdicato Henrico Rege, aduersùs Pontifi-
cem Romanum Gregorium Septimum contumaci, Rodulphum
Sueuiæ Ducem ſublegerunt: quem quidem Annum fuiſse con-
ſtat Chriſti Domini Milleſimum ſeptuageſimum-ſeptimum.
Itaque ſatis ambiguum videri poteſt, an vltra eum Annum Ar-
nulphus aliquandiu ſuperuixerit; vltra quem tamen Annum ali-
quandiu ſuperuixiſse videtur Auctor ille, qui præſentem Arialdi

Vitam

Vitam conſcripſit. Sanè quidem hic ipſe (vt alia præteream) A hæc habet Capite 25. *Ad Eccleſiam Rozonis*, QVÆ NVNC DICITVR SANCTI SEPVLCHRI, *ſeſe feliciter tranſtulerunt*. Quam tamen SANCTI SEPVLCHRI appellationem Eccleſia illa nonniſi Anno ſupra Milleſimum centeſimo, quo ſolemniter eidem Sancto Sepulchro dicata fuit, accepiſſe videtur; ſicut ex ijs intelligi poteſt, quæ in prædictis Monumentis Num. 287. 288. 289. recenſebam; tum etiam ex ijs, quæ proximo Libro ſuperiore legimus, Cap. 24. & 26.

IV. Illud etiam huc pertinere videtur, quòd huius Vitæ Auctor quàm optimè iam legerat, quinetiam ſcriptione hac ſua in epitomem B ac meliorem in ordinem redegerat, alteram illam, priùs ab Andrea ſcriptam Monacho; eiuſquè propterea Monachi ac Vitæ mentionem fecit Capite 17. 31. 34. 35. Et tamen ea nonniſi Anno ſupra Milleſimum ſeptuageſimo-ſexto (vt ſuperioris Libri Capite 33. iam vidimus) ſcripta fuerat: & hac quidem Auctoris voluntate (ſicut ipſemet in Prologo precabatur) vt duodecim ad legendum traderetur Monaſterijs, quibus Rodulphus tunc præerat, Ordinis Vallumbroſani Generalis Abbas. Moritur interea Rodulphus eodem Anno, duodecima Nouembris die, ſicut ab Eudoſio Loccatello eſt affirmatum in eius Vita: indequè C Andreas, quæ de Arialdi Vita ſcripſerat, cenſuræ ſubijcit Preſbyteri cuiuſdam, nomine Syri; vt ſuperiori pariter Libro vidimus, Cap. 34. & 36. Quocirca non ita facile fuit præſentis Vitæ Auctori alteram illam intra breue tempus in manibus habere.

V. Ad hæc, præſentis Vitæ Auctor Herlembaldum perpetuò laudat, quia talibus inter Clericos controuerſijs ſeſe immiſcuerit; quia nempè iuſſus à Pontifice Romano & ex ipſius auctoritate id ageret. Contra verò vituperabat eum Arnulphus, non tantùm Libro 3. ſed etiam 4. Cap. 8.

VI. Denique verò, ſi præſentem Arialdi Vitam ſcripſiſſet Arnulphus D ille, qui tam multa contra ipſum eiuſquè aſſeclas mendaciter & per calumniam iam ſcripſerat; qua fronte, qua prudentia, quo iudicio continere ſe poterat, quin ea ipſa ſeriò pœnitens aliquando diſertè in præſentis Vitæ contextu retractaret?

VII. Talibus igitur & alijs ex hoc genere argumentis adductus, in eam ego veni ſententiam, vt, non Arnulphus ille, ſed certè quidem Landulphus, *de Sancto Paulo* cognominatus, præſentem compoſuerit

poſuerit Arialdi Vitam. Quid, quòd etiam eidem fortè ſententiæ ſuffragantur & meus & Capituli Metropolitani & Bibliothecæ Ambroſianæ Codices, quibus præſens Arialdi Vita continetur? Illis enim hæc continetur ſtatim poſt Landulphi eius Hiſtorias, ipſiuſmet nomine pariter ac cognomine prænotatas. Quod eam fortè ab cauſam factum eſt; quia præmonſtratus illic expreſsè Auctor, pro ſubſequenti etiam Lucubratione ſatis præmonſtratus intelligi vel ex eo poſſet, quòd alteri ea non adſcriberetur Auctori. A

VIII. Hactenùs de Vitæ huius Auctore. Vitæ autem ipſi non aliud nos, quàm Capita adiecimus, vt maiori legentium commodo hac etiam in parte ſeruiremus. B

IX. Hanc ipſam porrò Vitam ſine dubio innuebat etiam Ioſephus noſter Ripamontius, cùm ſcribere ſe profiteretur *De Arialdo Martyre, addenda ad Libros Hiſtoriarum Eccleſiæ Mediolanenſis, ex Bibliotheca Ambroſiana manuſcripto*; ſicut videre licet in poſtremo eius Volumine, quo poſtremi eius Octo Hiſtoriæ Patriæ Libri continentur, quodque Anno 1648. prodijt in lucem. Quàm fideliter ille tamen ex eo manuſcripto Vitam huius Martyris expreſſerit, integrum ac ſincerum eſto iudicium penes illos, qui cum tali eius additamento attentè contulerint, quam nos hic damus, Arialdi Vitam, cum eo ſcilicet Ambroſianæ Bibliothecæ manuſcripto planè conſentientem. Mihi quidem pro arbitratu ſuo multa videtur contra manuſcriptum potiùs illud, quàm ex illo manuſcripto, narraſſe. C

D

INDEX

A

# INDEX CAPITVM
## Libri huius Tertij. B

*Caput I.* *Arialdi patria, parentes, præſagium, educatio, litteratura, modeſtia.*

*II.* *Quanta Cleri Mediolanenſis diſſolutio.*

*III.* *Contra Cleri corruptelas Arialdus concionari exorſus, Landulphum Cottam, Eccleſiæ Metropolitanæ Canonicum Ordinarium, in hoc ipſum miniſterium ſibi aſſociat.* C

*IV.* *Arialdum & Landulphum ab eiuſmodi Concionibus deſiſtere, Guido iubet Archiepiſcopus, ſed fruſtra.*

*V.* *Arialdus colaphum patienter à Sacerdote patitur.*

*VI.* *Arialdus & Landulphus publicè Mediolani è ſuggeſtu inuehuntur in Clericorum corruptelas.*

*VII.* *Arialdi & Landulphi concionibus applaudunt Populares, ac nominatim Nazarius quidam: Clericoſquè à ſtupris & coniugijs abſtinere cogunt.*

*VIII.* *Pro Clericis congregatur Synodus Prouincialis, atque ab ipſa Arialdus & Landulphus excommunicantur abſentes.* D

*IX.* *Landulphus, Romam tendens, accepto per ſicarium vulnere, cogitur reuerti; ſed illuc tamen peruenit Arialdus, & irrita declaratur ipſorum excommunicatio Synodalis, Legatiquè Mediolanum mittuntur.*

*X.* *Legati, huc profecti, cauſam comprobant Arialdi.*

*XI.* *Landulphus, gladio venenato per Clericum in collo percuſſus, conualeſcit tamen.*

XII. *Suburbanus Clerus in Arialdi Eccleſiam ſaltem ac vincas ſæuire tentat.* A

XIII. *Ob Arialdi Conciones non pauci Populares ſe abſtinent à conſortio Clericorum, luxuria & Simonia inquinatorum: nonnulli verò etiam è Clero Simoniaci reſipiſcunt, & à ſe abdicant Beneficia.*

XIV. *Arialdus nuptias damnat, intra Domini Aduentum celebratas.*

XV. *Arialdus è ſuo patrimonio pecuniam ſuppeditat Simoniaco, vt ei ſeſe labi eximat.*

XVI. *Herlembaldus, Landulphi frater, ipſi & Arialdo defenſor ab Alexandro Papa Secundo, antehac etiam Mediolani Simoniacis & vxoratis Clericis infenſo, aſsignatur, & Eccleſiæ Romanæ Vexillifer creatur.* B

XVII. *Herlembaldi conatus contra Cleri corruptelas: & quàm pijs ille moribus eſſet.*

XVIII. *Herlembaldus vtramque Cleri partem pro inueſtiganda veritate conuocat ad diſputationem. Landulphus verò moritur, Herlembaldi eiuſdem frater.*

XIX. *Binos Abbates Simoniacos Herlembaldus diſpellit.*

XX. *Arialdi hoſpitium & pia exercitamenta in Canonica extra Portam Nouam Eccleſiæ, per ipſum reparata, & domicilijs aucta.* C *Quànta item foret ipſius litteratura ſimul & modeſtia.*

XXI. *Arialdus abuſum deteſtatur comedendi ante Miſſarum ſolemnia in Sabbato Sancto: quo quidem die ipſemet ad Sancti Ambroſij Nemus pergere ſolebat, ibiquè deuotiſſimè pernoctare.*

XXII. *Quid Arialdus ſenſerit de triduano Rogationum ieiunio: & quemadmodùm eius æmuli ſumpſerint inde tumultuandi occaſionem; ſed ab Herlembaldo denique repreſſi fuerint.*

XXIII. *Herlembaldus Romam pergit, & à Pontifice Litteras obtinet excommunicationis contra Guidonem Archiepiſcopum.* D

XXIV. *Guido Archiepiſcopus binos Clericos, quia ſeſe Arialdo iunxiſſent, carceri traditos, in libertatem reſtituere cogitur.*

XXV. *Guido Archiepiſcopus, per Pontificias excommunicatus Litteras, plurimos ad Arialdi & Herlembaldi cædem vaniſſimo ſchiſmaticoquè pretextu concitat; ſed exitu tamen tam aduerſo, vt ipſemet ægrè manus euaſerit Fidelium, qui ſe protinùs opponunt, & innoxios Dei Seruos tutantur.*

XXVI. *Arialdi fautores, ad vindictam de ipſius aduerſarijs ſumendam*

*dam anhelantes, ab ipſomet Arialdo mitigantur.* A

*XXVII.* *Guido Archiepiſcopus profuſione pecuniarum ſeditionem redintegrat obſtinato in id animo, vt Arialdus expellatur ab Vrbe, ac necetur. Sed hic, mori paratus, cum ſuis Collegis ſua in domo & Eccleſia ſe continet: nec vllius auſu expellitur, nedùm necatur.*

*XXVIII.* *Guido Archiepiſcopus Mediolanum iubet eſſe interdicto ſubiectum, quamdiu Arialdus hic manſerit. Hinc igitur ille ſecedit: captuſquè, libertati nihilominùs ab ipſomet interceptore reſtituitur.*

*XXIX.* *Arialdus ab hoſpite amico perfidè proditur Archiepiſcopo Guidoni, ac versùs Lacum Maiorem occidendus abducitur.* B

*XXX.* *Arialdus per ſicarios, ab Archiepiſcopi Guidonis Nepte miſſos, crudeliſſimè necatur.*

*XXXI.* *Arialdi Cadauer, varijs ſubinde humatum in locis, emiſſa cælitùs luce illuſtratur. Quocirca, iubente ſimiliter Guidonis Archiepiſcopi Nepte, ingentibus illigatum ſaxis in profundum Lacus deijcitur Maioris.*

*XXXII.* *Varius in Vrbe Mediolano rumor, & magna haſitatio de Arialdi captiuitate ac nece.*

*XXXIII.* *Poſt decem inde menſes Corpus Arialdi è profundo Lacus Maioris emergit illaſum interim & incorruptum, tantiquè miraculi fama Mediolanum affertur.* C

*XXXIV.* *Re certiùs comperta, Herlembaldus cum inſtructo Mediolanenſium Exercitu pergit ad recuperandum Arialdi Cadauer, requè feliciter ipſa recuperat.*

*XXXV.* *Arialdi Corpus pompa ſolemni, nec ſine miraculo per ipſum patrato, Mediolanum defertur: ac, per decem dies ad venerationem in Ambroſiana Baſilica expoſitum, ad Eccleſiam tandem Sancti Celſi tumulatur.*

*XXXVI.* *Denarius numerus obſeruatione dignus in Arialdi rebus.* D

*XXXVII.* *Blaſphemus in ſacrum Arialdi Martyris cultum acerbiſſimis illicò doloribus à Deo punitur; nec ante, quàm reſipuerit, liberatur.*

*XXXVIII.* *Arialdus à Summo Pontifice in Sanctorum Martyrum Catalogum adſcriptus.*

# Paſsio A

# BEATI ARIALDI MARTYRIS qui ad Sanctum Dionyſium tumulatur.

## *CAPVT I.* B

*Arialdi patria, parentes, præſagium, educatio, litteratura, modeſtia.*

I. ARIALDVS in loco CVZAGO, propè Canturium, Mediolanenſis Diœceſis, ORTVS FVIT NOBILIBVS PARENTIBVS DE ALZATE. Quorum dum mater prægnans eſſet; ſomniauit, ſe videre immenſam claritatem, ceu Solis meridiani, quæ totam domum impleuit: quam ſecum admirans cognouit diuinitùs reuelatum, ſe filium magni meriti & cæleſtis ſapientiæ pariturum. Quo nato, vocatus ARIALDVS. C

II. Hic Puer tempore congruo ad ſcholas mittitur: vbi profecit tandem in diuerſis ſtudijs liberalium Artium, & diuinarum litterarum ſcientiam acquiſiuit.

III. Cumquè à ſtudio reuerteretur, vidit ſorores in laſciuo habitu cum matre: quas ſæpiùs reprehendebat, dicens, illam diabolicam eſſe captionem.

## *CAPVT II.*

*Quanta Cleri Mediolanenſis diſſolutio.* D

ISTis temporibus inter Clericos tanta erat diſſolutio, vt alij vxores, alij meretrices publicè tenerent: alij venationibus, alij aucupio vacabant, partim fœnerabantur in publico, partim in vicis tabernas exercebant, cunctaquè Eccleſiaſtica Beneficia more pecudum vendebantur. Hæc vitia

vitia maximè in Ciuitate Mediolani plurimùm pullulabant; quia, A
quantò Vrbs ipſa populoſior eſt, tantò iniquitas copioſior erat.

## *CAPVT III.*

*Contra Cleri corruptelas Arialdus concionari exorſus, Landulphum Cottam, Eccleſiæ Metropolitanæ Canonicum Ordinarium, in hoc ipſum miniſterium ſibi aſſociat.*

I. TAndem Arialdus, videns tantam malitiam Clericorum, cœpit IN VARISIO, vbi morabatur, contra Clericorum vitia prædicare. Cui Ruſticani Sacerdotes dicebant: *Nobis hæc ideò loqueris, quia ineruditos nos eſſe cognoſcis; ſed Vrbanis hæc prædica, qui tibi ſuis ſcientijs reſpondebunt.* B

II. Cumquè acriùs prædicaret; aſſociat ſibi LANDVLPHVM DE COTTIS, LEVITAM ORDINARIVM MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ, facundum in ſermone, & acceptum Popularibus prædicationis officio.

## *CAPVT IV.*

*Arialdum & Landulphum ab eiuſmodi Concionibus deſiſtere, Guido iubet Archiepiſcopus, ſed fruſtra.* C

ITaque multi ex Sacerdotibus Ruſticanis Guidoni tunc Archiepiſcopo nunciant, quæ Arialdus & Landulphus publicè prædicabant. Hos duos citatos Præſul admonet, ne noua & inaudita ſeminarentur: aſſerens, difficile eſſe caſtitatem ſeruare, ac non eſſe conueniens Clericorum vitia Populi auribus inculcare. Cui reſponderunt: *Nos ideò prædicationis officium aſſumpſimus, vt veritatem non taceamus. Sic ea, quæ cœpimus prædicare, quia vera ſunt, tacere non volumus. Domini lingua vocem faucibus inſpirabit.* Et exinde ambo decreuerunt ſuum propoſitum in Vrbe Mediolani referare. ARIALDVS itaque EX DECVMANIS CANONICIS cœpit cum Landulpho tacitè ſeminare inter Clericos & Laycos Vrbis, quæ foris prædicauerat in aperto. D

CA-

## C A P V T V. A

*Arialdus colaphum patienter à Sacerdote patitur.*

CVmquè TRANSLATIO BEATI NAZARII à
cunctis Clericis & Ciuibus deuotè celebraretur; cœpit Arialdus detrectare familiariter coniugia & ſtupra Clericorum. Quos audiens quidam Sacerdos, nomine Anſelmus, dixit: *Ergo tu es ille, qui nos Sacerdotes inter Populum diffamaſti? An in te ſolo remanſit virtus?* Quibus dictis, Arialdum
colapho percuſſit. Arialdus autem dixit: *Non ſolùm hoc, ſed* B
*etiam mortem pro veritate pati paràtus ſum.*

## C A P V T VI.

*Arialdus & Landulphus publicè Mediolani è ſuggeſtu inuehuntur in Clericorum corruptelas.*

I. LAndulphus hoc videns abduxit Arialdum, decreuitquè in aperto prædicare per Vrbem, quod in obſcuro tantùm manifeſtauerant. Itaque per
Vrbem mittuntur chartulæ, tinniunt tintinna- C
bula, nunciantur nouæ prædicationes; ad quas Populus, ſemper nouorum auidus, cumulatur.

II. Igitur vniuerſis Ciuibus adunatis, Arialdus, in pulpitum aſcendens, ita orſus eſt: *Bina lux eſt, quam Summa Æternaquè Lux reliquit in terris: ſcilicet, verbum Dei, & Doctorum vita. De verbo autem Dei, non meum, ſed Pſalmiſtæ audite teſtimonium: Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Et item: Lucerna pedibus meis verbum tuum. De vita verò Doctorum dicebat Saluator: Vos eſtis lux mundi. Sic luceat lux veſtra coram homini-*
*bus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum,* D
*qui in cœlis eſt. Ex ijs vnam poſuit ante vos, quibus Scripturæ ſcientiam dedit. Ineruditis autem Doctorum vitam & Paſtorum Clericorumquè pro lectione inſtituit. Sed, Inimico humani generis inſidiante, pariterquè noſtra negligentia & peccato operante, docti ſuam lucem perdiderunt, indoctiquè. Verumtamen vt Diabolus nos meliùs deluderet, qui ab eis ſanctitatem abſtulit, permiſit eos in exteriori habitu ſanctitatis ſimilitudinem retinere. Quod gemens dico,*

*non ad veſtram ignominiam, ſed ad cautelam. Quomodò enim Sacerdotalem vitam agant; manifeſtè perpendimus: quomodo Chriſtum ſequantur, videte. Dicebat Chriſtus: Qui mihi miniſtrat, me ſequatur. Sed quò pergit Chriſtus? Ad humilitatem: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Ad paupertatem: Beati pauperes &c. Et item dicit: Filius hominis non habet, vbi reclinet caput ſuum. Econtra noſtri Sacerdotes pergunt: diuitias cumulant contra legem paupertatis: ſuperbiam colunt contra legem humilitatis: palatia ædificant contra legem Chriſtianitatis: vxores ducunt, contra normam caſtitatis: adulteras retinent contra regulam caſtitatis.* A

*Quomodò igitur Chriſtum imitamini? Sed redite Dilectiſſimi ad corda veſtra, redite; falſa reſpuite, vera cognoſcite. Ad hoc enim veni; & hoc aut perficiam, aut mori paratus ſum.* B

III. Cumquè alia ſuper huiuſmodi materia declaraſſet; Landulphus pulpitum aſcendit, & ſilentium petijt. Quo conceſſo, vt erat in ſermone nimis potens & voce; cunctis attentè audientibus (quia Popularibus acceptus erat,) cœpit Arialdi dicta collaudare, & Sacerdotum vituperare vitam, execrariquè eorum Sacrificia, ſcilicet vxoratorum, & adulterorum; Simoniacorumquè; inducens multos Ciues ad alterum duorum; ſcilicet, quòd aut Sacerdotes ab vxoribus & meretricibus ſeparentur, aut ad adminiſtrationes Altariorum non accedant. Et id vnicuique licitum eſſe pronunciat; cum vita coinquinata, corporequè tentato luxuria, puritas eſſe non poteſt ad ſumptionem Cæleſtis Sacramenti. C

## CAPVT VII.

*Arialdi & Landulphi Concionibus applaudunt Populares, ac nominatim Nazarius quidam: Clericoſquè à ſtupris & coniugijs abſtinere cogunt.*

I. His dictis, cœpit Populus Arialdi & Landulphi dicta collaudare, & vſque ad cælum tollere. Inter quos quidam plebeius NAZARIVS, coniugatus, vocem extollens, mirabiliter approbauit, quod Viri Dei prædicauerant: aſſerens, Sacerdotum vitam non diſtare à Laycorum vita; immò Sacerdotalem fœdiorem eſſe. Arialdumquè & Landulphum ſecum conuiuere, ſuiſquè ſuis bonis, obſecrat. D

II. Exhortantibus denique Arialdo & Landulpho Populum doctrina mirabili,

mirabili, Clericorum ſtupra nefanda, & execranda coniugia, A
Populo tumultuante in Clericos, in breui tempore ſunt deleta,
ſic, vt nullus exiſteret, quin aut cogeretur mulieres dimittere,
aut à Beneficio remotus ad Altare non accedere.

## *CAPVT VIII.*

*Pro Clericis congregatur Synodus Prouincialis, atque ab ipſa Arialdus & Landulphus excommunicantur abſentes.*

I. Clerus igitur, multipliciter afflictus, primò cum Prouincialibus Epiſcopis, demùm cum Romano Pontifice conqueſtus eſt. Præerat tunc Romæ Stephanus Papa, qui ſuper hac re Archiepiſcopum Synodum Prouincialem congregare iubet. B

II. Factus eſt Synodalis Præſulum Conuentus, per Guidonem Archiepiſcopum, Nouariæ. Vbi cùm triduo prædictis vacarent negotijs; placuit pluribus, Landulphum & Arialdum, abſentes, excommunicandos; factumquè ita eſt.

## *CAPVT IX.* C

*Landulphus, Romam tendens, accepto per ſicarium vulnere, cogitur reuerti; ſed illuc tamen peruenit Arialdus, & irrita declaratur ipſorum excommunicatio Synodalis, Legatiquè Mediolanum mittuntur.*

I. Vnde Landulphus, volens ire Romam, in Placentino Oppido cæditur grauiter, ſicquè Mediolanum redijt.

II. Quare Romam proficiſcitur Arialdus, & coram Papa Stephano adulteria Simoniamquè Clericorum Mediolanenſium accuſat, qualiterquè ipſius prædicationibus Sacerdotes ab vxoribus Populus ſepararet: eoſquè aſſerit inobedientes Romanæ Eccleſiæ; ſe autem cum Landulpho deuotum, & pro veritate certantem. D

III. Ijs auditis, multi ex fautoribus aduerſariorum ſurgunt ſtomachati: inter quos Dionyſius Cardinalis, ſurgens, multa contra Arialdum dixit.

IV. Deinde

IV. Deinde cùm multi alij fautores aduerſariorum contra Arialdum A clamarent; Stephanus Papa ſilentium impetrauit; qui pauca loquens Cardinalem non laudauit, nec Arialdum condemnauit; quinimmò ſententiam excommunicationis Synodalis anullauit; hortaturquè Arialdum, vt probitatem prædicare non deſinat; & ſuper huiuſmodi lite LEGATOS MEDIOLANVM MITTIT; ſcilicet HILDEPRANDVM CARDINALEM, PETRVM OSTIENSEM, ANSELMVM DE BADAGIO LVCANVM EPISCOPVM; vt per ipſos in reorum præſentia veritas cognoſcatur.

B

## *CAPVT X.*

*Legati, huc profecti, cauſam comprobant Arialdi.*

SI legati cùm Mediolanum attigiſſent; congregato Clericorum cœtu, ipſorum culpas cognoſcunt; Guidonem Simoniacum vocant, eiuſquè Clerum adulterijs maliſquè moribus inquinatum iudicant; aſſeruntquè, Arialdum vera Romano Pontifici retuliſſe; & eum ad perſeuerationem cœpti propoſiti cohortantur. Ijs igitur fæliciter adimpletis, Arialdus & Landulphus acriùs & ſecuriùs prædicant. C

## *CAPVT XI.*

*Landulphus, gladio venenato per Clericum in collo percuſſus, conualeſcit tamen.*

I. CLerici verò videntes ſe aliter, quàm dolo, non poſſe defendere; necem Landulpho machinantur; ſperantes, Arialdum metu taciturum; ſi ſocius Landulphus, & potentior & generoſior, D occideretur.

II. Inuentus eſt quidam nefandus Clericus, qui ſe id facturum promiſit; acceptoque gladio venenato, vt res celeriùs conficeretur, Landulphum per Cœnam Domini, Paraſceuem, Sabbatum Sanctum, diemquè Paſchæ ſecretè perſequitur. Tandem ſecunda feria de Albis Landulphum, in crepuſculo ante Altare orantem, in collo percuſſit cum gladio; quo facto, in

limine Eccleſiæ ipſe percuſſor per quendam Mendicum claudicantem tenetur. Currit Populus; capitur gladiator Clericus, cauſamquè rei protinùs manifeſtat. A

III. Sed Dei miſericordia Landulphus, domum portatus, intra paucos dies ſanatus eſt, veneno nil agente; quamuis malitiam eius veneni percuſſor dixerit ſe in multis beſtijs cognouiſſe. Quod idem Clericus cernens, dolenſquè, à Landulpho veniam impetrauit.

## CAPVT XII.

*Suburbanus Clerus in Arialdi Eccleſiam ſaltem ac vineas ſæuire tentat.*

B

I. PER idem tempus Clerici Ruſticani, videntes ſe ab Arialdo ſimiliter excubatos, decreuerunt congregatione facta vineas & arbores Arialdi ſuccidere; vt in ipſis bonis ſæuitiam exercerent, quam in perſona ſui patrare non poterant.

II. Ex his aliqui pergunt ad Vicum, & ſibi faciunt poſſeſſiones Arialdi demonſtrari. Nocte igitur tanta percuſſi ſunt cæcitate, vt nec vbi eſſent cognoſcerent, nec ſcirent deſignatas arbores aut vineas reperire. Et hoc aliqui eorum in mortis articulo confeſſi ſunt. C

III. Sed quamdam Eccleſiam, quam Arialdus extra Vicum conſtruxerat, diripiunt, arbores vicinorum incidunt; quæ tamen, in breui mirabiliter creſcentes, fructus vberiores ediderunt.

## CAPVT XIII.

*Ob Arialdi Conciones non pauci Populares ſe abſtinent à conſortio Clericorum, luxuria & Simonia inquinatorum: nonnulli verò etiam è Clero Simoniaci reſipiſcunt, & à ſe abdicant Beneficia.*

I. POſt hæc Arialdus ſpecialiter contra Simoniam prædicat; ſicquè perfecit, vt non pauci ſe abſtinerent à conſortio Clericorum, quos nouerant luxuria & Simonia coinquinatos; adeò quòd neque in eodem Oratorio ſecum eſſe vellent. Factumquè eſt, vt per totam Vrbem nil niſi de vitijs Clericorum audiebatur, & in vulgi fabulis eorum vitia tractabantur; aliqui Simoniaci, ad pœnitentiam ducti, Beneficia refutarunt. D

II. Inter

II. Inter quos cùm quidam Miles in Comitatu Mediolani Iure Patronatus pecunia accepta Beneficium contuliſſet; prædicationibus Arialdi commiſſo dolet, Sacerdotem emptorem ſui Beneficij inuenit conſimiliter inſpiratum. Vnde, vocato Arialdo, Sacerdos renunciat, Miles pleniùs ſatisfacit; rogatquè Arialdum, vt velit Beneficium acceptare. Quod negauit facere, aſſerens, ſe breui tempore à finibus trahi, & pro veritate moriturum. A

## *CAPVT XIV.*

*Arialdus nuptias damnat, intra Domini Aduentum celebratas.*

B

INter cætera prauas conſuetudines ſemper abhorruit, & contra illas prædicauit. Vnde cùm Mediolani inter Aduentum Domini nuptias celebrarent, quinimmò in Vigilia Natiuitatis Domini, ſi in Dominica forſan occurreret; eam corruptelam ſic eradicauit, vt tempore mortis ſuæ illa penitùs vitaretur. Nam in domo diuitis in Vigilia Natiuitatis Domini paratis omnibus pro ſponſa recipienda, Arialdus, illuc gradiens, à cœpto negotio prædicationibus reuocauit. C

## *CAPVT XV.*

*Arialdus è ſuo patrimonio pecuniam ſuppeditat Simoniaco, vt ei ſeſe labi eximat.*

CVm IN ECCLESIA SANCTÆ MARIÆ SECRETÆ quidam eſſet pretio electus; Arialdus electum reprehendit; & hortatur, vt renunciet. Cui ille: *Omnem pecuniam expendi, vt hoc Beneficium acquirerem. Sed ſi renunciauero; acceptor* D *pecuniæ meæ mihi non reddet.* Dixit Arialdus: *Tibi tantam pecuniæ quantitatem dabo, ſi ſubitò Simoniacæ electioni renunciaueris.* Quod ille Sacerdos protinùs adimpleuit; & Arialdus de patrimonio ſuo pecuniam ſoluit, poſteaquè fieri ibi canonicam electionem fecit.

## *CAPVT XVI.* A

*Herlembaldus, Landulphi frater, ipſi & Arialdo defenſor ab Alexandro Papa Secundo, antehac etiam Mediolani Simoniacis & vxoratis Clericis infenſo, aſſignatur, & Eccleſiæ Romanæ Vexillifer creatur.*

I. Iſdem temporibus HERLEMBALDVS DE COTTIS, FRATER LANDVLPHI, à Ieroſolymis redierat, Miles factus. Vir equidem magnæ nobilitatis, facundiæ, in armis ſtrenuiſſimus, & conſilio prudens, magnanimuſquè ſemper fuit. B

II. Hic Arialdo & Landulpho viſus eſt idoneus ad ipſos defendendum contra Clericos arma mouentes. Vnde cùm viſitandi hortandiquè gratia ad ipſum veniſſent; talibus orſi ſunt verbis: *O Herlembalde, in omnibus venerande, pro tuo reditu nos, Deum collaudantes, gratias et referimus immenſas. Sic enim Deus, in terra & in mari multis quaſſatus procellis, te nobis redire ſua benignitate diſpoſuit: vitijſque modò ſæculi Miles fuiſti; ſic decens ratio eſt, vt Dei Eccleſiæquè Catholicæ Miles efficiaris ſtrenuiſsimus; &, quod nos efficere non potuimus, tua dextra adiuti perficere valeamus. Eſto nobis quaſi Matathias, & filij eius, qui pro Templo Dei &* C
*Populi libertate mortui ſunt, & vitam habentes æternam in Chriſto ſunt fœliciter coronati. Liberemus Eccleſiam Dei, multis temporibus obſeſſam, & vxoratis Sacerdotibus inquinatam. Tu lege gladij, & nos Dei. Viſitaſti Sepulchrum eius. Libera igitur Eccleſiam eius.*

III. His auditis, Herlembaldus aliquantulùm ſuperſedit, DVBITANS CLERICORVM ACTIONIBVS IMMISCERI. Tandem hortatu Landulphi cum Arialdo Romam proficiſcitur; promittens, ſe id acturum, ſi Papa Alexander, QVI DE BADAGIO ERAT, confirmaret. Ea namque tempeſtate, mortuo Nicolao D
Papa, Anſelmus, Mediolanenſis Ciuis de Badagio, Lucanus Epiſcopus, ab omnibus Cardinalibus in Papam eſt electus, vocatuſquè eſt Alexander Secundus. Hic, dum eſſet Ordinarius Mediolanenſis Eccleſiæ, ſcientijs & moribus laudabilis fuit, ſcientijs affluens, & in ſermone potens, cuius facundia, ſcientiaquè plurimùm Ciuibus grata erat: cœpitquè tunc in prædicationibus ſuis Clericorum vitam vituperare: nec verbis Archiepiſcopi Guidonis,

donis, ipſum hortantis ad ſcandala Clericorum minimè publicanda, conſentiebat. Vnde Archiepiſcopus, diſſimulans, quid agere vellet, cum Anſelmo ad Imperatorem pergit: qui conſilio Archiepiſcopi curioſè ſatis ab Vrbe expulit Anſelmum; nam ei Lucanum Epiſcopatum dedit. Itaque Guido, ſe tutum putans abſentia Anſelmi, magis fallitur. Nam Anſelmus, vocato Landulpho Leuita Ordinario, familiariter hortatur, vt in prædicationibus ſuis vitia exprobret Clericorum. Idem domeſticè ſatisfacit Arialdo, oſtendens eis modos, quos tenebat, antequàm foret Epiſcopus. Sicquè hæc proclamatio, contra Clericos laſciuos & Simoniacos per Arialdum & Landulphum diutiùs continuata, à præfato Anſelmo de Badagio ſumpſit exordium. A B

IV. Hac igitur familiaritate confiſus Arialdus, ad Alexandrum Papam cum Herlembaldo ſeſe tranſtulit. Cùm verò Alexandro Papæ eorum foret nunciatus aduentus; eos ad ſe in cubiculari thalamo vocari iubet. Vbi, ſuper eorum colla ruens, plurimùm gauiſus eſt, Arialdo antiquam oſtendens familiaritatem, quam ſolent amici, ad alta aſcendentes, negligere.

V. At Arialdus, mutuo amore monſtrato, ſeruataquè debita reuerentia, ita cœpit affari: *Pater Sanctiſſime, Creatori omnium gratias refero immenſas, quòd te in tanto honoris culmine per Dei miſericordiam ſublimare & exaltare diſpoſuit. Nunc itaque animus meus, multis attenuatus anguſtijs, agnoſcit, quod olim tua mihi dilectio promittebat: &, vt omnia omittam, Sanctitatis tuæ clementiam reuerenter exoro, vt hunc Militem Herlembaldum, bello probum, conſilioquè ſtrenuiſſimum, in omnibus virtutibus confirmatum, Dei fauore & tuo munitum, mihi tribuas defenſorem: & à te Vexillum accipiat, vt ſecurius militans nos poſſit defendere, & tuos olim rebelles humiliare.* C

VI. Quibus auditis, Alexander Hildeprandum Cardinalem, OLIM LEGATIONIS SVÆ COLLEGAM, vocari iuſſit: conſentientibuſquè cæteris Cardinalibus, annuente id Hildeprando, ALEXANDER IN PVBLICO CONCISTORIO VEXILLVM SANCTVM, QVOD NOMINAVIT VEXILLVM SANCTI PETRI, HERLEMBALDO DEDIT, EVMQVE ROMANÆ ET VNIVERSALIS ECCLESIÆ VEXILLIFERVM FECIT. D

VII. Quibus fæliciter completis, Arialdus cum Herlembaldo Mediolanum repedauit; factuſquè ſecurus tali defenſore, vitia Clericorum extirpat acriùs. *CA-*

## CAPVT XVII. A

*Herlembaldi conatus contra Cleri corruptelas: & quàm pijs ille moribus eſſet.*

I. HErlembaldus autem per licentiam Alexandri Papæ inſtat, vt Clerus Mediolanenſis Romanæ obediat Eccleſiæ: Coniugia & ſtupra ſeparat, rebelles armis caſtigat, contraquè Clerum arma mouet, nec ipſe minùs inobedientes inſequitur; QVIPPE ANNIS DECEM ET OCTO MVLTA PRO DEFENSIONE ECCLESIASTICÆ VERI- B
TATIS PASSVS EST.

II. Hic nobilis Herlembaldus coram Populo in veſtibus pretioſis ambulabat, equis & armis ſemper militari more fluitauit; ſed in abſcondito coram Deo vt Eremita degebat agreſtis; ſilicio nudam carnem cooperiebat, pauperes nutriebat, eorumquè lauabat pedes. Si quando, magna multitudine amicorum vallatus, pauperem vidiſſet; clam innuebat famulis, vt illum domum ducerent. Quò cùm perueniſſet; dimiſſis extraneis, allata aqua egeni pedes lauabat, & extergebat; poſt hæc, corpore in ſolo proſtrato, ſub pauperis pedes caput ponebat; tanta in eo hu- C
militas erat. Interdùm duodecim pauperes abundanter reficiebat, lotione pedum ſeruata.

III. De hoc nobili Milite narrat ANDREAS, MONACHVS VALLIS VMBROSÆ, ſe multa bona familiariter cognouiſſe. Cuius Herlembaldi domus erat Mediolani IVXTA ECCLESIAM SANCTI VICTORIS ET QVADRAGINTA MARTYRVM.

## CAPVT XVIII.

*Herlembaldus vtramque Cleri partem pro inueſtiganda veritate conuocat ad diſputationem. Landulphus verò moritur, Herlembaldi eiuſdem frater.* D

I. CVm igitur Herlembaldus vidiſſet, Clerum arma mouiſſe; vtramque partem ad diuinam diſputationem conuocat, eo pacto, vt quæcumque pars ratione conuinceretur, alteri ſubiaceret. In medium prolatis Doctorum ſententijs, maximè Ambroſij Protectoris noſtræ clariſſimæ Vrbis:

bis: ibiquè per Guibertum Archidiaconum, Antonium Biffum, A
Andream Decumanum, multa prolata ſunt contra Arialdum & Landulphum: qui prædictorum trium verba, Pauli Apoſtoli & Sanctorum auctoritate repellunt.

II. Cùm hæc acta fuiſſent, Cleruſquè arma moueret; MORITVR LANDVLPHVS, HERLEMBALDI FRATER.

## CAPVT XIX.

*Binos Abbates Simoniacos Herlembaldus diſpellit.*

EO tempore Archiepiſcopus, defuncto Abbate B
Sancti Celſi, alium ordinat, quem Herlembaldus expulit: alium à Cœnobio Sancti Vincentij eodem modo repulit, illorum Simoniam damnans.

## CAPVT XX.

*Arialdi hoſpitium & pia exercitamenta in Canonica extra Portam Nouam Eccleſia, per ipſum reparata, & domicilijs aucta. Quanta item foret ipſius litteratura ſimul & modeſtia.*

C

I. HIC BEATVS ARIALDVS ECCLESIAM, QVÆ DICITVR CANONICA, REPARAVIT EXTRA MVROS PORTÆ NOVÆ MEDIOLANI, ædificia pro ſe & pro ſocijs apta conſtruxit de proprio patrimonio. In hac Baſilica Horas Canonicas dietim cantabat: ad quam tanta Populi multitudo conueniebat, vt locus illos non caperet. Conuentualiter cum fratribus degebat. In menſa non erant fabulæ, ſed ſanctæ lectiones audiebantur.

II. Largus in eleemoſynis ſemper fuit, adeò quòd ſocij publicè dice- D
rent, eum arcam aureis plenam quotidie in pauperes effuſurum.

III. Noctes quoque medias ſemper trahebat inſomnes, partim orando, partim legendo, partim contra vitia meditando: nunquàm ſine pauperibus Clericis comedebat: nunquàm ſolus extra clauſtrum pergebat Eccleſiæ.

IV. Quamuis eſſet litterarum humanarum diuinarumquè ſcientia fultus; nunquàm tamen plùs confidebat in ſcientia, ac ſi nullam litteram

teram didiciſſet. Sed ſi in caſu neceſſitatis forſan ad diſputatio- A
nem fuiſſet prouocatus; ſtatim ad ſubſidia Dei & Sanctorum recurrebat.

V. Sæpè Corpora Sanctorum viſitabat. Tot nomina Sanctorum in Litanijs diurnis proferebat abſque libro, quòd cunctis mirabile videbatur. Sæpè nudis pedibus incedebat. Poſtremò, qualis doctrina eius erat, talis & vita.

VI. Audita fama ſapientiæ ſuæ, duo ſapientes de longinquis Mediolanum venerunt: cum quibus à mane vſque ad veſperam diſputauit; eoſquè confuſos, & admirantes ſapientiam eius, domum
dimiſit. B

VII. Cùm quadam vice iuxta Archiepiſcopalem Aulam diſputaret; Præſul cum Ordinarijs quendam ad eum miſit, qui Arialdi ſapientiam ſuperaret. At ille in paucis confuſus rediјt, dicens Archiepiſcopo: CERTE SPIRITVS SANCTVS PER OS ARIALDI LOQVITVR.

## CAPVT XXI.

*Arialdus abuſum deteſtatur comedendi ante Miſſarum ſolemnia in Sabbato Sancto: quo quidem die ipſemet ad Sancti Ambroſij Nemus
pergere ſolebat, ibiquè deuotiſſimè pernoctare.* C

I. Præterea cum Mediolanenſes in Sabbato Sancto comederent ante Miſſarum ſolemnia; contra illum actum ſic feruenter prædicauit, vt vſque nunc ab omnibus quaſi inuiolabiliter expectetur poſt Diuina Officia refectio corporalis.

II. Ipſequè eadem die pergebat AD NEMVS, milliario ab Vrbe, VBI QVONDAM BEATVS AMBROSIVS PARVAM BASILICAM CONDIDIT; frequentabatquè, cùm
tumultum Populi vitare vellet, aut libros dictare diuinos: ibiquè D
Beatus Arialdus deuotiſsimè pernoctabat, Dominicam expectans Reſurrectionem; vt moris erat apud maiores noſtros; prout teſtatur Iſidorus Erymologiarum lib. 6. ſic dicens: *Nox Paſchæ ideò peruigil ducitur propter aduentum Regis & Domini noſtri; vt tempus Reſurrectionis eius non nos dormientes, ſed vigilantes inueniat.*

CAPVT

## *CAPVT XXII.* A

*Quid Arialdus ſenſerit de triduano Rogationum ieiunio: & quemadmodùm eius æmuli ſumpſerint inde tumultuandi occaſionem; ſed ab Herlembaldo denique repreſſi fuerint.*

I. INter Clericos Mediolanenſes eo tempore altercatio erat, NVMQVID TRIDVANVM IEIVNIVM ROGATIONVM, QVOD EST CIRCA ASCENSIONEM DOMINI, FORET AB ECCLESIA INSTITVTVM. Vnde Beatus Arialdus quadam vice prædicatione B reſerauit, id non Eccleſiaſtica inſtitutione, ſed * BONA conſuetudine roborari; idquè approbauit auctoritate Nicæni Concilij, ac etiam Ambroſij Sermone de Pentecoſte; necnon circumuicinarum Vrbium, id non obſeruantium, more probauit.

* Legendum videtur NOVA.

II. Quæ cùm dixiſſet; AD ECCLESIAM BEATI AMBROSII ORANDI CAVSA PERREXIT; ſed ſubitò æmuli ſui cœperunt diuulgare per Vrbem, Arialdum hæreticum eſſe, eumquè ieiunia blaſphemare. Vnde Sacerdotum filij alijquè innumerabiles concurrunt cum armis AD ECCLESIAM ARIALDI, QVÆ CANONICA ET VSQVE NVNC NVNCVPATVR: C quæquè inueniunt, capiunt, domum diruere incipiunt: per angulos domus abſentem Arialdum quærunt, vt occidant.

III. Hæc vt Herlembaldus audiuit; cum Fidelibus ſumptis armis in audacem Plebem irruit, & omnes more pecudum fugauit; inſequenſquè eos manu forti ab impijs abſtulit, quicquid de Domo Domini rapuerant.

## *CAPVT XXIII.*

*Herlembaldus Romam pergit, & à Pontifice Litteras obtinet excommunicationis contra Guidonem Archiepiſcopum.* D

I. PRouiderat inſuper Arialdus, legem fieri de caſtitate ſeruanda: ad quam confirmandam omnes Sacerdotes Ambroſianæ Eccleſiæ ſubſcripſerant: & ipſe Guido Archiepiſcopus contra Simoniacam labem idem fecit.

II. His ita peractis, cùm Guido contra ſacramentum

 egiſſet,

egiſſet, & Arialdum contra ius & fas indebitè moleſtaret; HER- A
LEMBALDVS ROMAM TETENDIT. CVI PER ALEXANDRVM PAPAM DATÆ SVNT LITTERÆ, APOSTOLICIS PRÆNOTATÆ SIGILLIS, QVÆ CONTRA GVIDONEM ARCHIEPISCOPVM EXCOMMVNICATIONIS SENTENTIAM PROFEREBANT.

## CAPVT XXIV.

*Guido Archiepiſcopus binos Clericos, quia ſeſe Arialdo iunxiſſent, carceri traditos, in libertatem reſtituere cogitur.* B

I. ABſente igitur Herlembaldo, Guido Archiepiſcopus duos Clericos MODOETIENSES capi fecit, ac IN LEVCO diro carceri mancipari, eo quia nuper Arialdo ſeſe iunxerant.

II. Quod ſentiens Arialdus, vocata Plebe, cuncta facta narrauit, captiſquè armis contra partem Præſulis, præcedente Arialdo cum Vexillo Herlembaldi, IN CAMPIS MODOETIENSIBVS, Guido, timore proſtratus, Clericos ſe redditurum ſpopondit datis obſidibus; ſicquè Dei gratia infra triduum dicti Clerici ſunt Arialdo mirabiliter reſti- C
tuti.

## CAPVT XXV.

*Guido Archiepiſcopus, per Pontificias excommunicatus Litteras, plurimos ad Arialdi & Herlembaldi cædem vaniſsimo ſchiſmaticoquè pretextu concitat; ſed exitu tamen tam aduerſo, vt ipſemet ægrè manus euaſerit Fidelium, qui ſe protinùs opponunt, & innoxios Dei Seruos tutantur.*

I. POſtquàm autem Herlembaldus Roma rediit, Litteraſquè excommunicationis detulit Archiepiſcopo; ſubitò prædictus Archiepiſcopus per totam Vrbem nuncios miſit in Sabbato Pentecoſten; nuncians vniuerſis Ciuibus, vt, ſi inaudita ſcire cuperent, in Pentecoſten ſummo diluculo conuenirent ad Maiorem Eccleſiam. Hoc autem ideò fecit, vt contra Sanctos Dei Arialdum & Herlembaldum Populus inſaniret. D

II. Manc

II. Mane fit concurſus Populi. Herlembaldus ſupra cancellos ſeſe A
contulit, ita vt ab omnibus videretur. Poſt hæc Arialdus cum quinque ſocijs ex aduerſo Chori, tanquàm reſponſurus Præſuli, celſus ſtetit. Cœpit igitur Guido, tenens manu excommunicationis Bullam, ad Populum conqueri de Arialdo & Herlembaldo, dicens: *Turbatio peſtifera per hos diſſeminata eſt; ita vt videam, in his ſcriptis omnium noſtrum perniciem contineri. Hæc enim Ciuitas ob reuerentiam Beati Ambroſij Romanæ nunquam paruit Eccleſiæ. Ergo tollantur de terra viuentium hi ſeminatores verborum; quotidie laborant, vt hæc Vrbs priſtinam (vt ſit ſubdita Romæ) & propriam perdat libertatem.* Ad hæc cœpit Populus B
exclamare: *Occidantur velociter, occidantur.*

III. His dictis, Guido cum magna Clericorum caterua cœpit deſcendere, vt Sanctos Dei opprimeret. Sed cùm nimia Plebis denſitate ad eos non pateret acceſſus; cœpit Guido exclamare. *Omnes, qui Sancti Ambroſij honorem diligunt, ab Eccleſia exeant; vt noſtri aduerſarij euidentiùs cognoſcantur, citiuſque conterantur, & citiùs opprimantur.* Subitoquè Eccleſia euacuata eſt, ita vt è ſeptem millibus virorum tantùm duodecim remanſerint in ſubſidio Seruorum Dei.

IV. Arialdus autem & Herlembaldus, ſuper cancellos ſtantes flexis ge- C
nibus, Dominum exorabant: in quos pars aduerſa clamore magno irruit, Layci in Herlembaldum, Clerici verò in Arialdum; quem percutientes deorſùm præcipitant, & percuſſum credunt occiſum. Tenebatur autem ſceptrum militare ante Herlembaldum, ſuper quo ſeſe apodiare ſolebat, quo ſibi propinquantes mirabiliter proſternebat: ita vt nullus auderet ſibi propinquiùs accedere.

V. Cœpit igitur volare fama per Vrbem, mortem nuncians Arialdi. Vnde ſequaces ſui, ira commoti, arma capiunt; venienteſquè non ad Eccleſiam, vbi tumultus erat, ſed Pontificalem Aulam D
ingrediuntur; quæque reperiunt, diſſipant, & per Aulæ ingreſſum intrant Eccleſiam; Guidonem, prætoribus in equo repertum, ſpoliant; vixque coram manus euadere potuit. Tandem Eccleſiam ingreſſi, cum gaudio reperiunt Arialdum vita fruentem, cohortanturquè Herlembaldum, vt deſcendat. Sicquè cum magno triumpho, fugatis hoſtibus, AD ECCLESIAM ROZONIS, QVÆ NVNC DICITVR SANCTI SEPVLCHRI, ſeſe fœliciter tranſtulerunt

## *CAPVT XXVI.* A

*Arialdi fautores, ad vindictam de ipſius aduerſarijs ſumendam anhelantes, ab ipſomet Arialdo mitigantur.*

CVm autem ibi multitudo hominum coadunata decreuiſſet hoſtium domos euertere, ipſaſquè ſpoliare; Arialdus ſemianimis, quaſi ſilentio impetrato, multa de inimicorum dilectione tractauit, illud allegans Sacræ Scripturæ: *Diligite inimicos veſtros*: *Benefacite his, qui oderunt vos*; exhortaturquè Populum ad Dei laudes, cùm pro eorum defenſione magnalia operatus ſit; & pro inimicis iubet ſingulos Dominum exorare. Quibus dictis, cunctos à cœpto propoſito reuocauit. B

## *CAPVT XXVII.*

*Guido Archiepiſcopus profuſione pecuniarum ſeditionem redintegrat obſtinato in id animo, vt Arialdus expellatur ab Vrbe, ac necetur. Sed hic, mori paratus, cum ſuis Collegis ſua in domo & Eccleſia ſe continet: nec vllius auſu expellitur, nedùm necatur.* C

I. NOcte autem ſequenti Archiepiſcopus Guido ſuos ſequaces conuocat: vbi, multis variè ſuper necem Arialdi tractatis, tandem diffinitum eſt, quòd omnes Archiepiſcopi ſequaces pecunias in medium conferant, inter Populum diſtribuendas; vt contra Arialdum Populus incitetur, ponanturque inſidiæ extra Vrbem vndique; ſicquè Arialdus, tumultum Populi fugiens, extra Vrbis mœnia capiatur, & captus ſubitò iuguletur.

II. Quo facto, pars veſana ob pecuniam datam dietim multiplicabatur; pars verò Fidelium metu deficiebat. Sed Arialdus inter aduerſa tam fortis tam conſtans erat, vt, cùm quadam die ſentiret aduerſarios eius contra ſe venire, vt locum diruerent, & ipſum occiderent; ante Altare proſtratus eſt, & orationibus impiorum furorem extinxit. D

III. Quidam autem Arnulfus, pauens fragorem venientium, aliqua pretioſa in domum cuiuſdam vicini occultè tranſtulit. Quod vt.

vt Arialdus cognouit; vocato ſocio ait: *Arnulfe, nonne hæc Eccleſia in honore illius & nomine dedicata eſt, cui quotidie dicimus: Sub tuum præſidium confugimus, Dei Genitrix? Et num legiſti: Maledictus homo, qui ſpem ſuam ponit in homine?* Qui obmutuit, & veniam poſtulauit. A

IV. Tantaquè diebus illis formido inter Fideles erat, vt aliqui cibum capere deſperarent, mortem illicò præſtolantes; tamen hoſtes eos inuadere non ſunt auſi, Altiſsimo ſuffragante.

## *CAPVT XXVIII.*

*Guido Archiepiſcopus Mediolanum iubet eſſe interdicto ſubiectum, quamdiu Arialdus hic manſerit. Hinc igitur ille ſecedit: captuſquè, libertati nihilominùs ab ipſomet interceptore reſtituitur.* B

I. DEmùm, vt Populus magis contra Arialdum concitaretur, Archiepiſcopus totam Ciuitatem publico ſubpoſuit interdicto; ea tamen lege, vt, dum Arialdus maneret in Vrbe, interdictum id ſtaret; ipſo verò expulſo, ceſſaret interdictum. Decretumquè eſt, vt Layci, contrafacientes, vita & diuitijs priuarentur. Quibus nequiter ordinatis, ceſſat omnis Clerus à Diuinis Officijs. C

II. Videns autem Arialdus, Clerum ſacrilegis obedire præceptis; ſocijs ignorantibus, aſſumpto comite vno, AD SANCTVM VICTOREM AD VLMVM biduo latuit.

III. Quod ſentiens Herlembaldus, cum aliquanto equitatu Arialdum Papiam duxit; deinde, parte militum remiſſa, per Padum nauigat, vt Romam accederet.

IV. Sed ſub quodam Placentino Oppido capiuntur, & de medio omnium Arialdus ſolus in Arcem deducitur. Cuius ſapientiam dum videret oppidanus, ait: *Archiepiſcopus tuus multa mihi promiſit, ſi te ſibi traderem captiuum. Aſſerit enim, te eſſe hæreticum: quod falſum eſſe cognoſco. Sed vade in pace.* Qui dimiſſus, Papiam redijt. D

## CAPVT XXIX. A

*Arialdus ab hoſpite amico perfidè proditur Archiepiſcopo Guidoni, ac verſus Lacum Maiorem occidendus abducitur.*

I. INde Legnanum pergunt: vbi deliberatum eſt
per omnes, vt quæratur amicus, qui Arialdum
per dies aliquot occultaret, donec voluntas Po-
puli mutaretur, aut inſidiæ vndique poſitæ tol-
lerentur: factaquè mentione de quodam Pref-
bytero, non multùm inde diſtante, Arialdus
conſenſit, aſſerens, illum nuper à Ieroſolymis redijſſe, ſibiquè B
domeſticum ſatis.

II. Accerſito tandem Sacerdote illo, ſe omnia gratanter facturum pol-
licetur: additquè, ſe habere locum latibulis conuenientem.
Media deniquè nocte Herlembaldus cum comitibus & Sacerdo-
te Arialdum ſociat: multa bona Sacerdoti ſpondit; ſi Arialdum
benè tractauerit: ſi autem contrafecerit, acriter comminatus
eſt; & in lachrymis Vale facto, cum Presbytero ſolus Arialdus
remanſit; cùm noluerit, aliquem ex ſocijs permanere. Herlem-
baldus autem cum equitibus manè Mediolanum venit.

III. Prædictus verò Presbyter, vt Arialdum in camera ſua clauſum vi- C
dit, indilatè Archiepiſcopo Arialdum penès ſe depoſitum nun-
ciat: qui, multùm gaudens, muneribus ipſum replevit: miſſiſ-
què multis militibus fidis, loco ſtatuto inſidias tendunt.

IV. Cùm autem Sacerdos domum veniſſet, ad Arialdum proceſſit; cui
dixit: *Domine Arialde, neceſſe eſt, vt hinc ſubitò recedamus, &*
*ad Caſtrum, vnde te ſuſcepi, reuertamur; quoniam, te hîc eſſe,*
*omnibus notum eſt.* Cui Arialdus. *Tibi via nota eſt. Præcede*
*igitur, & ego te ſequar.* Proditore igitur præcedente, Virum
Dei in laqueum ducit inſidiarum; factoque per proditorem ſi-
gno præordinato, capitur Arialdus; & vinculis arctatus equo D
imponitur, & tacitè feſtinanterquè verſus Lacum Maiorem
ducitur.

## CAPVT XXX. A

*Arialdus per ſicarios, ab Archiepiſcopi Guidonis Nepte miſſos, crudeliſſimè necatur.*

I. CVm autem ductus eſſet ANGLERIAM; per
alios magis fidos milites ARONAM ducitur; &
ante OLIVAM, Archiepiſcopi neptem ex fra-
tre, præſentatur: quæ ſecundùm patrui ſui vo-
ta Arialdum in Inſula quadam, in Lacu Maiori
ſita, ſecretiſſimè necari iubet.

II. Deditquè eum quinque Miniſtris: qui, naui eum imponentes, tan- B
dem ad Inſulam peruenerunt: tollenteſquè eum de naui, ſaxo
vinculatum apodiantes, inquiunt: *Arialde, cur non negas, quia
dixiſti; vt viuas? Id ſi feceris; vitam promittimus.* Cui Arial-
dus: *Abſit, vt in fine mentiendo perdam, quod acquiſiui verè
prædicando.* At illi: *Si ille mons aureus eſſet, & totum dares; te
aliter viuere, non permitteremus.* Quod Vir Dei audiens ſe erexit,
ET HYMNVM APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI,
QVORVM VIGILIA ERAT, ALTA VOCE CANTAVIT.

III. Tandem, dum iſti Carnifices hæſitarent de morte Arialdi, immò
quaſi deliberaſſent de vita eius; reſpicientes vident nauiculam C
concitè venientem, duoſquè homines deferentem. Hi enim à
dicta OLIVA mittebantur, timente, ne priores Miniſtri Arial-
do vitam donarent. De his quippe maximè confidebat, quos in
mortem eius iamdudùm anhelare cognouerat.

IV. Egreſſi de naui vt ſunt, aiunt ad cæteros: *Vbi eſt Arialdus?* Reſ-
pondetunt: *Mortuus eſt.* At illi: *Nobis iuſſum eſt videre illum,
ſiuè viuum, ſiue mortuum.* Et circumſpicientes, illum vident
in ſaxo ſedentem. In quem protinùs irruunt gladijs euaginatis.
Alter verò eorum dexteram aurem Arialdi arripit, alius aliam, ſi-
mulquè inquiunt: *Dic nobis proditor, ſi Guido Archiepiſcopus* D
*noſter eſt verus.* Qui reſpondit: *Non eſt, vt ſæpiſsimè prædicaui;
quia opera Præſulis in eo non ſunt.* Tunc illi feroces Arialdo am-
bas aures amputant. Interrogatur iterùm, ſi Guido verus eſt
Archiepiſcopus. Cui, ſolitam animi conſtantiam retinenti, na-
ſus cum labio ſupremo abſcinditur. Deinde ambo oculi ſunt
effoſſi. Poſtea dexteram manum truncant, inquientes: *Hæc eſt,
quæ Litteras Romam directas ſcripſit.* Deinde genitale mem-
brum

brum gladio radicitùs inciduñt, clamantes: *Prædicator Caſtitatis* A
*fuiſti: ſic & tu caſtus eris.* Sentiens autem Beatus Arialdus do-
lores maximos, clamabat: *Circumdederunt me dolores mortis, Do-
mine Ieſu. Gratias tibi ago, Chriſte: mequè hodie inter Sanctos
Martyres tuos collocare digneris. Vt enim teſtis mihi es, pro veri-
tate morior.* Poſt hæc ſub gutture linguam euellunt, dicentes:
*Nunc ſileat lingua, quæ Clericorum familias exturbauit, diſperſit-
què.* Et in his tormentis animam reddidit Creatori.

## *CAPVT XXXI.*

*Arialdi Cadauer, varijs ſubinde humatum in locis, emiſſa cælitus luce illuſtra-* B
*tur. Quocirca, iubente ſimiliter Guidonis Archiepiſcopi Nepte, in-
gentibus illigatum ſaxis in profundum Lacus deijcitur Maioris.*

I. COrpus verò per eoſdem quocumque modo tu-
mulatum eſt. Super eius ſepulchro omni noc-
te luminaria apparebant maxima. Quod piſca-
tores in noctibus videntes publicè diuulgabant.
II. Hæc cùm audiret OLIVA, eruderato corpore, in
alterum locum transferri fecit. Sed cùm eadem
lux conſimiliter appareret; in alium illicò locum tumulari iubet;
vbi ſimili modo lux noctibus videbatur. C
III. Tandem, videns OLIVA, quòd lux eximia vbique ſacrum Cor-
pus comitabatur; irata valde, fecit grandia ſaxa circa Corpus in-
necti, & in profundum Lacus dimergi; vbi tanta eſt Lacus pro-
funditas, vt fune centum cubitorum vix poſſit arena tentari; ac
tanta eſt immanium piſcium multitudo, quòd omnia cadauera
infrà triduum conſumantur; VT NARRAT ANDREAS, MO-
NACHVS VALLIS VMBROSÆ, QVI HANC HISTORIAM
CONSCRIPSIT, ſe ab illius loci incolis didiciſſe.

## *CAPVT XXXII.*

*Varius in Vrbe Mediolano rumor, & magna hæſitatio de Arialdi* D
*captiuitate ac nece.*

I. HIs occultè peractis, inter Mediolanenſem Popu-
lum de ipſo incertus rumor erat, magnaquè
hæſitatio. Alij affirmabant, eum defunctum
eſſe: alij, clam retentum in vinculis. Vnde Po-
pulus, ſuo more mutatus, ſic accenditur, vt
ſub iureiurando ſtatuerit, illum aut viuum aut
mortuum

mortuum habiturum: ſeque pro illius morte vindicaturum offerr. A

II. Iſque rumor de captione eius in Mediolanenſi Vrbe auditus eſt hora tertia IN VIGILIA SANCTORVM PETRI ET PAVLI, QVA DIE FVIT MARTYRIO CORONATVS.

### C A P V T XXXIII.

*Poſt decem inde menſes Corpus Arialdi è profundo Lacus Maioris emergit illæſum interim & incorruptum, tantique miraculi fama Mediolanum affertur.*

I. DVm autem Beati Arialdi mortem diſſimulat Herlembaldus, vt cautiùs prouideret; tranſactis B menſibus decem (ſcilicet in feſto Inuentionis Sanctæ Crucis) Corpus Beati Arialdi per Aquilam demonſtratur.

II. Nam Aquila ſuper aquas Lacus volitabat, cunctas aues pellens. Quod vt viderunt paſtores, qui ſua armenta cuſtodiebant; ad litus iuxta Aquilam concurrerunt properè; & ſine mora Corpus Beati Arialdi ad terram proiectum eſt, mirifici candoris, ſine putrefactione ſeruatum. Quidam autem ex paſtoribus, quibus mors Beati Arialdi nota fuerat; dixerunt: *Verè hoc eſt Corpus Beati Arialdi.* C

III. Cunctiſquè id affirmantibus, huius rei fama ad OLIVAM ſubitò volitauit; quæ EX ARCE ARONÆ ſeruos miſit. Hi, pulſis inde paſtoribus, in quamdam foueam Corpus clanculò proiecerunt.

IV. Quidam ex paſtoribus, nomine ALGISIVS, ſubitò Mediolanum venit, prædictaquè omnia nunciat Herlembaldo: ſeque primum Aquilam vidiſſe, & Corpus cognouiſſe teſtatur.

### C A P V T XXXIV.

*Re certiùs comperta, Herlembaldus cum inſtructo Mediolanenſium Exercitu pergit ad recuperandum Arialdi Cadauer, requè feliciter ipſa recuperat.* D

I. HErlembaldus, vocato ANDREA, QVI HANC HISTORIAM CONSCRIPSIT, hortatur, vt ad huius rei ſcrutationem feſtinanter accedat. Qui, ſumpto comite vno, concitè illuc perrexit: affirmantibuſquè paſtoribus, quæ audierat, interrogauit: *Vbi eſt Corpus.* At illi? *Ecce locus,*

*eus , vbi , nobis videntibus , ſero poſitum eſt . Mane verò reuerten-* A
*tes,locum inuenimus ; de eo autem nihil ; putamuſquè , quòd nocte*
*eadem in Arcem ſit ſecretò translatum .*

II. His auditis , Andreas,cum ſocio ad Herlembaldum veniens,cuncta
per ordinem narrauit . Herlembaldus autem , conuocato Popu-
lo , quem , vt ſupra memoraui, in amorem Martyris recuperandi
accenſum eſſe cognouerat , factum explicat : electiſquè viris, ab
OLIVA & complicibus facti ſacrum Corpus expoſcitur. Qui-
bus reſponſum eſt , ſe non daturos , & potiùs mori diſpoſitos,
quàm illud poſtulantibus exhibere . Nocteque eadem dixerunt
ad inuicem : *Hoc Corpus tantam habet integritatem , tamquè deco-* B
*rum eſt , vt , ſi Populus illud viderit , laudibus extolletur , & nos op-*
*probriosè damnabimur .* Tandem , habito inter ſe conſilio , cutem
cum capillis de eius capite detraxerunt , pellem eius albentem
ferreis vngulis laniarunt , ambos pedes truncant. Imaginaban-
tur enim,quòd ſic horrendum & ignotum à Populo ſperneretur.

III. Hæc vt Herlembaldus ex Legatis cognouit ; tubis & perſtrepenti-
bus tintinnabulis Populum conuocat ; exponit reſponſionem
hoſtium ; hortaturquè cunctos ad arma capienda, vt Corpus ſa-
crum vi armorum ab hoſtibus auferatur. Et, vt nulla depopu-
latio aut rapina per Exercitum fiat, plauſtra & iumenta victuali- C
bus & armis onerari iubet : tantaquè fuit curruum multitudo, vt
per ſeptem milliaria extenderetur. Exercitus autem peditum
& equitum innumerabilis erat,cunctiquè ſponte conueniebant.

IV. Secundo tandem die ad veſperum quarto milliario à loco intenro
in pratis caſtrametati ſunt. Igitur , Legatis ad OLIVAM di-
rectis , & Caſtris Herlembaldi in pratis conſedentibus,nocte vox
quædam deſuper audientibus vniuerſis inſonuit , dicens ; *Curri-*
*te , currite ad ripam Ticini ; quia Sanctus noſter Arialdus ibi re-*
*præſentandus vobis aduenit .* Iis auditis , omnes certatim aduo-
lant : crediturquè beatior, qui ad currendum promptior erat. D
Tandem , cunctis expectantibus , ſacrum Corpus per Ticinum
ad litus proiectum eſt .

## CAPVT XXXV.

*Arialdi Corpus pompa ſolemni, nec ſine miraculo per ipſum patrato, Mediolanum defertur: ac, per decem dies ad venerationem in Ambroſiana Baſilica expoſitum, ad Eccleſiam tandem Sancti Celſi tumulatur.* A

I. EO itaque leuato in feretro, ſumma gloria magniſquè ſolemnitatibus verſùs Vrbem defertur. Exibant rurales viri de Caſtellis, in quibus ſe Exercitus timore concluſerant, victualia portantes: & cum Crucibus & cereis Deo laudes B decantabant: &, vt ſaltem ipſum viderent, arbores aſcendebant.

II. In quodam Vico Ruſticus erat longa paralyſi diſſolutus: qui cùm audiſſet, quòd Chriſti Martyr per viam duceretur, ad feretrum ſe portari fecit, tactoquè Corpore, ſubitò eſt ſanatus. Quod vniuerſus Populus cernens, tanto clamore in laudes Dei & Martyris exultauit, vt à locis maximè diſtantibus audiretur.

III. Mediolano tandem appropinquantes, totam Vrbem obuiam habuerunt: totuſquè Clerus affuit cum cereis, cantans Officium, non Mortuorum, ſed Martyris noui. Quinimmò æmuli ſui in C hoc ſe ſic gratos præbuerunt, vt vnà cum alijs Clericis nouum Martyrem decantarent: quod non paruum Martyris miraculum cunctis viſum eſt. Sicquè in die ſancto Aſcenſionis Domini IN MEDIO ECCLESIÆ SANCTI AMBROSII feretrum cum Corpore impoſito poſitum eſt.

IV. Tunc Herlembaldus, pulpitum aſcendens, ita locutus eſt: *Dilectiſſimi, videmus, quantùm valuit fides, quam inter nos decem annis prædicauit Beatus Arialdus. Certè ipſum ſeruauit incolumem in profundo Lacus inter innumerabiles immaneſquè piſces per decem menſes: Conſuloquè, vt eius ſanctitas magis ac magis appareat, per* D *hos decem dies æſtiuos non tumulari Corpus eius; ſicquè Populus concurrens noui Martyris ſanctitate lætabitur.* E contra Dæmonia clamabant: *Intertmemus te, ſicut & Socium tuum.*

V. In ijs quidem diebus Populi vndique ad Sanctum Martyrem cum muneribus confluxere, quibus per diem illud videre permittebatur; per noctes verò Clericorum & Monachorum peruigil cuſtodia erat, cum Hymnis & Pſalmodijs laudantium Creatorem.

VI. Timens autem ANDREAS, QVEM MVLTOTIES SVPRA A
MEMORAVI, ne ſacrum Corpus fæteret (cùm tempus eſſet
æſtiuum) & ſcandalum publicum ſequeretur; ad ipſum nocte,
aſſumpto lumine, vigilantibus paucis, acceſſit; repertoquè fora-
mine, ſub axilla facto, intùs aſpexit; & ecce eius exta vt nix can-
dida erant; hepar verò aereum habebat colorem. Intromiſſiſ-
que duobus digitis, magna odoris ſuauitas emanauit; adeò quòd
à naribus digitos ob ſuauitatem remouere non poterat; pluribuſ-
que diebus in digitis ſuis illam fragrantiam ſentiebat.

VII. Denique in feſto Pentecoſten, vt per Herlembaldum ſtatutum
erat, tanta vtriuſque ſexus multitudo de longinquo & de pro- B
pinquo coadunata eſt, vt decrepiti ſe nunquàm tantam multitu-
dinem vnitam vidiſſe dicerent. Sicquè cum laude ineffabili, ma-
gnaquè gloria, PROPE ECCLESIAM SANCTI CELSI TV-
MVLATVM EST; ſcilicet inter dictam Eccleſiam, ET EC-
CLESIAM PARVAM, VBI QVONDAM SANCTVS NA-
ZARIVS LATITAVIT, QVÆ ECCLESIA SANCTI NA-
ZARII IN CAMPO DICITVR.

## CAPVT XXXVI. C

*Denarius numerus obſeruatione dignus in Arialdi rebus.*

ITaque Beatus Leuita & Martyr Arialdus decem
Annis pro veritate prædicauit: In eius marty-
rio decem membra Chriſto obtulit: Per de-
cem milliaria Lacus nobis illum proximiorem
reddidit, quàm accepit: Decem menſibus in
profundo Lacus incolumis iacuit: Per decem
dies æſtiuos in Eccleſia Sancti Ambroſij conſeruatus eſt: Poſt
hæc Anno decimo Beatum Herlembaldum ſibi aſſociauit in Re- D
gno Cælorum, per eorumdem manus inimicorum occiſum.

CAPVT

## *CAPVT XXXVII.* A

*Blaſphemus in ſacrum Arialdi Martyris cultum acerbiſſimis illicò doloribus à Deo punitur; nec ante, quàm reſipuerit, liberatur.*

CVm aliqui viri ſimul confabularentur de Beato Arialdo, & de euntibus ad venerationem Corporis ſui; dixit quidam: *Magis cupio ſuper Corpus eius mingere, quàm illud adorare.* Quem ſubitò tam ſæuus internorum viſcerum dolor inuaſit, vt neque quieſcere neque mingere potuerit, donec pœnitentia ductus ad Sanctum Martyrem munus obtulerit, ibiquè ſuppliciter adorauerit. B

## *CAPVT XXXVIII.*

*Arialdus à Summo Pontifice in Sanctorum Martyrum Catalogum adſcriptus.*

PASSVS EST BEATVS ARIALDVS * QVINTO CALENDAS IVLII, ANNO DOMINI MILLESIMO SEXAGESIMO-SEXTO. De cuius morte doluit Papa Alexander. Vnde Anno ſequenti, ſcilicet Millefimo ſexageſimo-ſeptimo, cùm idem Papa iret ad Synodum, C quam Mantuæ celebrauit, Mediolanùm venit; multaquè fecit Statuta de Statu Mediolanenſis Populi & Cleri; BEATVMQVE ARIALDVM SANCTORVM MARTYRVM CATALOGO ANNOTAVIT. Poſteà verò ......

* Legendum videtur QVARTO.

### AD LECTOREM.

Paucula hîc deſunt: quibus fortè narrabatur, quemadmodùm Arialdi Cadauer poſtea tranſlatum fuerit ad Sancti Dionyſij Eccleſiam, & ad eam tumulatum; ſicut in huius Operis fronte dicebatur; & ſicut proximis teſtatum eſt Carminibus, quæ tandem D hoc loco adijciuntur:

*Hoc Mauſoleo reuerenter condita digno*
*His geminis cauſis Arialdus paſſus ab iſtis,*
*Martyr in Eccleſia Leuita reconditur iſta.*
*Tranſtulit Anſelmus Paſtor venerabile Corpus &c.*

FINIS LIBRI TERTII.

DE

A A

# De SS. Martyribus,

# ARIALDO ALCIATO ET HERLEMBALDO COTTA, MEDIOLANENSIBVS,

veritati ac luci reſtitutis;

B

## LIBER QVARTVS: SANCTI HERLEMBALDI VITA, per Ioannem Petrum Puricellum collecta.

C

### Præfatio in præſentem Librum Quartum & Vltimum.

I. SAncti huius Herlembaldi Vita (vt Libro 1. Capite 20. Num: 12: iam vidimus) non ab illo Auctore ſcripta fuit, à quo altera illa Sancti Arialdi, de qua ſcilicet illic quæſtio agitabatur. Sed ne mihi quidem ab aliquo vnquàm alio ſcripta videtur. Perinde igitur ac ſi mihi Deus iam tandem hanc ſcriptionem in præſens imperare dignatus eſſet, ego illam ſuſcepi; præſentemquè Librum alacriori propterea ſcripſi animo, Deoquè propterea ipſi & hominibus aliquantò gratiorem fore ſperaui. D

II. Cur autem ab hoc Libro Quarto non progrediar ad Quintum, tametſi alias hunc cæteroqui promiſerim; hæc eſt cauſa & ratio. Quas enim ei Libro Quinto deſtinaueram Obſeruationes hiſtoricas, earum nonnullas meis Ambroſianæ Baſilicæ ac Monaſterij

Monumentis itemquè Diſſertationi Nazarianæ, pleraſque verò præſentis Operis Libro Primo & Quarto ſuis in locis opportunè intexui. Quocirca non ampliùs eæ Quintum ſibi exigunt Librum, in quem ſeparatim redigantur. A

III. Si quis tamen à me cauſam ſingillatim requirat, propter quam ſuperiore Libro 2. Capite 33. & Libro 3. Capite 38. in ora marginali adnotauerim, legendum videri, non QVINTO, ſed QVARTO KALENDAS IVLII, cùm ſcilicet ageretur de die, quo Sanctus Arialdus necatus fuit; eam profectò cauſam inueniet à me ex inſtituto propoſitam & examinatam hoc ipſo Libro Quarto, Capite 23. Num. 5. B

IV. Quoniam verò Libro etiam 3. Capite 22. ſimiliter adnotabam, legendum videri, non BONA, ſed NOVA CONSVETVDINE, qua nempe triduanum illud Litaniarum ieiunium apud nos primitùs inſtitutum eſſet; hac de re Lector ipſe paulò attentiùs Sancti Arialdi ſententiam perpendat ex vniuerſo eius loci contextu; eumquè præterea conferat cum ipſamet eiuſdem Arialdi Concione, quam Beatus Andreas, non ſtrictim, ſed fusè recitabat Libro 2. Capite 21. quinetiam conſulere ne grauetur Diſſertationis meæ Nazarianæ Caput 64. è Numero 27.

INDEX

A

# INDEX CAPITVM

## Libri huius Quarti & Vltimi. B


I. *De nobiliſsima Cottarum Mediolanenſium familia, è qua Sanctus Herlembaldus.*

II. *Quàm deprauati multis in Eccleſijs eſſent Clericorum mores Sæculo Chriſti Vndecimo: & quemadmodùm eos reformare ſtuduerint Clemens Secundus, Sanctus Leo Nonus, & Victor Secundus, Romani Pontifices.* C

III. *Qualis eodem Sæculo Chriſti Vndecimo eſſet Cleri Mediolanenſis ſtatus quoad incontinentiam præſertim & Simoniam.*

IV. *Landulphus Cotta, Herlembaldi frater, Anno Chriſti 1056. vnà cum Sancto Arialdo ſeſe concionando opponit Mediolanenſis Cleri corruptelis.*

V. *Stephanus Papa Decimus Anno Chriſti 1057. Clericorum coniugia deteſtatur.*

VI. *Landulphus & Arialdus, eo quòd ſe talibus Mediolanenſis Cleri corruptelis oppoſuiſſent, ab Archiepiſcopo Mediolanenſi anathematizantur in Concilio Prouinciali, ad Fontanetum congregato.* D

VII. *Landulphus Cotta, Romam tendens ad Pontificem Stephanum, & accepto per ſicarium vulnere coactus reuerti, mittit illuc Arialdum: amboquè ad prædicationem contra Cleri corruptelas proſequendam animantur, irritaquè penitùs & euanida excommunicatione perculſi declarantur.*

VIII. *Stephanus Papa Decimus tres Legatos Mediolanum mittit, ad componendas Cleri Populiquè controuerſias.*


IX. Eo-

*IX.* *Eodem Anno 1058. Clerus Vrbanus Landulpho Cottæ molitur necem, ſed irrito diuinitùs conatu.* A

*X.* *Nicolaus Papa Secundus, à Mediolanenſibus noſtris rogatus, duos & ipſe Legatos huc mittit Anno Domini 1059.*

*XI.* *Eodem Anno Domini 1059. Nicolaus Papa Secundus, Archiepiſcopo etiam noſtro ac Sancto Arialdo præſentibus, Concilium celebrat Romanum, in quo aduerſùs etiam Simoniacos & incontinentes Clericos decernitur.*

*XII.* *Anſelmus de Badagio, Ciuis Mediolanenſis, & Baſilicæ Metropolitanæ Canonicus Ordinarius, Simoniacis & incontinentibus Clericis infenſus, Anno Domini 1061. ex Epiſcopo Lucenſi creatus Pontifex Romanus, & Alexandri Secundi nomine appellatus, Epiſtolam protinùs ad ſuos Mediolanenſes ſcribit, ſingularis beneuolentiæ plenam, eos excitans ad anteponenda terrenis bonis cæleſtia, & benè ſperans de Cleri caſtitate.* B

*XIII.* *Herlembaldus Cotta, Landulphi frater, aliquanto iam ex tempore Populi Mediolanenſis Capitaneus, & Chriſtiana pietate perinſignis, Romam pergit vnà cum Sancto Arialdo: multorumquè religioſorum hominum ſuaſu, quinetiam Pontificis Alexandri Secundi iuſſu, patrocinium ſuſcipit cauſæ, contra Cleri corruptelas inchoatæ: propterea què ab eodem Pontifice creatus Eccleſiæ Romanæ Vexillifer, opus ipſum aggreditur.* C

*XIV.* *Landulphus Cotta, Herlembaldi frater, in Domino moritur.*

*XV.* *Vtrùm Landulphus hic Cotta ſuſcipiendi Monachatus edidiſſet votum, quod tamen poſtea non perſoluerit.*

*XVI.* *Guido Archiepiſcopus & alij è Clero multi ad priores corruptelas periuri reuertuntur.*

*XVII.* *Alexander Papa Secundus per Legatos & per Epiſtolas Herlembaldo præſcribit, quid in cauſa præſenti agendum.*

*XVIII.* *Alexander Papa Secundus Beneficijs priuat eos Mediolani Clericos, qui ſuum deſerant officium, vt incontinentiæ potiùs indulgeant.* D

*XIX.* *Alexander Papa Secundus Anno Chriſti 1063. in Concilio Romano multa condit decreta contra Simoniacos, & Nicolaitas.*

*XX.* *Mediolanenſes contra Cleri ſui corruptelas in auxilium ſibi Monachos poſtulant à Sancto Ioanne Gualberto, Vallumbroſani Ordinis fundatore.*

*XXI.* *Beatus Petrus Damiani Herlembaldum eiuſquè Collegas hortatur,*



*tur,*

tur, vt in Eccleſiaſtica diſciplina defenſione contra Simoniacos & Nicolaitas conſtanter perſeuerent. A

XXII. Herlembaldus Anno 1066. Romam pergit, & ab Alexandro Pontifice Litteras obtinet, Guidonem Archiepiſcopum excommunicantes.

XXIII. Herlembaldus Arialdum, ab aduerſarijs ad necem quæſitum, varias in latebras è periculo ſubducit: ſed ille nihilominùs ab hoſpite pro proditionem detectus capitur, & crudeliſſimè necatur. Quota id præcisè die.

XXIV. Herlembaldus Arialdi necem diſſimulat, vt cautiùs prouideat.

XXV. Herlembaldus, vnà cum ingenti armatorum multitudine profectus ad recuperandum Sancti Martyris Arialdi Corpus, quod poſt decem ab obitu menſes mirabiliter ac recenter è profundo Lacus Maioris in ripam emerſerat, illud tandem pacificè obtinet, ac Mediolanum perhonorificè deportandum, necnon etiam ibidem tumulandum curat. B

XXVI. Apoſtolici denuò Legati Mediolanum veniunt, & multis Conſtitutionibus diſſidia Cleri & Populi componunt.

XXVII. Pontifex ipſe Maximus Alexander Secundus Mediolanum venit, & Arialdum Catalogo Sanctorum Martyrum adſcribit. C

XXVIII. Herlembaldus, Romam profectus, à Sede reportat Apoſtolica decretum, ne quis in Epiſcopum eligatur abſque Romani Pontificis conſenſu; secùs autem illegitima prorſus & irrita ſit electio. Multos igitur etiam ſibi aſſociat alios, qui hoc ipſum in decretum iurati conſentiunt.

XXIX. Guido Archiepiſcopus, anteuertere ſubdolè cupiens ſuperioris decreti Pontificij executionem, Archiepiſcopatum à ſe in manus Henrici Cæſaris abdicat: ſtatimquè illum ipſe ſimoniacè tradit Gothofredo; qui tamen incunctanter & à Mediolanenſibus & à Sede Apoſtolica repudiatur. D

XXX. Guido, recuperare tentans Archiepiſcopatum, à ſe abdicatum, ab Herlembaldo in Monaſterium abducitur.

XXXI. Herlembaldus Gothofredum, Archiepiſcopatus Mediolanenſis inuaſorem, obſidet in eius Oppido, Caſtelliono. Interim verò Mediolanum diro flagrat incendio.

XXXII. Guido moritur Archiepiſcopus: & Herlembaldo ſatagente, ſecundum Apoſtolicæ Sedis decretum & conſenſum, eligitur

Atho;

*Atho; ſed non iuuenculus, vt nonnulli perperàm tradiderunt.* A

XXXIII. *Videns Atho, ſui electionem diſplicere multis, Archiepiſcopatu ſe abdicat.*

XXXIV. *Athonis electio nihilominùs à Sede Apoſtolica ſynodaliter comprobatur, & per Litteras item ad Herlembaldum datas.*

XXXV. *Gothofredus in Archiepiſcopum conſecratur Henrici Regis iuſſu; cuius tamen ipſum poſtea pœnituit.*

XXXVI. *Moritur Alexander Papa Secundus, ſanctitate ac miraculis inclytus; eique ſubſtituitur Hildebrandus, Gregorij Septimi nomine appellatus.*

XXXVII. *Atho, iam electus in Archiepiſcopum, & à Sede item Apoſtolica comprobatus, Romam pergit ad Gregorium Papam.* B

XXXVIII. *Gregorius Papa Septimus Beatricem, Tuſciæ ac Liguriæ Dominam, eiuſquè filiam Mathildem, admonet, vt à communione illorum abſtineant Epiſcoporum, à quibus Gothofredus in Archiepiſcopum conſecratus fuit.*

XXXIX. *Gregorius Papa Gulielmo, Epiſcopo Papienſi, Mediolanenſem commendat cauſam contra Gothofredum Pſeudoarchiepiſcopum, eiuſquè fautores.*

XXXX. *Gregorius Papa eamdem cauſam Mediolanenſem contra Gothofredum Pſeudoarchiepiſcopum commendat omnibus Sancti Petri Fidelibus, in Longobardia commorantibus.* C

XXXXI. *Henricus Rex à Gregorio Papa veniam ſuppliciter petit, quòd res inuaſerit Eccleſiaſticas, & Eccleſias vendiderit. Rogat, vt auctoritate ille ſua Simoniacam extirpet labem ab omnibus Eccleſijs, & à Mediolanenſi præſertim: ſemetipſum autem illi obſecuturum in omnibus promittit.*

XXXXII. *Gregorius Papa Herlembaldo noſtro ſcribit humaniſſimè: ipſumq; tandem ad perſeuerantiã in ſuſceptæ cauſæ defenſione hortatur.*

XXXXIII. *Gregorius Papa eumdem Herlembaldum per Litteras hortatur, vt cum excommunicatis reſipiſcentibus agat benignè, vtquè viriliter in defenſione cauſæ per Eccleſiã ſuſceptæ perſeueret.* D

XXXXIV. *Gregorius Papa Albertum, ad Albenſis Eccleſiæ regimen electum, hortatur, vt Simoniacos & Nicolaitas oppugnet, ac Herlembaldo noſtro auxilium præſtet.*

XXXXV. *Gregorius Papa Gulielmo, Epiſcopo Papienſi, cauſam Eccleſiæ Mediolanenſis & Herlembaldi rurſus commendat.*

XXXXVI. *Gregorius Papa in Concilio Romano Pſeudoarchiepiſcopum anathematizat*

*thematizat Gothofredum, & eos Epiſcopos, à quibus ille fuerat conſecratus; Athonem verò collaudat. Sic etiam in eo contra Clericorum incontinentiam decernit.* A

XXXXVII. *Gregorius Papa Duciſſæ Beatrici & eius filiæ Mathildi mandat, vt liberum ac ſolutum ad Herlembaldum noſtrum mittant Epiſcopum Argentinenſem, quem iniuſtè detinuerant, cùm ex Vrbe Roma reuerteretur.*

XXXXVIII. *Quo conſilio Herlembaldus non permiſerit, ab vllo Epiſcopo excommunicato miniſtrari Baptiſmum; nec ab alijs adhiberi Chriſma, quod eſſet ab ipſo conſecratum.*

IL. *Gregorius Papa Henrico Regi, tametſi ea non executo, quæ pro Eccleſia Mediolanenſi promiſerat, nouum tamen pollicetur eiuſdem cauſæ, ſemel iam iterumquè iudicatæ, examen.* B

L. *Gregorius Papa in Concilio Romano Nicolaitas denuò & Simoniacos exagitat: Eccleſiarum quoque reprobat inueſtituras, quæ per Laicos fiant.*

LI. *Mediolanum alterorurſus incendio corripitur: & quàm præpoſterè Ioſephus Ripamontius in tempus hoc incendio poſterius conijciat Petri Damiani, Cardinalis Oſtienſis, Legationem ad noſtros Mediolanenſes.*

LII. *Gregorius Papa Thedaldo, nuper ab Henrico Rege in Archiepiſcopum Mediolanenſem electò, mandat; vt ad ſe pergat Romam, electionis ſuæ rationem redditurus; interim verò Sacros Ordines non ſuſcipiat.* C

LIII. *Gregorius Papa nonnullis Epiſcopis, Eccleſiæ Mediolanenſis Suffraganeis, ſignificat, quæ proximè ſcripſerit ad Thedaldum: eiſquè præcipit, ne ipſum ad Sacros Ordines promoueant.*

LIV. *Thedaldus ab ijs conſecratur Epiſcopis, aduerſus Apoſtolicam Sedem contumacibus; à quibus conſecratus olim fuerat Gothofredus.*

LV. *Gregorius Papa de Rege conqueritur Henrico, quòd promiſſa pro Mediolanenſi Eccleſia non impleuerit.* D

LVI. *Thedaldus Pſeudoarchiepiſcopus, ab officio Epiſcopali per Gregorium Papam ſuſpenſus, contra ipſum coniurat vnà cum Guiberto Rauennate Archiepiſcopo, & aliquot alijs Epiſcopis.*

LVII. *Thedaldus Pſeudoarchiepiſcopus, vnà cum Henrico Rege ipſiuſquè fautoribus, contra Gregorium Papam coniuratis, ab eodem Papa in Synodo Romana excommunicatur.*

LVIII. Her-

*LVIII.* *Herlembaldus à ſuis & Apoſtolicæ Sedis aduerſarijs, Henrico Regi pertinaciter fauentibus, & propterea ſimul cum ipſo excommunicatis, interficitur, ſpoliatur, fuſtibus ac lapidibus tunditur, & ſine funeris comitatu ſepelitur; Lipranaus verò Presbyter auribus & naſo mutilatur.* A

*LIX.* *Quàm pretioſas in conſpectu Domini Gregorius Papa iudicauerit Herlembaldi mortem, ac Liprandi Presbyteri mutilationem.*

*LX.* *Quàm inconſultè Arnulphus Hiſtoriographus aliquando reprehenderit officium, Herlembaldo, homini Laico, a Pontifice Romano demandatum in præſenti Mediolanenſis Eccleſiæ perturbatione.* B

*LXI.* *Gregorius Papa Vuifredum, Herlembaldi Commilitonem, hortatur, vt in ſuſcepta cauſa Mediolanenſis defenſione perſeueret, vtquè cæteros Sodales ſuos ad hoc ipſum cohortetur.*

*LXII.* *Gregorius Papa Vuifredum rurſus, ſed & alios præterea duos Herlembaldi Commilitones, Henricum & Ardericum, in Domino excitat, ac benè ſperare iubet de Mediolanenſis exitu cauſæ, quam ipſi contra Henricum Regem ac Thedaldum Pſeudoarchiepiſcopum eorumquè fautores tutabantur.*

*LXIII.* *Mediolanenſes illi, qui Henrico Regi ac Thedaldo Pſeudoarchiepiſcopo fauerant, quiquè propterea excommunicationis vinculo aſtricti tenebantur, nunc, errores deteſtati ſuos, abſolutionem a Gregorio Pontifice ſupplices precantur & obtinent, Thedaldo ipſo in contrarium fruſtra tumultuante.* C

*LXIV.* *Gregorius Pontifex in Concilio Romano rurſus damnat Thedaldum Pſeudoarchiepiſcopum Mediolanenſem, ac Guibertum Rauennatem, necnon etiam Eccleſiarum prohibet inueſtituras, quæ per Laicos fiant.*

*LXV.* *Thedaldus, Mediolani Pſeudoarchiepiſcopus, in Concilio rurſum Romano excommunicatur.* D

*LXVI.* *Anno Domini 1080. in Concilio Romano confirmatur decretum, antehac conditum, de Laicis Eccleſiarum inueſtituris, ac de Thedaldi Pſeudoarchiepiſcopi Mediolanenſis excommunicatione pariter ac depoſitione: ſimul etiam ipſemet Rex Henricus excommunicatur, ac Regno priuatur, eique Rodulphus ſubſtituitur.*

*LXVII.* *Henricus Rex auſu temerario, vnà cum triginta Epiſcopis, ſecum*

*cum ſchiſmaticis, in Germanica Vrbe Brixina congregatis, Romanum Pontificatum Gregorio abrogat, eumquè transfert in Guibertum Rauennatem Pſeudoarchiepiſcopum.* A

LXVIII. *Henricus Rex, cum ſuo Antipapa reliquiſquè fautoribus ſuis, in aliĳs denuò Conciliĳs anathematizatur.*

LXIX. *Gregorius Papa Septimus moritur, ſanctitate ac miraculis clarus.*

LXX. *Thedaldus, Pſeudoarchiepiſcopus Mediolanenſis, moritur, in ſchiſmate pertinax: eiquè ab Henrico Rege ſubintruditur Anſelmus; qui tamen denique factus legitimus, de Sede Apoſtolica eiuſquè Fidelibus optimè meruit.*

LXXI. *Sanctus Anſelmus, Epiſcopus Lucenſis, & Alexandri Papæ Secundi nepos, Ciuiſquè noſter Mediolanenſis, Gregorĳ Papæ Septimi atque adeò Herlembaldi quoque noſtri cauſam, contra Henricum Regem ipſiuſquè fautores agitatam, miraculis etiam poſt mortem feliciſſimè tutatur.* B

LXXII. *Victor Papa Tertius, Gregorio Septimo ſubſtitutus, in Synodo Beneuentana Guibertum Antipapam & alios nonnullos anathematizat, Laicaſquè damnat Eccleſiarum inueſtituras.*

LXXIII. *Victori Papæ Tertio ſuccedit Vrbanus Secundus: idemquè ad Anſelmum, ex illegitimo iam legitimum Archiepiſcopum noſtrum, reſcribit de Reconciliatione lapſorum.* C

LXXIV. *Vrbanus Papa Secundus anathema renouat in Guibertum Antipapam, & Henricum Regem, ipſorumque fautores.*

LXXV. *Idem Vrbanus Papa incontinentiam Clericorum, & Laicas Eccleſiarum inueſtituras damnat in Synodo Melphia.*

LXXVI. *Idem Vrbanus Papa renouat anathema contra Guibertum Antipapam, & eius complices.*

LXXVII. *Archiepiſcopo noſtro Anſelmo ſubſtituitur Arnulphus; qui tamen ab initio legitimè non conſecratur.*

LXXVIII. *Idem Vrbanus Papa in Synodo Placentina incontinentiam & Simoniam Clericorum damnat, & in Guibertum Antipapam* D *eiuſquè complices renouatum rurſus anathema promulgat.*

LXXIX. *Idem Vrbanus Papa Mediolanum venit, atque inter alia nonnulla Herlembaldum Catalogo Sanctorum Martyrum adſcribit, eumq; priori è tumulo in alterum transfert honeſtiorem.*

LXXX. *Idem Vrbanus Papa in Claromontano apud Aruernos Concilio confirmat ſuperioris Synodi Placentinæ decreta, rurſuſquè Laicas vetat Eccleſiarum inueſtituras, & Clericorum incontinentiam.*

LXXXI. Idem

*LXXXI. Idem Pontifex Vrbanus Anno Domini* 1096. *in Concilio Turonenſi confirmat ſuorum Statuta Conciliorum. Dehinc Mediolanum reuerſus, è Concione præſtantiam Clericalis Ordinis commendat, & Simoniam redarguit.* A

*LXXXII. Mortuo Arnulpho, Archiepiſcopo noſtro, ſubſtituitur Anſelmus, huius nominis Quartus.*

*LXXXIII. Anſelmus Archiepiſcopus è Sancti Celſi ad Sancti Dionyſij Eccleſiam, in qua ſepultus iam honorificè quieſcebat Herlembaldus, ſolemniter transfert Arialdi Collegæ Corpus.*

*LXXXIV. Idem Vrbanus Papa Guibertum Antipapam eiuſquè complices in Concilio Romano rursùs anathematizat.* B

*LXXXV. Vrbanus Papa Secundus in Domino moritur, eiquè Paſchalis ſubſtituitur Secundus.*

*LXXXVI. Anſelmo Archiepiſcopo Mediolanenſi, ad expeditionem Ieroſolymitanam profecto, & Conſtantinopolitana in Vrbe mortuo, ſubſtituitur à nonnullis Groſulanus, eius Vicarius, & Epiſcopus Saonenſis; qui tamen ab alijs, & nominatim à Presbytero Liprando, Herlembaldi olim Commilitone, tamquam Simoniacus repudiatur.*

*LXXXVII. Guibertus Antipapa infeliciter moritur, eiuſquè poſtea exuuiæ in flumen proijciuntur.* C

*LXXXVIII. Liprandus Presbyter Anno Domini* 1102. *innoxio per ignem tranſitu publicè in totius Vrbis noſtræ conſpectu probat, Groſulanum Simoniacè factum eſſe Archiepiſcopum.*

*LXXXIX. Henricus Pſeudoimperator morte diuinitùs mulctatur repentina. Cumquè ſepultura priuatus eſſet Eccleſiaſtica; eidem poſtea traditur eo prætextu, quòd ante mortem reſipuiſſet.*

*LXXXX. Paſchalis Papa Secundus, poſteaquàm non acquieuiſſet aliquandiu probationi per innoxium ignis tranſitum à Liprando factæ; acquieſcit tandem poſtea, & in Concilio etiam Romano; atque, repudiato Groſulano, & ad ſuum Epiſcopatum Saonenſem amandato, Archiepiſcopatum Mediolanenſem Iordano, iam ante à Mediolanenſibus electo, confirmat.* D

*LXXXXI. Liprandus Presbyter Anno Domini* 1113. *ſanctè moritur, & miraculis clarus.*

*LXXXXII. Vtrùm Sanctus Ambroſius Clero ſuo Mediolanenſi permiſerit, vt virgini nubere ſemel poſſet.*

*LXXXXIII. De San-Dionyſiana Mediolani Eccleſia &c.*

*CAPVT*

## *CAPVT I.* A

### *De nobiliſſima Cottarum Mediolanenſium familia, è qua Sanctus Herlembaldus.*

I. NObiliſsimæ huius familiæ digniſſimum germen
viget etiã in præſenti (& vtinã in poſterũ diutiſ-
ſimè vigeat) Lucius ille Hadrianus Cotta, quem
de me optimè meritum ingenuè profitebar An-
no Domini 1644. cùm ex ipſius Bibliotheca pu-
blicam in lucem typis ederem Hiſtorica Triſta-
ni Chalci Reſidua: & rursùs Anno poſtero inter mea Ambroſianæ B
Mediolani Baſilicæ ac Monaſterij Monumenta, Numero 275.

II. Pro familiæ verò eiuſdem nobilitate quamplurima & generatim &
ſingillatim ætate noſtra collegit in ſua Vetuſtarum ac Nobilium
Mediolani Familiarum Hiſtoria nobiliſſimus item Iuriſconſul-
tus hac in Vrbe Collegiatus, Raphael Fagnanus: quæ ſeparatim
exſcripta inde, proprioquè comprehenſa Volumine, ab eodem
Lucio Hadriano tamquàm hæreditariæ opes conſeruantur. Et
ea quidem ſic incipiunt: *Cottarum familiam, quam cum Diuo
Ambroſio Mediolanum* (ex Vrbe ſcilicet Roma) *migraſſe fama eſt,
nobiliſſimam eſſe, nemo ambigit.* Multa verò iam ante ſtylo cele- C
brauerat Oratorio Hieronymus ille Montius, & eiuſdem nobi-
liſſimi Collegij Iuriſconſultus, ac poſtea Regius Senator, cuius
ego teſtimonium producebam Primo huius Operis Libro, Capi-
te 15. ex ea nempe Oratione, quàm ille pro Pomponio Cotta
publicè dixit. Sed his ego recenſendis, vel etiam ſolummodò
indicandis, non immorabor.

III. Solius ergo Diamantis Marinoni, & ex eodem ſanè Collegio Iuriſ-
conſulti, teſtimonio in præſens contentus ero: quale ſcilicet in
manuſcripto, & in Ambroſiana Bibliotheca aſſeruato, eius Libro
*De Origine Vrbis Mediolani, & Nobilium eius Familiarum* conti- D
netur titulo *De Cottis*, & his breuiter verbis conceptum: *Cottæ,
antiquitùs ab iracundia & toruitate oris dicti; Romæ tamen celeber-
rimi fuerunt, & à Cicerone tum maximè in primo & ſecundo De
Oratore celebrati. Arbitror ego tamen, apud nos ab Etruſco ſiue
Aramæo vocabulo tractum nomen, quo Cot ſignificat veſtem. Cui
adſtipulatur, quòd lineam quamdam tunicam, vel induſium, quod
vulgò Cotta appellatur, in heraldo geſtant. Dici etiam poſſet nomen*

*eorum*

*eorum tractum à Coto Inſula, in qua portus erat Carthaginenſis: de* A
*qua mentionem facit Iouius Libro ſuo Hiſtoriarum* 34. *folio mihi* 583. Talia Marinonus.

IV. Certè autem tali ex eo indumento (quod alioqui Latinè ſuperpelliceum vocatur) appellationi pariter ac nobilitati conſentit etiam illud, quod ego in prædictis Ambroſianæ Baſilicæ ac Monaſterij Monumentis Num. 102. recitabam è veteri formula, qua recenter electo Imperatori Regia Italiæ Corona ſoleret in eadem Baſilica conferri. Inter cæteras enim Coronationis eius cæremonias hæc item adhibebatur: TVNC (*ſiue poſtquàm Regia ille Corona redimitus iam eſſet ad primarium eius Baſilicæ Altare*) DVO B
DE COTTIS PORTÆ NOVÆ, INDVTI COTTIS ALBIS, DEBENT IMPERATOREM PONERE SVPER CATHEDRAM MARMOREAM, QVÆ EST POST ALTARE SANCTI AMBROSII: ET COMES ANGLERIÆ DEBET OSCVLARI PEDEM DEXTRVM IMPERATORIS, ET ILLI DE COTTIS PEDEM SINISTRVM.

V. In eiſdem porrò meis Monumentis, Num. 515. Annoque Chriſti 1171. inter Mediolanenſes eius Anni Conſules è veteri ad Portam Romanam Tabula Malconuentum quoque Cottam nominabam. Sic etiam Capite 84. Diſſertationis meæ Nazarianæ Ardericum Cottam Sanctis accenſebam Mediolanenſis huius Eccleſiæ Archiepiſcopis. Quæ verò paſſim iam vidimus, vel etiam deinceps videbimus, non tantùm de Sancto Herlembaldo, ſed etiam de Landulpho eius fratre: luculenter hæc ipſa etiam familiæ teſtantur huius Cottæ nobilitatem, meque ſimul proſequendi Capitis huius ſolicitudine liberant. C

## *CAPVT II.*

*Quàm deprauati multis in Eccleſijs eſſent Clericorum mores Sæculo Chriſti Vndecimo: & quemadmodùm eos reformare ſtuduerint Clemens Secundus, Sanctus Leo Nonus, & Victor Secundus, Romani Pontifices.* D

I. VNdecimo illo Chriſti Sæculo Clerum in varijs Eccleſijs duo præſertim vitia fœdebant, Simonia videlicet atque incontinentia: illa iam inde in Simone Mago à Sancto Petro Apoſtolorum Principe deteſtata, ſicut in Actis Apoſtolicis Sanctus Lucas Capite 8. enarrauit: hæc iam in-

de ab Apoſtolicis temporibus per Sacros damnata Canones; vt A
communiter Theologi docent, & è recentioribus nominatim Robertus Cardinalis Bellarminus Libro Primo *De Clericis* à Capite 18. vſque ad 22. & Gregorius de Valentia Libro *De Cælibatu.*

II. Quemadmodùm verò talium lues vitiorum eo tempore in Clero graſſaretur, vel è remedijs colligi poteſt, quæ Romani Pontifices ei tunc adhibuerunt: quæquè tam diligenter in ſuis Annalibus recenſuit Baronius, vt alios hac in re Teſtes conquiri à nobis in præſenti non oporteat.

III. Anno Chriſti Milleſimo quadrageſimo-ſeptimo ſic ille inquit Art. 1. *Clemens Papa (* huius nominis Secundus*) recens creatus, ad reformandum Eccleſiæ ſtatum, Romæ Concilium habuit: in quo illud potiſſimùm conatus eſt cum Epiſcopis, annitente Imperatore (* Henrico B
Secundo*) vt Simoniacos vepres, qui adeò excreuiſſent vt patrisfamilias ſuffocarent ſementem, non modò ſuccideret, ſed penitùs eradicaret. De eiuſmodi ſtatu Eccleſiæ habet iſta Petrus Damiani in Epiſtola ad Henricum, Archiepiſcopum Rauennatem: Quis enim (inquit) neſciat, vſque ad huius Henrici Clementiſſimi Regis Imperium, Præſulatumquè reuerendæ memoriæ Clementis Papæ, iſtiuſquè Beati Leonis, quo nunc videlicet Præſule Sancta ſe gubernari gratulatur Eccleſia, per Occidentalia Regna virus Simoniacæ hæreſeos* C
*ebulliſſe ita, vt, quod fiebat paſſim, licenter admiſſum, vltimæ animaduerſioni nequaquàm duceretur obnoxium; & quod erat ferè omnibus conſentaneum, pro regula teneretur, tamquàm legali ſanctione decretum?* &c. Sed & mox Articulo 6. Baronius addit: *Liquet inſuper Glabri teſtificatione, eumdem Henricum, poſteaquàm Imperator creatus eſt, ab Vrbe reuerſum, collegiſſe Concilium Epiſcoporum, ad extirpandum quod reliquum erat Simoniacæ prauitatis: in eoquè ad Epiſcopos peroraſſe, grauiquè inuectiua eoſdem exagitaſſe eiuſdem criminis reos. Sed audiamus ipſum, iſta ita narrantem.* E Glabri ergo Rodulphi Gallicana Hiſtoria idipſum probat: indequè D
pariter oſtendit, Simoniacam labem tunc temporis graſſantem fuiſſe per vniuerſam Galliam atque Germaniam. Dehinc verò concludit etiam: *Hæc Imperator, præſente (vt puto) Clemente Pontifice, quem ſecum ex Italia in Germaniam duxerat.*

IV. Clementi Secundo, ex hac vita ſublato, ſucceſſit Leo Nonus: & quoniam hic Anno Milleſimo quadrageſimo-nono Synodum in Vrbe Roma poſt Paſcha celebrauit vnà cum Epiſcopis Italiæ; propterea

propterea Baronius ad eumdem Annum Art. 8. de Synodo illa A
hæc habet: *Quod primum ad Romanam Synodum pertinet, planè Leoni accidit quod homini agricolæ accidere ſolet: qui cùm incultum agrum, ſpinis repletum vndique, ſuſcipit excolendum, ipſo intuitu terreatur immenſitate laboris. Querelæ ibi ſunt propoſitæ de Clericis Simoniacis, adeoquè frequentes, vt eos tæderet audire, & deſperarent omnes omnibus poſſe mederi languentibus. Nam audi, quæ de eiuſmodi puniendo crimine, eodemquè penitus abolendo, ſint tunc acta in Romana Synodo ſub Leone: quæ Petrus Damiani recitat in Epiſtola ad Henricum, Rauennatem Archiepiſcopum. Verumtamen (inquit) & hoc otioſum eſſe non credimus; ſi, quod ſuper hoc negotio* B
*idem Venerabilis Leo Papa ſtatuerat, exponamus. Nam cùm omnes Simoniacorum Ordinationes Synodalis vigoris auctoritate caſſaſſet; protinùs à Romanorum Sacerdotum multitudine magnæ ſeditionis tumultus exortus eſt; itaut non ſolùm ab ipſis ſed à pleriſque diceretur Epiſcopis, omnes penè Baſilicas Sacerdotalibus officijs deſtitutas, & præcipuè Miſſarum Solemnia, ad ſubuerſionem Chriſtianitatis, & deſperationem omnium circumquaque Fidelium, funditùs omittenda* &c. Talia Baronius eo Anno de Clericorum Simonia. De incontinentia verò hæc ille poſtmodùm Art. 10. *Verumtamen præter ipſos etiam & frutices illi infeliciſſimi, vepres infauſti, ſpinæ &* C
*vrticæ agrum patrisfamilias in immenſum oppleuerant, qui ex putore carnis, corruptionis fimo turpiter excreuerunt. Omnis quippe caro corruperat viam ſuam: vt non tantùm ad eas abluendas ſordes videretur ſatis eſse diluuium, ſed nefanda ſcelera ignem è cælo Gomorræorum, quo eſt exuſta Pentapolis, poſtularent: Quorum gratia idem Petrus Damiani, tunc Eremita Montis Auellani, in Vmbria conſtituti, de his omnibus nouum Pontificem Leonem monendum putauit: ſcribens ad eùm Librum, quem Gomorræus inſcripſit: eoquè quadripartita vitia carnis, quibus obrueretur Eccleſia, vt decuit, quàm potuit honeſtè inſinuauit: rogans, vt Petri gladio, acutiore quàm Phi-* D
*nes, conficiens turpiſsimos homines illos, Eccleſiam Dei, non habentem maculam neque rugam, ſeruaret incontaminatam. Quibus auditis, Sanctiſsimus Pontifex cùm Viri laudauit zelum, cùm etiam pro criminum qualitate & quantitate vltor offenſi Numinis pœnas dignas appoſuit, quas habet eiuſdem Pontificis Epiſtola, ad eumdem Petrum reddita* &c. Et rursùs Art. 17. facta mentione Magnæ Synodi Rhemenſis, eamdem poſtea deſcribit in Appendice

pag. 1054. indequè ſimul nos edocet, in eadem Synodo actum A
eſſe de multis illicitis, quæ contra Canonum inſtituta in Gallicis
finibus exercebantur, quorum primum eſſet Simoniaca hæreſis.
Sic etiam eodem Art. 17. ex Adamo, Germanicarum Rerum
Hiſtorico, recitans Acta Synodi Moguntiæ, ab ipſomet Leone
Papa celebratæ, hæc item habet: *Præterea multa ibidem ſancita
ſunt ad vtilitatem Eccleſiæ: præ quibus Simoniaca hæreſis, & nefanda Sacerdotum coniugia, holographa Synodi manu perpetuò damnata ſunt.*

V. Anno item Domini Milleſimo quinquageſimo-primo, poſt factam mentionem Synodi Romanæ, per eumdem Leonem Papam poſt B Paſcha celebratæ, inter eius Acta, hoc addit: *Inſuper Leonem Papam ſanxiſſe Decretum, quod Conſtitutum vocabant, de Continentia Clericorum, teſtatur Petrus Damiani in Epiſtola ad Cunibertum, Epiſcopum Taurinenſem: vbi & de fœminis, Clericis malo vſu inſeruientibus, hæc ſtatuiſſe eumdem Leonem Pontificem tradit: In plenaria planè Synodo ſanctæ memoriæ Leo Papa conſtituit, vt quæcumque damnabiles fœminæ intra Romana mœnia reperirentur Presbyteris proſtitutæ, extunc & deinceps Lateranenſi Palatio adiudicarentur ancillæ. Quod videlicet ſalutare Statutum, æquitatis iuſtitiæquè pleniſſimum, nos etiam per omnes Eccleſias propagandum C eſſe decernimus* &c.

VI. In Annum verò Milleſimum quinquageſimum-ſecundum nobis quidem illud etiam ſufficiat, quod ad eumdem Baronius Annum teſtatur Art. 9. his ad extremum verbis: *Quod autem ad ipſum Leonem Pontificem pertinet; non ceſſauit, ſed totus fuit, vt Simoniæ ſcelus ab Eccleſia penitus eradicaretur; vt de ipſo teſtatur Gregorius Septimus.*

VII. Sed quid item Victor Secundus, in locum Leonis Noni ſubrogatus? De ipſo quidem Baronius ad Annum Milleſimum quinquageſimum-quintum, Art. 1. tale profert è Lanfranco (qui tunc D temporis florebat, quiquè poſtea Cantuarienſis fuit Archiepiſcopus) teſtimonium: *Quæ ſententia* (qua damnata fuerat Berengarij hæreſis) *Leonis Papæ non effugit ſucceſſorem quoque ſuum, felicis memoriæ Papam Victorem. Sed quidquid de hac re, ſeu de cæteris* (atque adeò de Clericorum etiam Simonia & incontinentia) *ipſe ſtatuit, ſtatuiuè præcepit, hoc etiam iſte ſua atque omnium Conciliorum ſuorum auctoritate firmauit.* Eodem verò illud etiam

pertinet,

pertinet, quod idem Baronius deinde Art. 16. recitat è Romano- A
rum Pontificum Geſtis, à Nicolao Aragonio Cardinali collectis; & huiuſmodi eſt: *Eodem tempore, cùm Simoniaca hæreſis totam Italiam & Burgundiam occupaſſet; idem Pontifex (* Victor Secundus*) miſit à latere ſuo eumdem Archidiaconum (* ſed verè tunc Subdiaconum *) Hildebrandum, ad Vltramontanas partes cum quibuſdam Epiſcopis. Cùm autem ad Lugdunenſem Prouinciam perueniſſet; in ea Synodum celebrauit: in qua per ipſum Archidiaconum (* tunc Subdiaconum *) Deus maximum dignatus eſt operari miraculum* &c.

VIII. Denique verò placet etiam huc ſuperaddere, quod idem Baro- B
nius ad Annum Milleſimum quinquageſimum-ſextum, Art. 12. recitat è manuſcripto Monaſterij Moiſſacenſis Codice, his verbis: *Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quinquageſimo-ſexto, Idibus Septembris, habita eſt Sancta Synodus decem & octo Epiſcoporum apud Vrbem Toloſam iuſſu Domini Papæ Victoris (* itidem Secundi*) qui ob funditùs extirpandam Simoniacam hæreſim, ac reparandum Sanctæ Eccleſiæ ſtatum ſecundùm priſcorum ſcita Canonum Vicarios vice ſua direxit* &c.

IX. Per hæc igitur ſatis in præſenti ſit à nobis indicatum, quemadmodùm in multis alijs Eccleſijs, à Mediolanenſi diuerſis, Clerici eſ- C
ſent Simonia præſertim & incontinentia deprauati, ab Anno Chriſti ſupra Milleſimum quadrageſimo-ſeptimo vſque ad quinquageſimum-ſextum: quo primùm Anno Sanctus Arialdus eiuſque Collegæ ſeſe talibus in Clero Mediolanenſi vitijs opponere cœperunt.

## *CAPVT III.*

*Qualis eodem Sæculo Chriſti Vndecimo eſſet Cleri Mediolanenſis ſtatus quoad incontinentiam præſertim & Simoniam.* D

I. QVemadmodùm Clero Mediolanenſi Matrimonia eo tempore permitterentur, Landulphum illum audiamus Seniorem, quem ſupra ego indicabam Libro 1. Cap. 2. Num. 3. quique pariter tunc temporis viuebat, necnon etiam eiſdem Cleri Matrimonijs contumaciter patrocinabatur. Antequàm enim ſuarum Hiſtoriarum Libro 3. diſcordiam,

propter

propter illa præſertim Matrimonia inter Clericos excitatam, de- A
ſcriberet, in poſtremo Libri 2. Capite præmittendum cenſuit, quemadmodùm Matrimonia tunc ipſa Clero indulgerentur, & his quidem præmiſit verbis: *Intentus maximè (* Archiepiſcopus tunc noſter*) circa ipſos, quos ad Sacros Ordines recipiebat, tam de Vrbanis, quàm de Plebibus, adiuncto tantùm Primicerio, ſtudiosè ſciſcitantes ſingulos, ſi in cantu lectione ac alijs bonis moribus ornati fuiſſent: necnon ſi eſſent ſine crimine, ſi vnius vxoris viri, aut virgines, aut ſi in virginitate permanere poſſent; aut cum vxore degere valerent. Si autem in virginitate aliquis, vxorem non habens, permanere non poſſe fateretur; humanam ac fragilem naturam ſciens* B
*reſtringi non poſſe, niſi Dei miſericordia adiutus; continuo in teſtimonio bonorum virorum, ſecundùm legem humanam, licentia à Pontifice accepta, vxor, virgo tamen, illi deſponſabatur. Vnde Apoſtolus: Qui ſe non continet, nubat: Et vnuſquiſque, except*o *cauſa fornicationis, ſuam vxorem habeat. Qua accepta, non minus venerabatur & amabatur, quàm ſi ſine vxore idem degeret. Quoniam qui ſine vxore vitam in Sacerdotio videbantur agere, viris vxoratis ordinis vtriuſque, ne ab illis inhoneſtè circumuenirentur, ſemper ſuſcepti erant. Vſus enim Eccleſia totius, tam Latinæ, quàm Græcæ, per tempora permulta ſic ſe habebat: Sacerdos, qui vnius* C
*vxoris vir inueniebatur, ac ſua domui ac familia bene præfuiſſe à Fidelibus compertus fuiſſet, ad Epiſcopatum ſumma cum deuotione; multis Fidelibus laudantibus; promouebatur. Quicumque enim ex Clero concubinus inueniebatur; cuiuſcumque Ordinis foret, vltra non promouebatur. Iudicantes, grauiſſimum peccatum eſſe, de quo dicit Apoſtolus: Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur* &c.

II. Sed aliquanta nihilominùs etiam cæteroqui tunc vigebat in eodem Clero diſciplina. Itaque paulò pòſt idem Landulphus hæc etiam ſubtexebat: *Nullus ſine capucio birri* (quale foret hoc indumenti ge- D
nus, à me iam explicatum fuit in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, Num. 271.) *capite velato intrare Chorum audebat. Nullus horum inhoneſte gradiens intrare audebat. Nullus balbutiens lingua de aliquo officio ſeſe intromittebat. Nullus Clericus diuerſis indumentis veſtiebatur. Nullus laycalem habitum aut in birro, aut in veſtibus, aut in calciamentis, ſumere audebat. Quid multa? Omnes ita viuebant in proprijs domibus, quaſi in alienis: circa Diuina Officia ſoliciti, circa vſus Eccleſiæ & ſuorum accuratiſſimi. In tantum enim in Clericali habitu longa ſaculi*

*vetuſtate*

*vetuſtate ac vſitatione multis tranſactis temporibus vultu habitu inceſſu erant nutriti, vt, ſi aliquem Chori Ambroſiani totius in Burgundia, aut in Teutonica, aut in Francia, litterarum ſtudijs deditum inuenires, etſi non vltra vidiſſes de huius Eccleſiæ vſibus aliquantulùm notis, ſine mora huius eſſe Eccleſiæ affirmares.* Et aliquantò pòſt: *Cætera verò* (inquit) *Clericalia ornamenta, necnon & calceamenta, ab omnibus laycorum ornatibus euidentiſsimis argumentis erant diuerſa: & auream mediocritatem retinentes, vicinis chari, ac Ciuibus vniuerſis dilectiſsimi, in cunctis proſperabantur negotijs, & in omnibus obediebantur diſciplinis. Etenim Dei amore, ac antiquorum parentum remedijs, in Vrbe iſta non erat qui omni anno ſecundùm poſſe ſuum non reciperet ſua in domo ſumma cum deuotione ad reficiendum duos Sacerdotes, aut quatuor, aut duodecim, aut plures: attendentes illud Euangelicum: Qui vos recipit, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me miſit: &, vt Prophetæ mercedem acciperent, magna cum humilitate & charitate ipſos recipiebant.* Talia ille de Clero Mediolanenſi. A B

III. Accipe verò, quemadmodùm etiam mox ibidem loquatur tam de Clero, ſicut ego interpretor, quàm de Populo. *Tanta* (inquit) *circa virorum ac mulierum præcordia erat conſtantia, vt nemo, niſi ſuam vxorem, aliam cognoſceret. Et priùs (quod incredibile videtur) triginta annorum viri ac mulieres erant, quàm ſeſe negotijs coniugalibus traderent. Vnde homines ac fœminæ integri, fortes, & perfecti* &c. Hactenùs è Landulpho illo Seniore, & è poſtremo illo Libri Secundi Capite, quod eſt inſcriptum *De ordinibus Mediolanenſis Eccleſiæ in ſtudijs diuinis & humanis, in nutriendis Clericis, paruulis orphanis alendis, ac Sacerdotibus imbuendis.* C

IV. De Simoniaca verò labe, qua pariter infectus eo Sæculo Clerus eſſet Mediolanenſis, tam luculenter iam conſtat ex dictis, & identidem conſtabit è dicendis, vt planè ſuperuacaneum ſit peculiari aliquo teſtimonio in præſenti Capite commonſtrare. D

V. Ad ſuperiora potiùs tempora ego igitur nunc diuertam: teſtemquè in ea dabo Sanctum Paſchalem Papam, huius nominis Primum: qui Romanam & Catholicam Eccleſiam rexit ab Anno Chriſti Domini ſupra Octingenteſimum decimo-ſeptimo vſque ad vigeſimum-quartum. Luitprandus nimirum, Subdiaconus Toletanus, Diaconus Ticinenſis, ac tandem Cremonenſium Epiſcopus, in Libro De Pontificum Romanorum Vitis, Numero ſi-

ue

ue Capite 100. in eodem illo Paſchali Papa Primo, inter cætera A
ſic habet: *Hic Mediolanenſi Eccleſiæ de Simoniaca hæreſi ſcripſit Epiſtolam, quæ ita incipit: Fraternæ mortis crimen incurrit, ſi quis, cùm poteſt, fratrem à morte minimè defendit. Nos verò, qui excellentiæ veſtræ ſummum diſcrimen audiuimus, ſummi reatus pœnam incurrimus, ſi tacemus; Domino per Prophetam intentante, Quia profectò ſanguinem fundit, qui impiorum iniquitatem tacendo diſſimulat. Audiuimus enim (quod valde miramur) quòd Sacri Ordines apud vos pecunijs diſtrahuntur; cùm, quicumque tale aliquid tentauerint, omninò hæretici comprobentur; Spiritu Sancto per Gregorium ſic intonante, Quia quiſquis per pecuniam ordinatur, ad hoc* B
*vt fiat hæreticus promouetur; & quiſquis contra Simoniacam hæreſim Neophytorum pro officij ſui loco non exarſerit, cum eo non dubitet ſe habere portionem, qui primus commiſit hoc piaculare flagitium. Et quòd æterna morte hoc flagitium ſit dignum, & Auguſtinus & Fulgentius oſtendunt, ita dicentes: Firmiſsimè tene, & nullatenùs dubita, omnem hæreticum & ſchiſmaticum, quamuis multas eleemoſinas faciat, vel etiam ſanguinem ſuum fundat, cum Diabolo & Angelis eius æterni ignis incendijs mancipandum, niſi ante finem huius vitæ Catholicæ incorporatus & redintegratus fuerit Eccleſiæ. Et turpe nimis eſt, vt pleniſsimo iam vigore confirmata Eccleſia tam fe-* C
*rali inimico ſuccumbat, de quo in primordio infantiæ tanta virtute triumphauit. Si quis autem obiecerit, non conſecrationes, ſed res ipſas quæ ex conſecratione proueniunt, vendi; videtur quidem aliquid dicere, nihil autem penitus ſapere. Nam cùm corporalis Eccleſia aut Epiſcopus, aut Abbas, aut aliquis alius, ſine rebus corporalibus & exterioribus in nullo proficiat, ſicut nec anima ſine corpore temporaliter viuit; quiſquis eorum alterum vendit, ſine quo alterum haberi non prouenit, neutrum venditum dereliquit. Quam tamen obiectionem Sacer penitùs Canon exterminat, cùm procuratorem vel defenſorem Eccleſiæ, vel regulæ ſubiectum, adeò per pecunias ordi-* D
*nari prohibeat, vt interuentores quoque tanti ſceleris anathematis mucrone ſuccidat.* Hæc ibi Luitprandus ex ea Epiſtola; cum rurſùs hæc protinùs adijcit: *Item in eadem paulò inferiùs: Quòd tales Epiſcopos, vel Abbates, vel reliquos Clericos non deuitamus, ſi eorum Miſſas audimus, vel cum eis oramus; excommunicationem cum eis ſubimus; quos quidem Sacerdotes eſſe ſaltem credere, omninò errare eſt.* Talia Paſchalis ille Pontifex in ea Epiſtola, cuius

ego

ego partem, vel etiam mentionem, non alibi adhuc, quàm in A
prædicto Luitprandi Libro, inueni. Vtinam verò talia etiam ille ſcripſerit cum eo profectu, quem optabat, & quo viciſſim Eccleſia Mediolanenſis ei reſpondere tenebatur. Verùm enim ea verè propterea tunc eam labem à ſe diſiecerit, an ſecùs; hoc à me penitùs adhuc ignoratur.

VI. Præſtat autem hoc etiam loco in vniuerſum ea ſuperaddere, quæ paulò pòſt idem Luitprandus attexuit Capite 104. in Sergio Papa Secundo, quem conſtat Eccleſiæ Romanæ præfuiſſe ab Anno Sæculi eiuſdem quadrageſimo-quarto vſque ad quadrageſimum-ſeptimum. Sic enim ille narratum nobis reliquit: *Vigebat etiam iſtius Pontificis & fratris eius* ( de quo proximè fuerat B
locutus) *tempore Simoniaca hæreſis, in tantum, vt etiam venderentur Epiſcopatus: & qui plus dabat, Epiſcopatum accipiebat. Nec erat aliquis Epiſcoporum, aut quiſquam Virorum Eccleſiaſticorum, qui, zelo Dei ductus, cum Imperatore aut Rege* ( à quibus præſertim hoc videlicet malum proueniebat) *ageret, vt hoc nefas prohiberetur. Et quia nemo erat Chriſtianorum, per quem hoc malum corrigeretur; miſit diuina potentia flagellum Paganorum, ad vlciſcenda peccata Chriſtianorum. Nam ſuperuenientes Sarraceni innumeros hominum interfecerunt; Caſtella & Vrbes multas captas accepta præda igni dederunt; demùm Regnum expugnantes fugauerunt;* C
*& multis captis & interfectis, maxima hominum & omnium rerum præda onuſti reuerſi ſunt.* Hactenùs è Luitprando ad præſentis Capitis extremum, & in præſentem ad ſuperiora tempora digreſſionem.

## CAPVT IV.

*Landulphus Cotta, Herlembaldi frater, Anno Chriſti 1056. vnà cum Sancto Arialdo ſeſe concionando opponit Mediolanenſis Cleri corruptelis.* D

I. AD Landulphum ego reuertor Seniorem, ipſiquè conteſtem aſſocio Arnulphum illum, quem in Præfatione ſuperioris Libri Tertij deſcribebam. Ambo igitur in præſenti cauſa ſuſpectæ ſunt fidei, nec in ijs admittendi rebus, in quibus à probatis Scriptoribus, & nominatim à Beato illo Andrea & à Landulpho illo de Sancto Paulo, diſſentiant.

II. *Incipit Liber Tertius* ( verba ſunt ipſius Landulphi Senioris ) *in quo* A
*de diſcordia Clericorum tractatur , quæ ex prædicationibus Arialdi*
*& Landulphi eſt exorta ad inſtantiam Anſelmi , qui poſteafuit Pa-*
*pa Alexander Secundus*. Qualem profectò ſuaſorem quidni nos
Arialdo & Landulpho meritiſſimè gratulemur ? Hic autem Lan-
dulphus ipſe Senior ea ſe ſcriptutum profitetur , quæ ſuiſmet
oculis ipſe vidit. Vtinam verò cacozelia correptus allucinatus
non fuiſſet.

III. Dehinc Capite 2. agit *De electione Guidonis Archiepiſcopi*. Tum
Capite 3. *De altercatione Ambroſianæ Eccleſiæ & Rauennatis in*
*Ciuitate Romana*. Quæ quidem altercatio illic excitata fuit, cùm B
Synodus Anno Chriſti Milleſimo quinquageſimo poſt Paſcha ce-
lebraretur. Quocirca nobis etiam peropportunè nunc accidit,
vt hinc quoque velut in tranſitu confirmare poſſimus ea , quæ
proximè in Sancti Archiepiſcopi noſtri Laurentij Littæ Vita Ca-
pite 24. contendebamus pro Mediolanenſis Eccleſiæ ſupra Ra-
uennatem prærogatiua , ſecundùm veritatem Anno Sæculi eiuſ-
dem vigeſimo-ſeptimo in Concilio itidem Romano comproba-
ta . Sic enim Landulphus ille narrabat : *Ea tempeſtate Guido*
( Mediolanenſis Archiepiſcopus , & Heriberti proximus ſucceſ-
ſor ) *Romæ apud Romanum Pontificem Leonem* ( nominis huius C
Nonum ) *ipſoquè Leone Conſcilium multis cum Epiſcopis regente,*
*qui antea Papiæ Synodum clementer celebrauerat* (Anno nempè ſu-
periore , in hebdomada Pentecoſtes) *accuſatus eſt. Qui cum, ma-*
*gnificè multis ſapientibus Clericis ac Militibus honoratus , accuſa-*
*tiones , quaſi plumbo , ipſo in Conſcilio multis ac diuerſis oppugnaſſet*
*rationibus , & cunctas Canonibus alijſquè argumentis inimicorum*
*callidas ſuperaſſet inſidias ; ecce ſubitò , ſuis altercantibus domeſticis*
*& Archiepiſcopi Rauennatis , aſſerentes* ( legendum tamen vide-
tur , *aſſerentibus* ) *quòd Rauennas Archiepiſcopus à dextero latere*
*Apoſtolici ſupra Mediolanenſem ſedere ſemper deberet , bellum gra-* D
*uiſſimum ortum eſt. Quo peracto, Deo annuente, Eccleſia Ambro-*
*ſiana per Guidonem ſedem ipſam viriliter deuicit , & religioſè hodie*
*& ſemper tenebit. Et Miles quidam , Anſelmus nomine, dum gra-*
*uiter in honore Dei & Beati Ambroſij bello in illo manuquè in dex-*
*tera vulneratus fuiſſet , itaut apertè amitteret ipſam ; altera die om-*
*ninò incolumis Beati Ambroſij meritis apparuit*. Hæc in eo Capite
3. Landulphus.

IV. Pro-

IV. Proſequitur inde Caput 4. in hanc ſententiam: *Qualiter Anſelmus de* A
*Badagio, ex Ordinario Eccleſiæ Mediolani factus Epiſcopus Luca-*
*nus, ſolicitat Landulphum & Arialdum, vt vxores à Sacerdotibus*
*ſeparandas prædicarent.* Ipſiſmet autem tribus infenſiſſimus eſt:
Arialdum verò aſſerit ortum in loco Cuzago, & Artis liberæ Ma-
giſtrum, atque tunc temporis morantem apud Oppidum Vari-
ſium. Denique verò, quod ad præſentis pertinet inſtituti noſtri
rationem, Capite 5. recenſet, *Qualiter Arialdus cœpit ſuum pro-*
*poſitum prædicationibus reſerare.* Quod vtique cœpit Anno Sæ-
culi eiuſdem quinquageſimo-ſexto; vt ſatis ſuperquè comper-
tum iam eſt. B

V. Ecce verò tibi nunc, Lector, quemadmodùm prædicationis huius
initia teſtis ille alter & aduerſarius non minùs infenſus deſcripſe-
rit. Etenim Libro 3. Cap. 7. ſuarum Hiſtoriarum hæc Arnul-
phus habet: *Hac eadem tempeſtate horror nimius Ambroſianum*
*inuadit Clerum, inſurgente Populo nouiter in eum, ingruentibus*
*vtrinque peccatis. Omnes enim peccarunt, & egent gloria Dei.*
*Verùm talis hic horror, mutata cum aſpiratione littera, multorum*
*concepit errorem. Cuius initium & ſeriem,* CVM RES NOS-
TRIS ADHVC VERSETVR IN OCVLIS, *prout poſſumus,* C
*enarremus. Finem ipſe prouideat, qui, cùm ſit Alpha & Omega,*
*mirabiliter omnia diſpenſat.*

VI. *Quidam igitur ex Decumanis Diaconus, nomine Arialdus, penès Gui-*
*donem Antiſtitem multis fotus delicijs, multiſquè cumulatus hono-*
*ribus, dum litterarum vacaret ſtudio, ſeueriſſimus eſt Diuinæ Legis*
*factus interpres, dura exercens in Clericos ſolos iudicia. Qui, cùm*
*modicæ foret auctoritatis, humiliter vtpotè natus* (parce Lector de-
tractori, hac etiam in parte virus ſuum effundenti; atque Beato
potiùs Andreæ Landulphoquè Iuniori Cap. 1. fidem præſta) *præ-*
*uidit applicare ſibi Landulphum, quaſi generoſiorem & ad hoc ido-* D
*neum, familiaris eius factus aſſecla.*

VII. *Landulphus verò, cùm eſſet expeditioris linguæ ac vocis, nimiſquè fa-*
*uoris amator, repentè dux verbi efficitur, vſurpato ſibi contra mo-*
*rem Eccleſiæ prædicationis officio. Hic, cùm nullis Eccleſiaſticis*
*gradibus alteratus, graue iugum Sanctorum imponebat ceruicibus;*
*cùm Chriſti iugum ſuaue, & eius leue ſit onus.*

VIII. *Igitur inter alia, quæ quotidie Plebis auribus inculcabat, die vna ta-*
*liter concionatur in Populo: Chariſſimi Seniores, conceptum in corde*

*ſermonem vltra retinere non valeo. Nolite Domini mei, nolite adoleſcentis & imperiti verba contemnere. Reuelat enim ſæpè Deus minori, quod denegat maiori. Dicite mihi: Creditis in Deum, trinum & vnum? Reſpondent omnes: Credimus. Et adiecit: Munite frontes Signo Crucis. Et factum eſt. Poſt hæc ait: Condelector veſtræ deuotioni; compatior tamen imminenti magnæ perditioni. Multis enim retrò temporibus non eſt agnitus hæc in Vrbe Saluator; diu eſt, quòd erratis, cùm nulla vobis ſint veſtigia veritatis; pro luce palpatis tenebras, cæci omnes effecti, quoniam cæci ſunt duces veſtri. Sed numquid poteſt cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foueam cadunt? Abundant enim ſtupra multimodò; hæreſis quoque illa Simoniaca in Sacerdotibus, Leuitis, ac reliquis Sacrorum Miniſtris; qui cùm Nicolaitæ ſint, & Simoniaci, meritò debent abijci. A quibus, ſi ſalutem à Saluatore ſperatis, deinceps omninò cauete, nulla eorum venerantes Officia, quorum Sacrificia idem eſt ac ſi caninæ eſſent ſtercora, eorumquè Baſilicæ iumentorum præſepia. Quamobrem, ipſis amodò reprobatis, bona eorum omnia publicentur; ſit facultas omnibus diripiendi vniuerſa in Vrbe, vel extra. Nam & ego plectenda plura commiſi; ſed, quod peius fuit, indignis vſque modò communicando Regem Cælorum offendi. Nunc autem, propitia Diuinitate, ago pœnitentiam, talia prouiſurus in poſterum. Igitur imitatores mei eſtote Chariſſimi: & ita ambuletis, ſicut habetis formam noſtram.*

IX. *His ita decurſis, & pluribus alijs, quæ humana non capit memoria; Populus, ſemper auidus nouorum, in nimium zelum excitatur aduersùs Clerum, alijs ſe deferre Deo putantibus, alijs auaritiæ lucris inhiantibus. Ad hoc Landulphus idem cum complice Arialdo per dies multos multorum incitat animos gratia fauoralis auræ, noua ſemper & inaudita concionando proponens, prout nouerat vulgi morem.* Talia more ſuo Arnulphus, in Landulphum & Arialdum acerbus.

X. Veriora profectò fideque digniora ſunt illa, quæ de Landulpho hoc Cotta iam vidimus Libro 2. Capite 5. & Libro 3. Cap. 3. & 6. & 7. Quocirca etiam inde corrigenda ſunt ea, quæ in contrarium commenti ſunt Landulphus Senior & Arnulphus, & ipſos improuidè ſecutus Triſtanus Chalcus Hiſtoriæ Patriæ Libro ſexto.

XI. Illud verò etiam obſeruatu dignum eſt, quod Carolus Sigonius Libro 9. *De Regno Italiæ*, ad Annum Chriſti 1058. Landulphum

Cottam

Cottam nominat Populi Præfectum, eumquè perperàm cum A
Herlembaldo eius fratre commiſcet.

## C A P V T V.

*Stephanus Papa Decimus Anno Chriſti 1057. Clericorum Coniugia deteſtatur.*

I. EOdem hoc Anno Victor Papa Secundus vigeſima-octaua Iulij die occubuerat, cùm Stephanus Decimus (alijs Nonus) ſecunda ſubſequentis Auguſti die in eius locum eligitur; vt benè à B Baronio eſt obſeruatum eo ipſo Anno, Art. 9.

II. *Quæ autem, vbi creatus eſt Pontifex, Stephanus egerit* (verba ſunt eiuſdem Baronij ad finem Articuli mox decimi, cùm Leonis Oſtienſis teſtimonio vti fruiquè illic perſeueraret) *ab eodem Auctore ſic accipito. Quatuor itaque menſibus Romæ remoratus, & crebris Synodis Clerum Vrbis Populumquè conueniens, maximequè Coniugijs Clericorum & Sacerdotum, conſanguineorumquè copulationibus tollendis inſiſtens; tandem in feſtiuitate Sancti Andreæ ad Monaſterium* (Caſſinenſe) *cum pleriſque Romanis reuerſus, vſque ad feſtiuitatem Sanctæ Scholaſticæ moratus hic eſt,* C *nempè vſque ad decimam Februarij.* Et paulò pòſt: *Tunc & Ambroſianum Cantum in iſta Eccleſia* (Caſſinenſi) *cani omninò interdixit.* Quod quidem hoc loco à nobis obiter in commendationem Cantus Ambroſiani ſit obſeruatum. Hinc enim ego eum, & vnà cum eo ipſummet Officium Ambroſianum, crediderim à prima illius Monaſterij conſtructione, atque adeò ex ipſiuſmet Sancti Patriarchæ Benedicti inſtituto, illic vſitatum antehac fuiſſe.

III. Idem porrò Baronius, ad Articulum ſubinde progreſſus decimumſextum, hæc addit: *Quod rursùm ad Concilia, ſub Stephano tam* D *breui ſpatio temporis celebrata, pertinet; in vno ipſorum aduersùs Clericos concubinarios ſancitum ab eo fuiſſe Decretum, ſatis ipſe Petrus* (nempè Damiani) *ſignificat, dum aduersùs eoſdem ad Taurinenſem Epiſcopum ſcribens, eiuſmodi lugubrem de vno ex ipſis hiſtoriam recitat, dicens: Alio quoque tempore, cùm Papa Stephanus, qui zeli Phinees æmulabatur ardorem, omnes Clericos Romæ, qui poſt interdictum Papæ Leonis incontinentes extiterant, de conuentu*

*Clericorum*

*Clericorum & Choro Eccleſiæ præcepiſſet exire; vt, quamquàm relictis fœminis per pœnitentiam ſe lamenta corrigerent; tamen, quia* A *Sancto Viro inobedientes fuerant, & de Sacrario ad tempus exirent, & celebrandæ Miſſæ licentiam de cætero non ſperarent. Iuxta Canonicam Beatæ Cæciliæ, trans Tyberim, conſtitutam, Presbyter habitabat, qui nec fœminam vllo modò quieſcebat abijcere, nec vnquàm poterat hæc Statuta niſi vana prorſus & friuola iudicare. Quadam itaque die, dum incolumis vegetus ac robuſtus exiſteret, veſpertinis horis ad quieſcendum ſe in lecto compoſuit; ſed, repentina diuinæ vltionis animaduerſione percuſſus, mane repertus eſt cadauer exanime* &c. B

## *CAPVT VI.*

*Landulphus & Arialdus, eo quòd ſe talibus Mediolanenſis Cleri corruptelis oppoſuiſſent, ab Archiepiſcopo Mediolanenſi anathematizantur in Concilio Prouinciali, ad Fontanetum congregato.*

I. PRouincialis huius Concilij mentionem nullam fecit Beatus Andreas in Sancti Arialdi Vita; ſed eam tamen profectò fecit Landulphus de Sancto Paulo, ſiue Iunior; vt iam vidimus ſuperiore Libro 3. Cap. 8. ſicut etiam ex ipſo fecit Carolus à Baſilica Petri, à me productus huius Operis Libro 1. Cap. 22. Num. 3. C

II. Sed profectò iuuabit etiam hoc loco Hiſtoricum audire Arnulphum illum, Arialdi eiuſquè Collegarum hoſtem acerrimum, quem Libri huius Capite 3. producebamus à Numero 5. vſque ad 9. Paulò poſt enim ea ipſius verba, illic denique à nobis recitata, hunc in modum Capite 8. proſequebatur: *Clerus igitur, multipliciter afflictus, legatione humili conqueſtus eſt primò cum Prouincialibus Epiſcopis, deinde Romano Pontifici*. Non igitur Clerus D tunc Mediolanenſis fœdo illo diuturnoquè laborabat ſchiſmate, quod ego planè fictitium eſſe contendebam in Ambroſianæ Baſilicæ ac Monaſterij Monumentis. Sequitur Arnulphus: *Præerat tunc Romæ Stephanus. Qui, audita perpendens, Populum quieſcere, & Archiepiſcopum ſuper hac re Synodum congregare, Apoſtolicis iubet apicibus*. Ecce verò nobis prætereà, quemadmodùm ne Archiepiſcopus quidem ipſe Guido ſchiſmate illo laboraret.

Ecce

Ecce nobis itidem, quid ille viciſſim ad hoc mandatum. Sic A
enim ſubdit Arnulphus: *Qua fretus auctoritate Guido Præſul diligenter ſtudet Cœtum conuocare Pontificum, mandans Landulpho & Arialdo rationabiliter intereſſe tractandis. Factus eſt autem Synodalis Præſulum multorum Conuentus in Loco, qui dicitur Fontanetum. Vbi cùm triduo ſpiritualibus vacaſſent negotijs, illorum præſtolantes aduentum; viſum eſt omnibus, temeritatem tantam anathemate iuſto fore mulctandam; factumquè eſt ita. Quæ omnia flocci-pendens Landulphus, cùm vereri debuerat, magis extollitur* &c.

III. Legatur verò etiam, ſi placet, Triſtanus Chalcus (& hic pariter
Arialdo quidem ac Landulpho Cottæ infenſus) Hiſtoriæ Patriæ B
Libro 6. poſt Annum Chriſti 1054. itemquè Carolus Sigonius Lib. 2. De Regno Italiæ ad Annum Chriſti 1058.

IV. Quoniam verò præ cæteris Epiſcopis Prouincialibus Leo, Vercellenſis Epiſcopus, in ea Synodo declamaſſe aduersùs Arialdum eiuſquè aſſeclas traditur; videamus hic etiam tandem, quemadmodùm ille declamarit; & hoc è Landulphi quidem Senioris, Libro 3. depromamus. Illic enim hunc ei Sermonem adſcribit: *Pater Venerande, & ò Vvido Reuerende, & ò Rector Ambroſianæ Eccleſiæ, ſuper quamplures Venerande: & ò Chorus Mediolanenſis,
ſuper omnes Choros Linguæ Latinæ omnibus inſtructus diuinis;* C
*quamuis malorum Clericorum ac Ciuium tuorum falſa iuſtitia modò ſubmerſus ſis, qui tantis tam annis inter omnes floruiſti: recordamini, quòd Veritas per Euangelium quotidie clamat: Beati eritis, cùm vos oderint homines, & cùm ſeparauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen veſtrum, tamquàm malum, propter Filium hominis. Gaudete & exultate. Ecce enim merces veſtra copioſa eſt in Cælis. Et iterùm: Veſtri capilli omnes numerati ſunt. Nolite timere; multis paſſeribus meliores eſtis vos. Sicut in proſperis Ordini noſtro non datur gloriari; ſic in aduerſis non expedit con-*
*turbari. Vnde ſapiens Magiſter dicens ait: Nec proſpera te ele-* D
*uent, nec aduerſa conturbent.*

V. *O Fratres & ò Patres Chariſſimi, decet nos omnium Fidelium animas, quibuſcumque ſchiſmatum cauſis deuiatæ ſint, multo ſudore multoquè labore ad Sanctæ Eccleſiæ reuocare gremium: & reuocatæ, cum ipſis in Deo gaudere. Sin autem ipſos nullo modo reuocare poſſumus, & quærunt nos ſubtili occaſione ſubmergere, ac omnimodè ſuffocare iniuſtè conantur; habemus Veritatis Euangelium, quotidie*

*nos*

*nos admonentis dicendo: Si vos perſecuti fuerint in vnam Ciuitatem; fugite in aliam.* A

VI. *In veritate, Fratres Chariſſimi, comperimus Veritatem ipſam in Euangelio dicentem: Non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua, & in cognatione ſua. Multi enim Ciuium veſtrorum, vitio hipocritarum deteſtabilium (de quibus dicit Dominus, Væ vobis hipocritæ, qui ſeducitis animas innocentium) ſeducti quærunt, ſicut Chriſtum quondàm Iudæi, vos mordentes, canumque more lacerare. Sed cùm Dominus in proximo vos igne ſui Spiritus Sancti vindicabit: & emortuos, quaſi canes iacentes per plateas videbitis: & ſuperſtites illorum mala, quæ in vobis iniuſtè tulerint, recordabuntur gementes;* B *dicite illis, ſicut Chriſtus quondàm filiabus Iſrael: Filiæ Sion nolite flere ſuper me; ſed ſuper vos flete, & ſuper filios veſtros.*

VII. *Cùm autem multorum Regum ac Ducum vſque ad id tempus examino* (addendum videtur *geſta*, vel quid ſimile) *& ex libris antiquorum voluminum recollegi, ex quibus iniuſtè Mediolanenſem Eccleſiam lacte Ambroſianico fonte commouere & conturbare quæſierunt: & qualiter poſtea Dei dextera infatuati & ad nihilum redacti ſint; ſpero, Dei miſericordia adiuti, vos citiſſimè liberari. Et ſi Deus, noſtris peccatis noſtriſquè malis meritis, illis in nobis omnes deteſtandas intentiones implere ac perficere permiſerit; hoc ad illorum* C *perniciem, tam corporum quàm animarum, procul dubiò à Deo eſſe conceſſum credite.*

VIII. *Si enim de Fide Catholica, aut de Simoniaca hæreſi, aut de Eccleſiaſticis negotijs, quietè tractare, ac inquirendo diſputare vellent; huic Sancto Concilio intereſſent; & nos aut rationibus illorum, negotijs canonicè determinatis, quietè conſentiremus; aut apertis ſententijs per Canonum rectitudinem, quæ mentiri non poſſunt, ipſos nos conuinceremus. Sed quia vili occaſione vos & ſubſtantiam veſtram ac perniciosè inuadere quærunt; ideò verbis peſſimis vos & Ordinem veſtrum modò, velut canes lymphatici, feraliter dilacerantes, huic* D *noſtro Concilio humiliter ac deuotè, vt decet, intereſſe verbis turpiſſimis renuerunt.*

IX. *Ecce, ò Patres, tempus adeſt, vnde Beatus Ambroſius in Libro Paſtorali dolebat, cùm dicit: Dolemus, contra priorum monita Patrum inoleuiſſe vota pernicioſiſſima poſterorum. Nam quantò frequentiùs illi noxia vetuerunt, tantò ſtudioſiùs iſti perpetrare vetita non quieſcunt. Ecce enim Ieremias, cùm dicit: Inuenti ſunt in Populo meo impij,*

*impij, inſidiantes quaſi aucupes, laqueos ponentes & pedicas, ad capiendos viros, ſicut decipula plena dolo. Ecce ego dabo in Populum iſtum ruinas: & ruent in eis patres & filij ſimul, vicinus & proximus peribunt. Item Ezechiel Propheta: Egreſſa eſt contritio, floruit virga, germinauit ſuperbia, iniquitas ſurrexit in virga impietatis. Vnde, ſicut Eſaias locutus eſt ſuper Ieruſalem; ſic ego ſuper Mediolanum per eumdem Eſaiam dico: Quomodò facta eſt meretrix Ciuitas fidelis, plena iudicij? Iuſtitia habitabit in ea, nunc autem homicidæ: argentum tuum verſum eſt in ſcoriam: vinum tuum mixtum eſt aqua. Itaque, tantis Eccleſiæ honoribus ac dignitatibus attenuatis condolens, ſicut Ieremias, dicens plorabo: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? & plorabo die ac nocte. Vnuſquiſque ſe à proximo ſuo cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam; quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet. Quorum finem Dauid proſpexit; cùm dicit: Inſidiatur, vt rapiat inopem, rapere pauperem, dum attrahit eum. In laqueo ſuo humiliabit: & inclinauit ſe, & cum armis ſuis cadet in mortem. Veniat illis laqueus, quem ignorant: & captio, quam occultauerunt, apprehendat eos: & in laqueum incidant in ipſum.* A B

X. Idem porrò Landulphus in hunc etiam modum pergit: *Quibus dictis, idem ſe vertens ad Sacerdotes, quaſi primùm hæc verba inchoaſſet, dixit: Patres, & ò Fratres Chariſſimi, quamuis per multa mala multiſquè temporibus commoti & conturbati ſitis; decet tamen vos, prout expedit, quod Veritas clamat, reminiſci: In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Et item: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere. Inter cætera, Beati Ambroſij, omnium Linguarum Confeſſoris, conſilium, quod in Vercellenſi Epiſtola loquitur, audite, cordibuſquè percipite: Non ſit in vobis deſidia, non ſit prauum os, lingua amarior. Nolite in Concilio vanitatis ſedere. Scriptum eſt enim: Non ſedi in Concilio vanitatis. Nolite audire detrahentes proximis; ne, dum auditis alios, prouocemini, vt & ipſi derogetis proximis; & dicatur vnicuique veſtrum: Sedens aduersùs fratrem tuum detrahebas. Item idem ſuper Beati immaculati: Cogitet quis, quemadmodùm pedem ſuum dirigat, manum ſuam adferat; ne, impetu indignationis impulſus, cùm repellere iniuriam cogitat, ipſe alteri ictum notabilis cadis infligat. Et ſi longè eſt à peccatoribus ſalus; tamen nemo deſperet; quia multa* C D

*miſericordiæ Domini. Miſerebor, inquit, cui miſertus ero. Fratres* A
*Chariſsimi, id, quod Beatus Ambroſius dicit, credimus quòd dixit,*
*& quòd locutus eſt per Spiritum Sanctum. Item in Beati imma-*
*culati: Qui hic ſe aurum putat, habet plumbum: & qui putat ſe*
*granum tritici, habet ſtipulam, quæ poſſit comburi. Sed hic multi*
*ſibi aurum videntur: non illis inuideo.*

XI. *At vt nos huius Sermonis finem imponamus, dicam cum Beato Am-*
*broſio, quod idem de vobis dixit: Det vobis Dominus Fidei ignora-*
*re naufragia, habere pacem profundam: & ſi quando aliquid ſit,*
*quod graues nobis ſæculi huius excitet fluctus; euigilantem pro nobis*
*habere Gubernatorem, Dominum Ieſum. Qui vento imperat, &* B
*tempeſtates mitigat, tranquillitatem maris refundat, Ieſus Chriſtus,*
*Dominus noſter: qui viuit & regnat cum Deo Patre in vnitate*
*Sancti Spiritus per infinita ſæcula ſæculorum.*

XII. Hactenùs Leonis, Epiſcopi Vercellenſis, Sermo, in hac habitus
Synodo, ad Fontanetum congregata: qualis videlicet illi à Lan-
dulpho Seniore adſcriptus fuit. Quod tamen eam ipſe aſſerebat
congregatam ex Alexandri Papæ Secundi conceſsione, atque
non modò contra Landulphum Cottam & Arialdum, ſed etiam
contra Herlembaldum itidem Cottam; in his ipſe quidem al-
lucinatus eſt; vt è præſentis Libri noſtri ſerie manifeſtum erit. C

## *CAPVT VII.*

*Landulphus Cotta, Romam tendens ad Pontificem Stephanum, & accepto per ſicarium vulnere coactus reuerti, mittit illuc Arialdum, amboquè ad prædicationem contra Cleri corruptelas proſequendam animantur, irritaquè penitùs & euanida excommunicatione perculſi declarantur.*

I. HOtum omnium teſtes fideliſſimos iam produxi-
mus Beatum Andream ſuperiore Libro 2. Cap. D
8. & Landulphum Iuniorem Libro 3. Capite 9.
Hoc igitur rurſùs loco ijdem, ſi placet, conſu-
lantur.

II. Quinam tamen fuerit Dionyſius ille Cardinalis,
quem Landulphus ipſe Iunior aſſerebat multa dixiſſe aduerſùs
Arialdum; ego ſanè non apud Alphonſum Ciaconium, non apud
alium quempiam Romanorum Cardinalium Nomenclatorem,
inuenire adhuc potui. III. Lan-

III. Landulpho igitur Seniore contentus hîc ero. Quo teſte, Cardina- A
lis ille Dionyſius à pueritia nutritus fuit in Eccleſia Mediolanen-
ſi, Romæquè poſtea coram Pontifice Arialdum hac Oratione op-
pugnauit: *Cùm huius inaudita Patalia placitum cogitaſti commo-
uere, qualiſcumque intentionis eſſes, ab Apoſtolico, aut ab aliquo re-
ligioſo Viro, priùs multis cum ieiunijs debuiſti conſciliari, quàm
huiuſmodi negotium, tam magnum & tam periculoſum, cum viris
illiteratis inchoaſſe: & quod cum humilitate & patientia boniſquè
admonitionibus debebas docere, hoc cum lanceis fuſtibus, vt aſſeritis,
Laicis ſuper Sacerdotes currentibus, adminiſtraſti. An ignorabas
Dei Euangelium? dicentis: Qui vos tangit, me tangit. Et Dauid,* B
*Prophetarum eximius, per Spiritum Sanctum ipſum Saulem à Deo
damnatum cognoſcens, vt nos informaret, dixit: Non licet mittere
manum in Chriſtum Domini. Etenim, niſi fueris Dei adiutus mi-
ſericordia, dignus es lapidi alligari, & in profundum maris demer-
gi, quantùm glorioſiſsimam ac præclariſsimam Dei Eccleſiam, in
qua Beatus Ambroſius multùm laborando deſudauit, inconſultè
ſcandalizaſti. Cuius diſsidium, crudeliter diſſeminatum, & ante
nouiter natum, vt video, vniuerſum Mundum citiſsimè, Laicis ad-
uersùm Sacerdotes ſtudioſè inhiantibus, inuadet.*

IV. *Vera Dei Eccleſia, ne diſsidium aut ſcandalum oriatur, multa per tem-* C
*pora ſanctis imbuta alimonijs, quamplurima ſuſtinere ac pati con-
ſueuit. Hoc diſsidium eſt illud, vnde puerorum numerus infinitus
ſine Baptiſmate, diuerſis attritus mortibus, crudeliter necabitur. Hæc
eſt illa occaſio, ob quam multi iuuenes, dum naturam ſuam exerce-
re non poſſunt, contra naturam incurrentes delinquant: & debitum,
quod vxori, ſi haberent, dum impendere non poſſunt, in alterius in-
hient vxorem.*

V. *Saltem Beatus Ambroſius te tangat: qui cùm à quadam muliere tan-
gere conaretur, ore Epiſcopali dixit: Etſi ego tanto Sacerdotio indi-
gnus ſum; non licet, te mittere manum in Chriſtum Deum.* D

VI. *Velint, nolint, fuſtibus ac plagis diuerſis caſtificas eos, immò inceſtos
animo & corpore patenter reddis; cùm Apoſtolus dicat: Deus non
vult coacta ſeruitia.*

VII. *Et ſi tu cum tuis iuſtus caſtus pudicus ſanctus & bonus Dei miſeri-
cordia eſſes; aſpice, quid veritatis Magiſter Diſcipulis dicat: Etſi
perfeceritis omnia; dicite, quòd inutiles ſerui ſitis. Tu autem Sacer-
dotes Dei, quos Mundus totus vſque modò bonos & charos & iuſ-*

*tos & fideles tenens, eis deuotè in cunctis obediebat, quamuis tanto* A *Sacerdotio indigni, criminoſis & ſeditioſis omnibus, qui neſciunt quid ſit inter dexteram & ſiniſtram, criminoſè tradidiſti. Iis enim verbis omnium Sacerdotum vitam, & Eccleſiarum cunctarum mores, longaſquè eorum conſuetudines crudeliſſimis Chriſtianis, quaſi canibus lymphaticis, ad rodendum ſub obtentu caſtæ religionis dediſti. Etenim, quod iuſtè ac deuotè ſummaquè cum humilitate tractari emendariquè pietas diuina exigebat optimis moribus boniſquè exemplis, hoc fuſtibus lanceis enſibuſquè populi inſenſati pertractandum immò conculcandum commiſiſti.*

VIII. *Potuit namque Dominus noſter Ieſus, humani generis Redemptor,* B *vno imperio ſuæ Maieſtatis totius Mundi incredulos Chriſtianos facere perfectos, & omnes crucifigentes ſe vno in momento viuos in Infernum demergere. At, vt nos ſumma cum patientia Hoſtem antiquum, Serpentem crudeliſſimum, humani generis Inimicum, ſuperare & proſternere poſſimus, Veritas dicens admonuit: In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.*

IX. *Scio enim, & verè ſcio: verba veſtra bona & rationabilia videntur, & laude digna; ſed, quod zelo Dei non incœpiſtis, ab omni munere à Deo priuemini. Decet namque omnes Eccleſiaſticas dignitates, omnes honores, quales ab aliquo reprehendi non poſſunt, Sacerdotes verò per omnia bonos.* C *Sed dicit Deus cuidam ſe interroganti: Quid me dicis, bone? Nemo bonus, niſi ſolus Deus.*

X. Talia locutum Landulphus hic Senior dixerat hunc Cardinalem, cum Romani denique Pontificis hac de re ſententiam his inuoluit verbis: *Cùm autem hæc & multa alia Arialdo ſuiſquè ſociis diceret Dionyſius, & à multis Clericis verbis inhoneſtis ſubſannaretur; Apoſtolicus ſilentium manu imperauit. Interea idem Apoſtolicus, perpauca loquens, ita in medium ſe habuit, quòd nec Cardinalem laudauit, nec Arialdum damnauit.* Et hoc quidem Arialdo interim erat ſatis. Iraque neq; nobis interim ſatis eſt cauſæ, cur eidem Landulpho credamus, quod protinùs attexuit in hæc verba: D *Quo audito, Arialdus à gloria, quam Romæ habere ſperabat, omninò fruſtratus, cognoſcens aſtantium animos omnium Eccleſiæ Mediolanenſi compatientes, tremens & pallidus quaſi mortuus obriguit.*

XI. Sed eſto: Arialdus etiam tunc temporis in eum modum obriguerit. Sanè quidem Pontifex deliberatione poſtmodùm ipſa factoquè ipſo, non Cardinalem illum, ſed Arialdum laudauit; vt

idemmet

idemmet Landulphus continuata ibidem narratione confitetur. A
Addit enim: *Tandem Apoſtolicus, multis ac diuerſis conſilijs rimatis, adiuncto poſt aliquot dies Anſelmo, Lucenſi Epiſcopo, quem ſupra memoraui, vt tantæ cladi finem imponeret, & Sacerdotes à perfidis liberarentur omnibus*, ET QVOD IPSE ARIALDVS INCHOAVIT CORROBORARETVR, *& quodammodò Eccleſia Mediolanenſis ſuis iuſſibus obtemperaret; Arialdum, Anſelmum Lucenſem Epiſcopum, & Oldeprandum, iam Archidiaconem factum Eccleſiæ Romanæ, vno animo conſentientes, Mediolanum direxit.* Hæc Landulphus Senior.

XII. Sed quid item hac de re Arnulphus ille Hiſtoricus, Arialdi pariter B
ac Landulphi Cottæ hoſtis, & interea ne ipſi quidem parcens Apoſtolicæ Sedi? *Præterea Romam* (verba ſunt ipſius, Libro 3. Cap. 9.) *proficiſcitur Arialdus, apologeticas ferens Litteras. Vbi cùm Ambroſianum accuſaret Clerum, affirmans, omnes Nicolaitas, & Simoniacos, ac prorsùs inobedientes Romanæ Eccleſiæ, ſe autem cum Landulpho deuotum, & pro ſola veritate certantem; celeriter Romanorum adeptus eſt gratiam. Qui, cùm principari appetant iure Apoſtolico, videntur velle dominari omnibus, & cuncta ſuæ ſubdere ditioni. Turbinis igitur cauſa præfati ſæpenumerò Legati à Roma Mediolanum veniunt: videlicet Hildeprandus, ex Monacho Cardinalis* C
*Archidiaconus: Petrus, Oſtienſis Epiſcopus: & Anſelmus de Badagio, Ciuis Mediolanenſis, olim Cardinalis Eccleſiæ Ambroſianæ, tunc verò Lucenſis Epiſcopus: & reliqui plures cum prædictis Mediolanum miſſi ſunt.* Quibus quidem Legatorum nominibus binas ad minus innuit Arnulphus Legationes illas, quarum primam ego Capite proſequar proximo.

## *CAPVT VIII.*

*Stephanus Papa Decimus tres Legatos Mediolanum mittit, ad componendas Cleri Populiquè controuerſias.* D

I. Eiuſmodi Legatos fuiſſe tres, hoc nobis Landulphus Iunior affirmabat ſuperiore Libro 3. Cap. 9. ſcilicet Hildeprandum Cardinalem, Petrum Oſtienſem, atque Anſelmum de Badagio Lucanum Epiſcopum. Contra verò Landulphus Senior Hiſtoriarum ſuarum Libro 3. Cap. 12.

eodemquè

eodemquè ſic inſcripto, *Stephanus Papa Mediolanum Legatos mittit*, eos fuiſſe tantùm duos aſſeruit, hoc eſt, Anſelmum Epiſcopum Lucenſem, & Oldeprandum (ſic enim eum nominabat) iam Eccleſiæ Romanæ Archidiaconum. Ipſamet eius verba ſunt huiuſmodi: *Tandem Apoſtolicus* (hinc enim denuò exordire cogor) *multis ac diuerſis rimatis conſilijs, adiuncto poſt aliquot dies Anſelmo Lucenſi Epiſcopo, quem ſupra memoraui; vt tantæ cladi finem imponeret; & Sacerdotes à perfidis liberarentur omnibus; &, quod ipſe Arialdus inchoauit, corroboraretur; & vt quodammodò Eccleſia Mediolanenſis ſuis iuſſibus obtemperaret; Arialdum* (videlicet Alciatum, qui Romam perrexerat) *Anſelmum Lucenſem Epiſcopum, & Oldeprandum, iam Archidiaconem factum Eccleſiæ Romanæ* (qua tamen in re ille fallebatur, vt ſcitè Baronius obſeruauit) *vno animo conſentientes, Mediolanum direxit. Quorum vnus* (nempè Anſelmus) *ſupradictæ iræ liuidus, alter* (ſiue Oldeprandus) *nimia indignatione altitudinis Mediolanenſis Eccleſiæ commotus, zelo zelabant nequiſſimo.* A B

II. Quidnam verò illi egerint, huc profecti, hoc iam didicimus ex eodem mox Landulpho Iuniore, Cap. 10. Sin verò Seniorem quoque Landulphum (tametſi aduerſarium infenſiſſimum) audire placeat; ſic ille quidem Capite illo 12. de duobus illis blaterare pergebat Legatis: *Qui cùm Mediolanum attigiſſent, ſecus omnia tractarunt, quàm Apoſtolicus eis denotaſſet. Ea tempeſtate Ciuium diuerſæ turmæ, aliæ Sacerdotum pietate, qui malè ab Arialdo & eius parte tractabantur, quotidie vt hoſtes ſeſe necantes præliabantur. Itaque Anſelmus & Oldeprandus, Populi furorem timentes, clanculò vocatis Ciuibus, quos habere poterant, quantùm linguæ eorum exprimere valuerunt, ſine miſericordia, ſine charitate callidè frementes ediderunt. Non attenditis Dei Euangelium, dicentis: Nolite mittere margaritas ante porcos; ne fortè conuerſi diſrumpant & conculcent eas pedibus ſuis. Ad vltimum, ipſum Guidonem Archiepiſcopum, in primo hæc omnia paruipendentem (qui ipſum Anſelmum in Sacerdotio conſecrauerat) Simoniacum vocantes, & omnia eius deteſtantes, obfuſcarunt. Quid multa? Tantam enim ruinam & diſsidium atque diſcordiam peſſimam ſeminauerunt, quantam olim Nabuzardan Princeps Militiæ in Populo Iſraelitico immiſit: & quantam videns Aman, qui in ligno, quod Mardochæo parauerat, pependit: & quantam Abſalon Dauid patri ſuo iniuſtè commouit.* Talia maleuolus pariter ac mendax Landulphus ille Senior: è quibus C D

ſecundùm

ſecundùm rei veritatem hoc ſaltem confirmamus, præſentem Legationem omninò diuerſam fuiſſe ab ea, de qua ſermo nobis erit Capite ſequenti. A

III. Præſens itaque Legatio in Pontificatum incidit Stephani Decimi: quem ipſo quidem concluſit Anno Domini 1058. quarto Calendas Aprilis, nec ſine ſanctitatis fama, miraculis etiam protinùs confirmata. Sic enim Leo teſtatur Oſtienſis Libro 2. Chronici Caſſinenſis Capite 99. ſecundùm editionem à Matthæo Laureto recognitam, his verbis: *Dehinc ipſe* (Pontifex Stephanus) *in Tuſciam properans, non multò pòſt ſubito languore depreſſus, apud Florentiam obijt quarto Kalendas Aprilis: ibiquè digno ſatis eſt honore ſepultus. Ad cuius ſanctiſſimum Corpus, meritis eius interuenientibus, plurima Chriſtus ſigna oſtendit.* B Similiter etiam Aubertus Miræus in Chronico Belgico, Antuerpiæ edito Anno Domini 1636. ſic habet ad Annum 1058. *Stephanus Nonus* (nobis Decimus) *Papa quarto Kalendas Aprilis, Florentia agens, ad gaudium tranſijt Angelorum. Indicio ſunt ſigna & prodigia, quibus Sepulchrum eius in eadem Vrbe vſque hodie diuinitùs illuſtratur: ait Scafnaburgenſis.* Sic enim ad verbum Lambertus ipſe Scafnaburgenſis, eius temporis Scriptor, in Hiſtoria *De Rebus Geſtis Germanorum* narrabat in eumdem Annum 1058. *Pia memoria Stephanus Papa, qui & Fridericus, cùm in Ciuitate Florentia moraretur, quarto Kalendas Aprilis natura mortali debitum ſoluit, & verè (vt ſperamus) de hac conualle lachrymarum ad gaudium tranſijt Angelorum. Indicio ſunt ſigna & prodigia, quibus Sepulchrum eius in eadem Ciuitate vſque hodie diuinitùs illuſtratur.* C Quod vtique nobis obſeruatu neceſſarium etiam erat contra Landulphi Senioris audaciam & temeritatem: qui Libro 3. Cap. 13. eumdem Stephanum Papam, quia Landulpho Cottæ & Arialdo cæteriſquè ipſorum aſſeclis contra Simoniacos & Nicolaitas fauiſſet, idcircò ſcribere auſus eſt, *diuino flagello vix per nouem menſes Apoſtolica Sede potitum eſſe.* D

*CAPVT*

### *CAPVT IX.* A

*Eodem Anno 1058. Clerus Vrbanus Landulpho Cottæ molitur necem, ſed irrito diuinitùs conatu.*

I. NE hoc quidem loco nos alijs egemus Teſtibus, quàm Beato Andrea, ſuperioris Libri Secundi Capite 9. & Landulpho Iuniore, ſuperioris Libri tertij Capite 11.

II. Ex eiuſdem verò Landulphi Iunioris textu illic rerumque ſerie manifeſtus nobis videtur Annus item ille ſupra Milleſimum quinquageſimus-octauus; itaut B eodem illo Anno, poſt Stephani Papæ Decimi obitum, Landulphus ipſe Cotta vulneratus fuerit feria illa ſecunda Paſchali, cùm Nicolaus iam Papa Secundus in Apoſtolicam ei Sedem ſucceſſiſſet; vt paulò pòſt expreſſiùs indicabimus.

III. Idquè interim à nobis obſeruatum ſit etiam contra Arnulphum Hiſtoricum Libro 3. Capite 11. & Triſtanum Chalcum Libro 6. Hiſtoriæ Patriæ, inter Annum 1054. & 1060. qui facinus hoc ſacrilegum conijcere videntur in tempus Concilio poſterius Romano, quod nos infrà Capite 12. videbimus celebratum Anno 1059. menſe Aprili. C

### *CAPVT X.*

*Nicolaus Papa Secundus, à Mediolanenſibus noſtris rogatus, duos & ipſe Legatos huc mittit Anno Domini 1059.*

I. SVperiore nimirùm Anno Milleſimo quinquageſimo-octauo Stephanus Papa Decimus, vt iam dictum eſt, vigeſimo-nono Martij die diem clauſerat mortalis huius vitæ ſupremum. Nicolaus autem Secundus ei poſtea ſubſtitutus D fuit Anni ſubſequentis menſe Ianuario, ſiue tertio eius die; vt communiter affirmatur.

II. Eiuſdem verò etiam Anni menſe poſtmodùm Aprili Nicolaus in Vrbe Roma Synodum celebrauit; ſed priùs tamen ad Vrbem noſtram Mediolanum iam miſerat Legationem illam, de qua nunc quærere aggredimur. Hoc enim apertè conſtat ex Arnulphi Libro 3. Capite 10. cuius ego Hiſtorici, eo tempore viuentis,

teſtimonio

teſtimonio fultus idipſum contendebam in Ambroſianæ Baſilicæ ac Monaſterij Monumentis Num. 268. & hac in parte propterea diſſentire me profitebar à Gilberto Genebrardo, & à Cardinali Baronio ad eumdem illum Annum Art. 44. A

III. Scitè tamen ac veraciter idem Baronius hæc item attexebat: *Cùm percepiſſet (*Nicolaus Papa*) Mediolanenſem Eccleſiam, ſicut Simoniaca labe, ita Clericorum impuritate labefactatam, penitùſquè collapſam; ad eam reſtituendam Legatos decernit Viros Sanctiſsimos atque doctiſsimos; nimirùm ipſum Petrum Damiani, Cardinalem Oſtienſem; & Anſelmum, Lucenſem Epiſcopum, qui poſtea ipſi Nicolao in Pontificatu ſucceſsit, dictuſquè eſt Alexander.* B

IV. *Præceſsiſſe autem Legationem Mediolanenſium ad ipſum Pontificem, antiqua Geſta Romanorum Pontificum, quæ collegit Nicolaus Aragonius Cardinalis, edocent, in quibus iſta: Legati Mediolanenſium venerunt ad eumdem Pontificem Nicolaum: ſuppliciter exorantes, vt Mediolanenſis Eccleſia contritionibus dignaretur miſereri & compati. Huius rei gratia Venerabilem Virum Petrum Damiani, Oſtienſem Epiſcopum, Nicolaus Papa illuc deſtinauit, & vices ſuas in corrigendis ac ſtatuendis, quæ ad Eccleſiam illam pertinebant, ei conceſſit.* Hæc Baronius ex ijs Romanorum Pontificum Geſtis, & in Vaticana ſanè Bibliotheca cuſtoditis. Hanc ipſam verò Mediolanenſium Legationem ad Romanum Pontificem non obſcurè C poſtea (ſiue Numero 21.) contuebimur à Guidone item Archiepiſcopo indicatam his Epiſtolæ ſuæ verbis: *Itaut,* QVIBVSDAM EX NOSTRIS, *Sedem Apoſtolicam adeuntibus, tantum huius Terræ periculum Sanctus ac Deo dignus Nicolaus Papa cognoſceret: atque ad compeſcendum & funditùs extirpandum hoc facinus Dominum Oſtienſem Petrum Epiſcopum deſtinaret.* Quoniam igitur Mediolanenſes (vt mihi quidem videtur) in prima illa Legatione Pontificia, quam Capite 7. indicabam, iuſtitiam potiùs experti fuerant, cùm dijudicaretur, quinam re vera noxij D vel innoxij eſſent; propterea nunc miſericordiam potiùs & indulgentiam erga noxios implorant.

V. Proſequitur ibidem Baronius: *Huius quidem Legationis extat plena relatio in Epiſtola, quam tunc idem Petrus ſcripſit ad Hildebrandum: qui ex Subdiacono ab eodem Nicolao nuper in Archidiaconum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ fuerat exaltatus. Mutuati ſumus eam ex Codice Baſilicæ Vaticanæ, ſicut & alias. Cui eiuſmodi præpoſita eſt*

 *inſcriptio:*

*inſcriptio*: ACTVS MEDIOLANI : ET DE PRIVILEGIO A
ROMANÆ ECCLESIÆ LIBER. His ergo præmunitis Baro-
nius hanc ipſam Petri Epiſtolam Librumuè maiori ex parte ſuis
Annalibus eodem hoc Anno 1059. ab Articulo 45. vſque ad 61.
interſerit: eademquè integra Opuſculum eſt quintum in Tertio
Tomo Operum Petri Damiani, typis editorum Romæ Anno
1615. opera & ſtudio eruditiſſimi, ac de me quàm optimè meri-
ti, Domni Conſtantini Caietani, è Iacobi Maſcardi Typographia.

VI. Sic autem ille ſcribebat: *Domno Hildebrando, Venerabili Archidia-
cono, Petrus, Peccator, Monachus, ſinceriſſimæ deuotionis affectum.
Priuilegium Romanę Eccleſię quantas habeat vires ad ſeruandam* B
*canonicę æquitatis & iuſtitię regulam, quantum vigorem ad diſpo-
nendam Eccleſiaſtici ſtatus contineat diſciplinam: ſolus ille dilucidè
comprehendit, qui Eccleſiaſticis conſueuit inſudare negotijs. Quod
vtique priuilegium, qui inexpertus eſt paruipendit, exercitatus amplec-
titur. Quia, ſicut arma non curat qui certamen ignorat; ſic è diuerſo
telis inhianter accingitur, qui ad reportandos ex more victoriarum
titulos animatur. Armis autem Priuilegium Romanę Eccleſię non
incongruè comparauimus; quia, dum hæc vna, per Cathedram Beati
Petri totius Chriſtianę Religionis Caput effecta, cunctis in Orbe Ter-
rarum principetur Eccleſijs, velut dux ante aciem, Fidelium cuneis* C
*fulta, ac ſpecialis prærogatiuę auctoritate munita, & Euangelico mu-
crone veritati reſiſtentium ceruicem obtruncat, & ad inuictiſsimè di-
micandum totam Chriſti Militiam in vnius charitatis ac fidei vna-
nimitate confirmat.*

VII. *Hoc tu ſubuliter & alia multa perpendens, frequenter à me charitate,
quę ſuperat omnia, poſtulaſti, vt Romanorum Pontificum Decreta
vel Geſta percurrens, quidquid Apoſtolicę Sedis auctoritati ſpeciali-
ter competere videretur, hinc inde curioſus excerperem, atque in parui
voluminis vnionem nouę compilationis arte conflarem. Hanc itaque
tuę petitionis inſtantiam cùm ego negligens flocci penderem: magiſ-* D
*què ſuperfluitati quàm neceſsitati obnoxiam iudicarem; diuinitùs, vt
reor, actum eſt, vt Mediolanenſium Vrbem, Beatiſsimi Nicolai
Papę Legatione functus, adirem.*

VIII. *Erat enim inter Clerum & Populum propter duas hæreſes, Simonia-
cam videlicet & Nicolaitarum, ſatis turbulenta ſeditio. Nicolaitę
autem dicuntur Clerici, qui contra Caſtitatis Eccleſiaſticę regulam
fœminis admiſcentur. Qui planè tunc fornicatores fiunt, cùm fœdi*

*commercij*

*commercij copulas ineunt: tunc Nicolaitæ iure vocantur, cùm hanc* A
*lethiferam peſtem velut ex auctoritate defendunt. Vitium quippe in hæreſim vertitur, cùm peruerſi dogmatis aſſertione firmatur.*

IX. *Quid plura?* NOBIS DIGNA SEDIS APOSTOLICÆ VENERATIONE RECEPTIS, *ac negotijs, quæ nos attraxerant, intimatis, poſt diem alterum* FACTIONE CLERICORVM *repentè in Populo murmur exoritur*, NON DEBERE AMBROSIANAM ECCLESIAM ROMANIS LEGIBVS SVBIACERE, NVLLAMQVE IVDICANDI VEL DISPONENDI VIM ROMANO PONTIFICI IN ILLA SEDE COMPETERE. *Nimis indignum (inquiunt) vt, quæ ſub progenitoribus noſtris ſemper* B
*extitit libera, ad noſtræ confuſionis opprobrium nunc alteri (quod abſit) Eccleſia ſit ſubiecta. Poſtremò tumultuantium clamor attollitur, ex diuerſis partibus ad Epiſcopale Palatium conuenitur: dein tintinnabula perſtrepunt, prægrandis ærea tuba, quæ illic eſt, tota Ciuitas clangoribus intonatur. Intentabant mihi (vt ita loquar) omnia mortem: &, vt ab amicis meis mihi ſæpè ſuggeſtum eſt, nonnulli meum ſanguinem ſitiebant.*

X. *Augebatur autem huius ignis incendium hoc permaximè; quia, congregatis quaſi ad Synodum totius Ambroſianæ Parochiæ Clericis, ego in medio reſidens, ſiue potiùs præſidens, Reuerentiſsimum Mediolanen-* C
*ſem Archiepiſcopum ad ſiniſtram; prudentia quoque ac ſanctitate conſpicuum Anſelmum Lucenſem Epiſcopum poſuiſſe mihi accuſabar ad dexteram. Hinc porrò, quanta à frementi Populo dici potuerunt, non eſt neceſſe apicibus tradi, quod nimirùm per ſe valet intelligi. Et re vera ipſe Domnus Archiepiſcopus, mox vt noſtræ eſt profeſsionis admonitus, impiger obtulit, vltrò etiam; vt, ſi ego præciperem, in ſcabello, quòd noſtris ſuberat pedibus, ſine controuerſia reſideret. Dicant, id non ſimplici factum intentione, qui volunt. Nos autem non hoc irritationi Populi zelantis, vt fertur, adſcribimus; ſed Apoſtolicæ Sedis reuerentiæ deputamus.* D

XI. *Vt autem ad compendium veniam; aſcendi pulpitum: ac, ſedato vix Populo, huiuſmodi ſum verbis exorſus: Nouerit Charitas veſtra, Dilectiſsimi, non me pro Romanæ Eccleſiæ huc honore veniſſe; ſed veſtram gloriam quærere, vel ſalutem & gratiam, quæ in Chriſto eſt, cum eius auxilio, ſi permittitis, prouidere. Quo enim pacto honore indiget paruuli hominis, quæ laudes atque præconia ex ipſius ore ſortita eſt Saluatoris? Quæ autem Prouincia per omnia Regna terra-*

 *rum*

*rum ab eius ditione extranea reperitur, cuius arbitrio ipſum quoque Cælum ligatur & ſoluitur? Omnis autem ſiue Patriarchatus cuiuſlibet apicem, ſiue Metropoleon Primatus, ſiue Epiſcopatuum Cathedras, ſiue Eccleſiarum cuiuſcumque ordinis dignitates, ſiue Rex, ſiue Imperator, ſiue cuiuslibet conditionis homo purus conſtituit: &, prout voluntas aut facultas erat, ſpiritualium ſibi prærogatiuarum iura præfixit. Romanam autem Eccleſiam ſolus ille fundauit, & ſuper petram Fidei mox naſcentis erexit, qui Beato vitæ æternæ Clauigero terreni ſimul & cæleſtis Imperij iura commiſit. Non ergo qualibet terrena ſententia, ſed illud verbum, per quod conſtructum eſt Cælum & Terra, per quod denique omnia condita ſunt elementa, Romanam fundauit Eccleſiam. Illius certè priuilegio fungitur, illius auctoritate fulcitur. Vnde non dubium, quia quiſquis cuiuslibet Eccleſiæ ius ſuum detrahit, iniuſtitiam facit: qui autem Romanæ Eccleſiæ Priuilegium, ab ipſo ſummo omnium Eccleſiarum Capite traditum, auferre conatur, hic procul dubio in hæreſim labitur: & cum ille notatur iniuſtus, hic eſt dicendus hæreticus. Fidem quippe violat, qui aduersùs illam agit, quæ Mater eſt Fidei: & illi contumax inuenitur, qui eam cunctis Eccleſijs prætuliſſe cognoſcitur.* A B

XII. *Vt autem, omiſſis alijs, ad id, quod nunc agitur, veniamus: non debet ignorare ſancta veſtra deuotio, quia Beati Apoſtolorum Principes, Petrus & Paulus, ſicut per ſuum ſanguinem Romanam Eccleſiam conſecrarunt; ita mox inter ipſa naſcentis Fidei rudimenta hanc Mediolanenſem Eccleſiam per ſuos diſcipulos lucrati ſunt Chriſto. Nazarius quippe, Martyr inſignis (ſicut ſcripturæ teſtantur) Petri auctoritate Baptiſmum à Lino, eius ſucceſſore, ſuſcepit: qui poſtmodùm cum Beato Celſo in hac ſancta Vrbe martyrio coronatus eſt. Sancti verò Martyres, Protaſius atque Geruaſius, Beatum Paulum, Apoſtolum, Magiſtrum ac Præceptorem habuiſſe noſcuntur; ſic Beato Ambroſio & ipſo teſtante. Iſti ſunt (inquit) qui monita pia (*aliter *mea,* & meliùs) *ſecuti, reſpuentes prædia & diuitias, ſecuti ſunt Domini noſtri veſtigia. Sicut ego Saluator noſter binos ante faciem ſuam Diſcipulos miſit; ita quodam modo vterque Sanctus Apoſtolus ex magiſterio ſuo in hanc Vrbem Prædicatores ſanctæ Fidei geminos deſtinauit. Cùm ergo veſtræ ſalutis Auctores ex Romanæ Eccleſiæ prodierint diſciplina; conſequens eſt iuxta æquitatis ordinem, vt Eccleſia Romana Mater, Ambroſiana ſit Filia.* C D

XIII. *Vt autem hic ordo inter vtramque, Ambroſianam videlicet & Apoſtolicam*

*tolicam Sedem, non nouiter oriri, ſed antiquitùs obtinuiſſe non dubitetur: Beatus Ambroſius, cùm hanc Nicolaitarum ſordem ad multorum fœtere perniciem in hac Vrbe doleret: eamquè per ſe ſolus coercere non poſſet; Sedis Apoſtolicę mox quæſiuit auxilium; cùm videlicet is, qui tunc præerat, Papa Siricius tres perſonas, Presbyterum, Diaconum, & Subdiaconum, ad correctionem vlciſcendi huius ſceleris deſtinauit. Cum his itaque Beatiſſimus Pontifex, quos corrigere non potuit, velut ſcatentem vermibus ſentinam, ex Vrbis huius ſagena proiecit. Vnde & ipſe Sanctus Ambroſius in omnibus ſequi ſe Magiſtram* Romanam *profitetur Eccleſiam.* A

XIV. *Scrutamini itaque ſcripturas veſtras, & per quos vultis diligenter inquirite: & ſi non poteſtis apud voſmetipſos inuenire quod loquimur; mendacij redarguite. Si autem poteſtis; nolite veritati reſiſtere; nolite Matrem veſtram crudeliter impugnare; ſed, ex cuius vberibus lac ſuxiſtis Apoſtolicę Fidei, eius ſemper gaudete ſolida doctrinę dapibus recreari.* B

XV. *His itaque rationibus de Prærogatiua & Principatu Sedis Apoſtolicę redditis, Populus omnis beneuolus redditus: &, executurum ſe quidquid ingererem, vnanimiter pollicetur. Tunc nimirum liquidò perſenſi, in Eccleſiaſticis cauſis quantùm* Romana *Eccleſia noſſe Priuilegium valeat: quamquè hoc Sanctitas tua(* Hildebrandum alloquitur*) non otiosè depoſcat. Quod vtique, Deo annuente, implere ſtudebimus. Sed tamen huius rei geſtę priùs ordinem digeramus.* C

XVI. *Quid multis moror? Adeſt Clericorum perplurimus ille conuentus: communiter & ſigillatim quiſque perterritus: vix è tanto numero quiſpiam promotus ad* Ordinem *ſine pretio reperitur. Erat enim genuinus immò inordinatus ordo, & ineuaſibilis regula illius Eccleſię, vt quicumque ad quemlibet* Ordinem*, vel etiam ad Epiſcopatum, conſecrandus accederet, præfixum priùs abſque vlla controuerſia canonem daret.*

XVII. *Hic planè, quot curis afflictus, quot ſim cogitationum ſtimulis tædiatus, quot denique ſuſpiria ex imis viſceribus traxerim, facunda etiam lingua non explicat. Tam lata ſiquidem Diœceſis, tam nobilis Vrbis omnes Eccleſias Sacris Myſterijs profanare, quodammodò Chriſtianę* Religionis *videbatur euerſio. Sed & litigioſum erat indulgere paucis; cùm ferè omnium eſſet culpa communis: nec legitimum videbatur diuerſam in eos prodere ſententiam; cùm eſſet vna omnibus cauſa. Hoc etiam noſtras augmentabat moleſtias; quia, niſi* D

*qualemcumque*

*qualemcumque diuiſionis calculum cauſa iſta ſuſciperet, niſi cum* A *magna hominum ſtrage furentis Populi iurgia non ceſſarent:*

XVIII. *Tunc inter multas diſceptationes proceſſit in medium illa Innocentij Papæ ſententia, ab antiquioribus inuenta:* QVOD A MVLTIS PECCATVR, INVLTVM EST. *Illa quoque diſcretio ad memoriam rediji, qua Sancti vſi ſunt Pontifices, & authentici Canonum Conditores, de Donatiſtis, Nouatianis, ac reliquis, qui apud diuerſas hæreſes ordinati ſunt. Item etiam nos non præterijt quod veſtra memoria Nonus Leo Papa pleroſque Simoniacos, & malè promotos, tamquàm nouiter ordinauit.* Multa igitur Patrum pronunciata, huc ſpectantia, recitat hoc loco Petrus, ac demùm ita B concludit:

XIX. *In arcto itaque poſiti, quia non poteramus mala illius Eccleſiæ mera Canonum auctoritate corrigere; ſtuduimus ſaltem peruerſis eius vſibus finem imponere, ac gratuitum promotionis ordinem futuris temporibus prouidere. Exegimus igitur extunc & deinceps gratuitæ promotionis inuiolabilem ſponſionem, priùs per monimenta litterarum, deinde per manum, poſtremò per Euangelicum ſacramentum.*

XX. *Et quidem ſponſio ſtylo digeſta, vt apud nos habetur, hic ſimpliciter tranſcribatur: Guido, diuina gratia Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, omnibus Chriſti Fidelibus, eiuſdem Eccleſiæ filijs, Clero &* C *Populo, æternam ſalutem in Domino. Non ignorat ſancta Deuotio veſtra, Dilectiſsimi Fratres & Filij, quàm reproba, quàm deteſtabilis, Deo odibilis, ignominioſa, atque peruerſa, omniumquè Sanctorum Canonum auctoritate damnata conſuetudo in hac Sancta Eccleſia, cui Deo auctore deſeruio, antiquitùs inoleuit: quamquè lethalis atque peſtifera lepra animas innocentium contaminatione perfuderit. Simoniaca videlicet hæreſis damnata ſemperquè damnanda venalitas, & pernicioſa negotiatio huiuſmodi, quæ in hac Sancta Eccleſia conſuetudinaliter obtinebat: vt, quiſquis ad Clericales Ordines prouehendus accederet, de Subdiaconatu quidem duodecim nummos, de* D *Diaconatu verò decem & octo, poſtremò de Presbyteratu ſuſcipiendo viginti-quatuor, quaſi per præfixam conditionis regulam, daret. Hoc itaque modo Simon Magus (heu proh dolor!) hanc Sanctam Ambroſianam Eccleſiam peruerſitatis ſuæ velut officinam fecerat: Follem, malleos, & incudem trapezita ac monetarius iniquitatis habebat: nihilquè aliud, niſi animarum omnium omne periculum, fabricabat.*

XXI. *Noſtris*

XXI.*Noſtris verò temporibus quia Saluator noſter, pius ac miſericors, Ple-* A
*bem ſuam, quam pio cruore redemerat, ſub hac mortiferi languoris*
*atrocia perire condoluit; velut ad obuiandum ac viriliter obſiſtendum*
*voraci ac virulento Draconi, veſtros animos, viſitante Spiritus San-*
*cti gratia, concorditer incitauit; itaut quibuſdam ex noſtris, Sedem*
*Apoſtolicam adeuntibus, tantum huius Terræ periculum Sanctus ac*
*Deo dignus Nicolaus Papa cognoſceret; atque ad compeſcendum &*
*funditùs extirpandum hoc facinus Dominum Oſtienſem, Petrum*
*Epiſcopum deſtinaret.*

XXII *Quapropter, Dilectiſsimi Fratres, in conſpectu Dei Omnipotentis, &*
*Filij eius Ieſu Chriſti qui iudicaturus eſt viuos & mortuos, & Spi-* B
*ritus Sancti qui hanc peſtem ſpecialiter damnat ac deſtruit, ſub teſ-*
*timonio omnium Angelorum cunctorumquè Sanctorum Dei, præſen-*
*te iamdicto Domno Petro Epiſcopo, & etiam Venerando Domno*
*Anſelmo Lucenſi Epiſcopo, & omnibus vobis, damno, deteſtor, ac*
*reprobam iudico hanc peruerſam, quæ hactenùs viguit in hac Eccle-*
*ſia, negotiandi conſuetudinem, omnemquè Simoniacam hæreſim.*

XXIII.*Inſuper obligo non ſolùm me, ſed & omnes Clericos meos qui nunc ſunt,*
*omneſquè ſucceſſores noſtros, & inuiolabili nodo firmiſsimæ promiſ-*
*ſionis aſtringo, vt nec ego, nec quiſquam ſucceſſor meus, nec Inqui-*
*ſitor, nec Todolanus* (aliter *Rodolarius*; alterutrum verò vocabu- C
lum videtur eſſe Miniſtri alicuius, qui reditus Archiepiſcopales
ex officio exigeret) *nec aliquis huiuſmodi, de promouendis ad Ec-*
*cleſiaſticos Ordines aliquid tollat. Quòd ſi, ſuadente Diabolo, ſiue*
*aliquis noſtrum qui nunc ſumus, ſiue ſucceſſorum qui poſt nos futuri*
*ſunt, huius ſaluberrimæ promiſsionis violator extiterit, & aliquid in*
*conferendis Ordinibus tollere peſtifera negotiatione præſumpſerit; da-*
*tor ſimul & acceptor, cum ipſo hæreſis huius auctore Simone, perpe-*
*tuo anathematis vinculo conſtringantur; & à Dei Omnipotentis om-*
*niumquè Sanctorum conſortio ſeparentur; cum Iuda & Caipha, cum*
*Dathan & Abiron ſub æterna damnationis atrocitate damnentur.* D

XXIV.*Nicolaitarum quoque hæreſim nihilò minùs condemnamus: & non*
*modò Presbyteros, ſed & Diaconos, & Subdiaconos ab vxorum vel*
*concubinarum fœdo conſortiò noſtris ſtudijs, in quantum poſſibilitas*
*nobis fuerit, ſub eodem, quo ſupra, teſtimonio arcendos eſſe promit-*
*timus.*

XXV.*Quod vt veriùs credatur, nos cum noſtris Clericis propria manu ſub-*
*ſcribendo firmamus, ſigilli quoque noſtri formam imprimi iubemus.*
*Inſuper*

*Inſuper hoc addentes, ac ſub eiuſdem ſponſionis vinculo inuiolabiliter promittentes, vt nec de Abbatijs ordinandis, nec de Capellis vel quibuslibet Eccleſijs inueſtiendis vel ordinandis ſiue tradendis, nec de Epiſcopis promouendis, nec de Sacroſancto Chriſmate, nec de Conſecratione Eccleſiarum, vel nos vel noſtri familiares aliquid omninò tollamus. Spiritus Sanctus, qui ſanctorum chariſmatum auctor eſt, nos noſtroſquè ſucceſſores ab omni vinculo præfatæ maledictionis eripiat; ita tamen, vt hanc ſaluberrimam Conſtitutionem perſeueranter implere concedat; qui cum Patre & Filio viuit in ſæcula ſæculorum. Amen.* A

*Ego, Dei gratia Guido Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, hanc ſponſionem, à me factam, firmaui, roboraui, atque ſubſcripſi.* B
*Odaldericus, Vicedominus & Presbyter, ſubſcripſi.*
*Fribertus, Presbyter, ſubſcripſi.*
*Arderatus, Presbyter, ſubſcripſi.*
*Ariprandus, indignus Diaconus, ſubſcripſi.*
*Ardericus, Diaconus, ſubſcripſi.*
*Ambroſius, Diaconus, ſubſcripſi.*
*Ago, Diaconus, ſubſcripſi.*
*Adam, Subdiaconus, ſubſcripſi.*
*Arnulphus, Subdiaconus, ſubſcripſi.* C
*Eſprandus, Subdiaconus, ſubſcripſi.*
*Landulphus, Subdiaconus, ſubſcripſi.*
*Acto, Subdiaconus, ſubſcripſi.*
*Et alij ſubſcripſere.*

XXVI. *Poſtmodùm accedens idem Archiepiſcopus ad Sacrum Altare, præſente Domno Lucenſe, iurauit in manu mea, dicens: Si hæc de Simoniaca & Nicolaitarum hæreſi, delenda & funditùs deſtruenda, fideliter non obſeruauero; ab Omnipotenti Deo & omnibus Sanctis ſim excommunicatus & anathematizatus; & ab omni Chriſtianorum conſortio efficiar alienus.* D

XXVII. *Similiter & Vicedominus & Cancellarius eius, & omnes alij qui aderant Clerici, manus ſuas in manus meas dederunt, & eadem excommunicationis & anathematis verba dixerunt.*

XXVIII. *Deinde acceſſit Arnulphus, nepos Archiepiſcopi, honeſtus videlicet & prudens Clericus: cuius vnam manum Archiepiſcopus tenuit, alteram ipſe ſuper Sanctum Euangelium poſuit, & iurauit, dicens: Dominus meus Archiepiſcopus, qui hîc eſt, ab hodie & antea, &*

quod

A *quod promiſit de caſtitate Clericorum, fideliter obſeruabit. Inſuper* A
*& nunquàm conſecrabit alicuius Ordinis Clericum ſuæ Diœceſis,*
*præter Monachos, quem ante promotionem non faciat iurare, quod in*
*hoc Breuiculo ſcriptum eſt. Sic me Deus adiuuet, & Sancta iſta*
*Euangelia.*

XXIX. *Breuiculus ſacramenti eorum, qui promouentur: Pro ſuſcipiendis*
*Eccleſiaſticis Gradibus, ſiue per me, ſiue per ſubmiſſam perſonam,*
*ſiue per quodlibet ingenium, nec dedi, nec promiſi, nec per promiſ-*
*ſionem daturus ſum aliquid. Sic me Deus adiuuet, & iſta Sancta*
*Euangelia.*

XXX. *Hoc facto, Dominus Archiepiſcopus illicò in pauimentum cum omni* B
*humilitate proſternitur, & iniungi ſibi pœnitentiam pro venalitatis hu-*
*ius nefandæ commercio deprecatur: cuius videlicet ſceleris licet in illa*
*Eccleſia non ipſe primus extiterit auctor; non tamen, vt debuit, fue-*
*rat extirpator. Centum itaque Annorum ipſi pœnitentiam indidi: re-*
*demptionemquè eius taxatam per vnumquemque Annum pecuniæ*
*quantitate præfixi.*

XXXI. *Mox Maiorem Eccleſiam ſimul ingreſſi, pulpitum aſcendimus.*
*Tunc, coram copioſo Populo & Clero, Clericum ſuum tactis Sacro-*
*ſanctis Euangelijs iurare feci, quòd ipſe Archiepiſcopus, donec adui-*
*uet, in quantum poſſet (recepta bonorum ſuorum damnatione, ſi nol-* C
*let) iſtas duas, Nicolaitarum videlicet & Simoniacam, hæreſes om-*
*ni ſtudio totiſquè viribus ſincerè ac fideliter extirpare contenderet; ita-*
*ut nec Presbytero, nec Diacono, nec Subdiacono fœminam cum Gra-*
*du ſimul habere permitteret; à conferendis etiam Eccleſiaſticis Sa-*
*cramentis venalitatis omne commercium funditùs prohiberet.*

XXXII. *Idipſum iuſiurandum contra Simoniacos & Nicolaitas permaxi-*
*ma pars Populi, non modò Ciuilis, ſed & ſuburbani, iam dederat:*
*quorum videlicet multitudo, vt fertur, numerum excedebat.*

XXXIII. *His ita geſtis, conſideratiſquè Sanctorum Patrum ſententijs, quos*
*ſuperiùs memorauimus, aliorumquè, quos ſtudio breuitatis omiſimus;* D
*viſum eſt nobis, vt omnes illi Clerici, accepta pœnitentia, inter Miſ-*
*ſarum ſolemnia reconciliarentur, ornamenta de manu Epiſcopi reci-*
*pientes; ſicut Fulbertum Epiſcopum ſupra notauimus dediſſe conſi-*
*lium; hoc tamen priùs, quod infra ſcriptum eſt, ante Sanctum Al-*
*tare legentes.* Quibus ad extremum verbis Petrus Damiani for-
mulam ipſam innuit Iuramenti, quod à Clericis, qui reconcilia-
tione indigerent, præſtandum erat. Sicut autem illud incipit

*Ego Arialdus, dictus Diaconus de Capella Mediolanenſis Archie-* A
*piſcopi*; ſic etiam & Baronius, vt ſupra vidimus Libro 1 Cap. 20.
Num. 7. & Conſtantinus in ſua Operum Petri Damiani editione,
ſuiſque ad hunc Opuſculi Quinti locum Notis Marginalibus,
exiſtimarunt, Arialdum illum fuiſſe Martyrem hunc noſtrum,
cuius Vitàm hoc Opere illuſtrandum ſuſcepimus. Sed ab ipſis
ego quidem hac in parte diſſentio. Etenim Arialdus, initio hu-
ius formulæ nominatus, non minùs eam ſibi, quàm cæteris con-
texuit Clericis, qui reconciliatione tunc illa indigerent. Quam-
obrem illa etiam ipſe tunc indigebat; cùm alioqui Martyr ipſe
noſter minimè quidem illa indigeret. Sed formulam ipſam, ſi- B
cut à Petro Damiani mox recitatur, depromamus.

XXXIV. *Ego Arialdus, dictus Diaconus de Capella Mediolanenſis Ar-*
*chiepiſcopi, hac ſcriptura, quam manu mea ſcripſi, profiteor, me*
*eam fidem tenere, quam Sacroſancta ſeptem Concilia Euangelica &*
*Apoſtolica auctoritate firmarunt, & quam Beatiſſimi Pontifices Ro-*
*mani, promulgata prædicatione lucidiſſimæ veritatis, expoſuerunt.*
*Anathematizo quoque generaliter omnes hæreſes, extollentes ſe ad-*
*uersùs Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam: ſpecialiter*
*vero ac nominatim Simoniacam hæreſim, quæ in ipſam Eccleſiam*
*conatur introducere Sacrorum Ordinum ſiue Officiorum maledictam* C
*venalitatem: deinde Nicolaitarum æquè abominabilem hæreſim, quæ*
*impudenter latrat, Sacri Altaris Miniſtros debere vel poſſe licenter*
*vti coniugibus, quomodò & Laicos. Vnde, quia his diebus hæ duæ*
*hæreſes, ſcilicet Simoniacorum & Nicolaitarum, grauiùs Eccleſiam*
*Dei vexant & impugnant; Simoniacos omnes & Nicolaitas cum*
*dogmatum Auctoribus, ſectatoribuſquè ſuis, æterno anathemate di-*
*gnos eſſe pronuncio; iurans per Sanctam & Homouſion Trinitatem.*

XXXV. *Pœnitentia Clericorum talis eſt: Hi nimirum, qui ſolum conſtitu-*
*tæ à Diabolo regulæ canonem dederunt, itaut nonnulli eorum vix pec-*
*catum hoc eſſe cognoſcerent, quinque Annorum pœnitentiam accepe-* D
*runt, hoc modo: vt omni tempore, æſtate ſimul & hyeme, duos dies*
*ieiunent in pane & aqua: duabus autem anni Quadrageſimis, Na-*
*talem videlicet & Sanctum Paſcha præcedentibus, tres dies per heb-*
*domadam ieiunent in pane & aqua. Eorum autem, qui plus dede-*
*runt, ſeptem Annorum eſt pœnitentia, ſub eadem videlicet ieiunij*
*quantitate diſtincta. Poſt quod ſeptennium, quamdiu vixerint, ſex-*
*tam feriam ieiunabunt. Qui autem ieiunare facilè non poteſt, vnum*

*ex*

*ex his diem per omnem hebdomadam redimere licentiam habet;ita ut* A
*vnum Pſalterium meditetur, aut medium cum quinquaginta metanœis* (ſiue pœnitentijs) *aut vnum pauperem paſcat, & lotis pedibus nummum porrigat. Hoc inſuper Domno Archiepiſcopo promittente, quod omnes orationis cauſa procul ipſe diriget, ſiue videlicet* Romam, *ſiue Turonum: ipſe autem Archiepiſcopus profecturum ſe ad Beati Iacobi venerabilem Tumulum, qui eſt in Hiſpania, diſponebat.*

XXXVI. *His itaque tali modo reconciliatis, decretum eſt, vt non mox paſſim omnibus redderetur officium; ſed his dumtaxat, qui & litteris eruditi, & caſti, & morum grauitate viderentur honeſti: cæteris autem ſufficeret, quòd Sanctæ Eccleſiæ per diuinam gratiam eſſent rur-* B
*sùm inſerti, à qua eatenùs fuerant diræ ſententiæ falce præciſi. Illi etiam ipſi, quibus miniſtrandi licentia redditur, non ex malè mercata veteri ordinatione ad miſſum reparantur officium; ſed ex illa potiùs Beati Apoſtolorum Principis efficaciſsima auctoritate, qua in Beatum Apollinarem repentè vſus eſt, dicens: Surge: Accipe Spiritum Sanctum, ſimulquè Pontificatum.*

XXXVII. *Ecce omnem diſcretionis illius ordinem, apud Mediolanenſem Eccleſiam habitum, breuiter expoſuimus: adhuc tamen, vtrùm Sedis Apoſtolicæ iudicio placeat, ignoramus. Nos enim, ſi quid errauimus, ad Petri magiſterium corrigendi libenter accedimus, & re-* C
*tractationis opprobrium non veremur. Hæc eſt enim illa (vt ita loquamur) officina fabrilis, cui nimirùm is, qui Fabri dicebatur Filius, præſidet: ad cuius regulam omnis meritò moneta reducitur (*niſi fortè legendum potiùs eſt *recuditur) ad cuius rectitudinis lineam, quidquid vſpiàm deprauatum fuerit, reformatur. Vtrùm autem ego in reconciliatione illorum errauerim, neſcio.*

XXXVIII. *Vnum autem per Omnipotentis Dei clementiam ſpero, quia poſt tot iurationis genera, quibus Archiepiſcopus hæc pia iuſſa firmauit, poſt ſacramenta tam multiplicis Populi per Euangelium data, poſt iuramenta certa omnium Clericorum ante Sanctum Altare,* D
*litteris & proprio ore prolata, vtraque iſta hæreſes ſic in illa Eccleſia ſunt per argumenta prouidæ correctionis attrita, vt auctore Deo noſtris temporibus non ſint ad rediuiua certamina reparandæ. Apoſtolica tamen Sedes hæc, apud ſe tractanda, diſcutiat; &, vtrùm puncto an lima digna ſint, ex auctoritatis ſuæ cenſura diſcernat.*

XXXIX. Talia igitur ad verbum illa ſunt, quibus Petrus Damiani, Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis, Legationem hanc, ſibi & An-

ſelmo Lucenſi Epiſcopo à Nicolao Papa Secundo ad Mediolanenſes noſtros demandatam, deſcribebat, deſcriptamquè, ſicut executioni mandata fuerat, ad Hildebrandum tranſmittebat Archidiaconum, qui poſtea creatus eſt Pontifex Romanus, & Gregorij Septimi nomine appellatus. Opuſculum profectò ac munus & Petro ipſo & Hildebrando dignum, præſentiquè Operi noſtro neceſſarium, & ad poſteritatis memoriam perpetuò cuſtodiendum: quod propterea, ſicut & ipſamet Legatorum Acta, in eo deſcripta, dubium mihi nullum eſt, quin Apoſtolicæ item Sedis iudicio poſtea placuerint. A

XXXX. Non ea tamen ſatis Arnulpho placuerunt, Hiſtorico noſtrati, B factionis nimirùm aduerſæ homini, nimiumquè Clericis vxoratis & Simoniacis indulgenti. De Legatis Pontificijs, Mediolanum miſſis, ea ſcripſerat, quæ recitabam ego Capite 7. Num. 4. cùm de ipſis in commune ſic addidit: *Qui ſi in conueniendo Populum diligenter attenderent dicentem Apoſtolum, Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem; profectò ſibi & Clero opportunè conſulerent.* Ipſius quippe opinione, ſed erronea, talem Apoſtoli ſententiam ij Legati diligenter non attenderant; proptereaquè in eiuſmodi Legationibus placere ſtudentes hominibus, neque ſe geſſerant vt Chriſti ſeruos, neque ſibi & Clero opportunè conſuluerant. C Quamobrem, flexa protinùs ad præſentis Capitis Legationem narratione, vide quemadmodùm ille præcipiti & inconſulto calamo progrederetur. Inquit enim: *Verumtamen Oſtienſis ille Petrus, congregata tunc Mediolani Ambroſiana Synodo, vt vidit Clericorum nobilium ordinem, perſonarum ſtatum cultumquè veſtium perpendit, etiam morum probitates, ac diſpertita ſingulis competenter officia; teſtatus eſt ad verum, numquàm talem vidiſſe Clerum. Tamen in præſenti cœtu, quia Romanus erat, Archiepiſcopo præſidere contendit. Vnde ſubitò factus popularis in Vrbe tumultus; vt, niſi ceſſiſſet illius humilitas quod ſuum* D *erat, feciſſet impetus, non quidem gratia Guidonis, ſed Ambroſiani cauſa honoris. Præterea cùm perciperet quorumdam ex Clero reatus; ſeruata ſibi ſuper omnibus poteſtate, prout complacuit, culpas dijudicauit.* Vt enim caueatur mendacium (quod vtique multis item alijs in rebus, ad hanc Cleri Populiquè controuerſiam pertinentibus, cauendum illi erat) *non ex toto fuerant omnes ab obiectis immunes. Deinde rude conſtitutum, abolito veteri Mediolanenſis*

*Eccleſiæ,*

*Eccleſiæ, à ſe factis indidit litteris: cui Archiepiſcopus cum Ordinarijs, cogente ac vociferante Populo, ſubſcripſit inuitus.* Quid, quod etiam furenter ille ſic exclamat? *O inſenſati Mediolanenſes, quis vos faſcinauit? Heri clamaſtis vnius Sellæ principatum; hodie confunditis totius Eccleſiæ ſtatum. Verè culicem liquantes, & camelum glutientes. Nonne ſanctius hoc videlicet procurauit Epiſcopus? Fortè dicetis: Veneranda eſt Roma in Apoſtolo. Eſt vtique; ſed nec ſpernendum Mediolanum in Ambroſio. Certè certè non abſque re ſcripta ſunt hæc in Romanis Annalibus. Dicetur enim in poſterum ſubiectum Romæ Mediolanum. Ecce Metropolitanus veſter præſolito Romanam vocatus ad Synodum abijt; ſed contra noſtros affectus proſper ſit illi ad cuncta ſucceſſus. Decibiliter equidem tractatur ab Apoſtolico Nicolao, cuius dextro poſitus eſt in præſenti Synodo* (de qua nempe nos agemus Capite ſequenti) *latere*. Sic igitur furens ac fremens eo Libro tertio, Capite 10. deſipiebat Arnulphus, & præcipuè contra Primatum Eccleſiæ Romanæ. Benè tamen ſe res habet, quòd ille poſtea reſipuit; ac ſuorum erratorum veniam pœnitenter precatus eſt Libro 4. Cap. 8. A B

XXXXI. Triſtanus porrò Chalcus Hiſtoriæ Patriæ Libro 6. intra temporis ſpatium illud, quod ab Anno Chriſti 1054. vſque ad 1060. effluxit, nulla facta diſtinctione inter Legationem, quam Stephanus quamquè Nicolaus Romani Pontifices per hæc tempora miſerunt Mediolanum, ex eodem illo Arnulphi Libro 3. deſcripſit ea, quæ à Petro Damiani geſta ſunt in hac ſecunda Legatione; ac pleraque propterea perperàm deſcripſit, quæ pariter ex ipſomet illo Petri Damiani Opuſculo corrigenda erunt. C

XXXXII. Inter hos autem Triſtani errores proprius etiam ipſius & ſingularis hic fuit, quòd ſingillatim & veluti per partes eam deſcripturus Cleri Mediolanenſis ſiue Metropolitani maieſtatem, quam teſte item Arnulpho Petrus Damiani tantopere mirabatur, inter cæteras Dignitates, quæ tunc temporis in Baſilica Metropolitana eſſent, enumerauit etiam Præpoſituram; quæ tamen illic eo tempore nondùm erat inſtituta. Eam enim ſine dubio primus inſtituit ſuiſquè reditibus dotauit Archiepiſcopus noſter Ioannes Vicecomes, huius nominis Secundus, Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo-primo, Eugenij Papæ Quarti vndecimo, Indictione quarta, decimoquè Iulij menſis die. Sic enim ego ex authentico eius rei Documento didici, D

didici, ſuppeditato per litteratiſſimum, ac litteratum ſtudioſis A mihiquè nominatim (ſicut etiam Diſſertationis meæ Nazarianæ Capite 2. profitebar) beneficentiſsimum, immortaliquè memoria dignum, Marchionem Vercellinum Mariam Vicecomitem; videlicet ex ijs vnum Patronis, penès quos gentilitium ius ac poteſtas hodiequè perſeuerat eligendi ac nominandi Præpoſitum illum. Sed eo tamen tempore Ioannes ille nudum ſibi retinebat Archiepiſcopi nomen, è Mediolanenſi nimirùm Archiepiſcopatu, quem aliquandiu ex Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo-nono, decimoquè Februarij die, quo conſecratus fuit, adminiſtrauerat; quemquè poſtea Bartholomæo ceſſerat B Capræ. Sicut enim auxilio & fauore Domini Malateſtæ de Malateſtis, cùm ſocer eſſet Ioannis Mariæ Angli Ducis Secundi, cùmquè ipſius nomine Vrbem hanc gubernaret, creatus fuerat Archiepiſcopus; ſic Vrbis adminiſtratione ad Comitem Facinum Canem translata, primò pauidus profugit; deinde verò, lite vexatus, in Concilio Conſtantienſi agitata (de qua legi poteſt Dominicus Geminianus, Iuriſconſultus, Conſilio 141. Tomis Conſiliorum incluſo) Archiepiſcopatu etiam ipſo priuatus eſt. Bartholomæo igitur, vſque ad Annum 1433. ſuperſtiti, ſucceſsit & vſque ad Annum 1441. perſeuerauit Franciſcus Pizolpaſſus. C Subinde verò Henricus de Sancto Alloſio vſque ad Annum 1450. Ac tum denique Ioannes idem ille Vicecomes fauore Franciſci Sfortiæ Ducis in Archiepiſcopatum reſtitutus, in eo vixit vſque ad Annum 1453. & ad tertium Martij menſis diem.

XXXXIII. Per hæc autem ſatis etiam præmonitum ego iam eſſe arbitror Lectorem, ne fortè cum Ioſepho Ripamontio, primam eiuſdem Præpoſituræ originem tradente, aberret. Suarum enim Eccleſiæ Mediolanenſis Hiſtoriarum Parte Secunda, Libroquè duodecimo, non procul ab initio, ſic ille narrabat: *Philippus Maria, Vicecomitum Ducum vltimus, deceſſit Anno Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo-ſeptimo. Tempuſquè id eſſe depellendæ ſeruitutis rati Mediolanenſes; fortiùs omnino quàm feliciùs ad eam rem incubuere: iamquè ſeſe pro liberis haud dubiè gerebant. Inter quæ non duraturæ libertatis exordia Archiepiſcopum Mediolani fuiſſe nullum tradidere quidam: quibus ego vtique aſſentirer, niſi potiores apud me Authores alij ſuperſtitem Pontifici Capræ Ioannem Vicecomitem, de quo dixi, alterum facerent. Cùm enim ad Philippi Ma-* D

*ria*

*ria ferè finem* (quod à me negatum iam eſt) *Capra vitam Ponti-* A
*ficatumque perduxerit; contraria ei ſententia & certiſſima coniectu-*
*ra* (nihil minùs) *dari hinc videtur. Neque verò dici poteſt, ſuper-*
*ſtitem Capræ Ioannem illum fortaſsè fuiſſe quidem, ſed nihil iuris,*
*aut poteſtatis ad Eccleſiæ gubernacula habuiſſe; cùm vitio creatus,*
*ideoquè deiectus Pontificatu antea eſſet. Apparet namque, fuiſſe*
*etiam reſtitutum: idquè conuincitur Apoſtolici Diplomatis teſtimo-*
*nio: quo Diplomate piam ipſius mentem de Sacerdotijs quibuſdam*
*nouis* (inter quæ Præpoſitura quoque illa erat) *inſtituendis laudat*
*Pontifex Eugenius: annuitquè, vt ea Sacerdotia ex Apoſtolicæ Se-*
*dis auctoritate inſtituat, quò auctior & florentior in Eccleſia Me-* B
*diolanenſi diuinus cultus eſſe poſſit, & quò pluribus ſimul ipſe mu-*
*nimentis ad æternam ſalutem inſiſtat. Ibi verò & Archiepiſcopum*
*Eccleſiæ Mediolanenſis Apoſtolicæ Litteræ nuncupant Ioannem hunc,*
*Vercellini Vicecomitis filium; & omni alia affabilitate honorequè*
*verborum proſequuntur. Quarum ſanè Litterarum huc transferre*
*ſummam iuuat, vt meliùs clariuſquè noſcatur origo Sacerdotiorum,*
*quæ ab Archiepiſcopo illo Ioanne fundata, gentilitia hodie poſteris eius*
*manent.* Summa igitur earum Litterarum huc translata; ſic
etiam denique concludit: *Minimè igitur ego dubito, quin &*
*Archiepiſcopus iſte Vicecomes, & legitimus Archiepiſcopus Medio-* C
*lani fuerit tunc, cùm Philippo Maria extincto, Vicecomitum no-*
*men ab ſuperbia faſtigioquè Principatus ad priuata fortunæ iura ne-*
*ceſſitateſquè redierat.* Sed in eo tamen fallebatur Ripamontius,
quòd Eugenius Papa Quartus in ſuis Litteris Ioannem illum ap-
pellaſſet quidem Archiepiſcopum, at non *Eccleſiæ Mediolanenſis.*
Sic enim eæ ad verbum ſe habent: *Sanè pro parte Venerabilis*
*fratris noſtri, Ioannis de Vicecomitibus, Archiepiſcopi, nobis nuper*
*exhibita petitio continebat, quòd ipſe* &c. Et eæ quidem ad extre-
mum datæ leguntur *Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Mil-*
*leſimo quadringenteſimo quadrageſimo, tertiodecimo Calendas Sep-* D
*tembris, Pontificatus noſtri Anno decimo.* Similiter verò etiam
ipſummet Inſtitutionis & Dotationis Documentum, vigore
Pontificiarum eiuſmodi Litterarum confectum, ſic incipit: *In*
*nomine Domini. Anno à Natiuitate eiuſdem Milleſimo quadrin-*
*genteſimo quadrageſimo primo, Indictione quarta, die Lunæ, deci-*
*mo menſis Iulij, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Do-*
*mini noſtri, Domini Eugenij, diuina prouidentia Papæ Quarti,*

*Anno*

*Anno vndecimo. Reuerendiſsimus in Chriſto Pater & Dominus,* A
*Dominus Ioannes de Vicecomitibus Archiepiſcopus, filius quondàm*
*bonæ memoriæ Magnifici Domini Vercellini, Militis, Ciuitatis Me-*
*diolani, Portæ Ticinenſis, Parochiæ Sancti Ambroſij in Solayrolo*
(ſiue, vt nunc communiter loquimur; *Sancti Ambroſini in Sola-*
*riolo) aſpirans propenſiùs ad Maioris Eccleſiæ Mediolanenſis ve-*
*nuſtatem, & decorem, ac diuini in ea cultus augmentum* &c. Quo
igitur tempore Philippus Maria, Vicecomitum Mediolani Du-
cum vltimus, occubuit; verè tunc Mediolanenſem hanc Eccle-
ſiam regebat Archiepiſcopus non alius, quàm Henricus de San-
cto Alloſio; neque Ioannes ille noſter Vicecomes eius regimen B
ante recuperauit, quàm Henricus ipſe Anno Domini Milleſimo
quadringenteſimo quinquageſimo ex hac vita exceſſerit.

XXXXIV. Placet autem hoc tandem loco, gratiſsimæ inſtar appendi-
cis, adijcere Pontificiam Epiſtolam, quam nuper à ſe inuentam
mihi humaniſsimè communicauit proſpicaciſsimus ille Eques
& Marchio, quem paulò ante nominabam, Vercellinus Maria
Vicecomes, conquirendis vndique ac portentoſa illa ſua celeri-
tate lectitandis veteribus litterarum Monumentis nunquàm de-
feſſus. Ea verò ad verbum ita prorsùs ſe habet: *Nicolaus Papa*
*Quintus Venerabili fratri Iohanni Vicecomiti, Archiepiſcopo Medio-* C
*lanenſi: Venerabilis frater, Salutem & Apoſtolicam Benedictio-*
*nem. Non modicum admiramur, nihil actum eſſe à tua fraterni-*
*tate in cauſa, de qua tibi ſcripſimus, cùm te adhortaremur, vt par-*
*tem anteriorem Eccleſiæ Sancti Ambroſij Mediolanenſis, incendio*
*collapſam ex defectu Iacobi de Foſſato, Præpoſiti Sancti Georgij,*
*ibidem eiuſdem Præpoſiti impenſis reparari faceres, prout æquum eſt.*
*Credidimus, tuam fraternitatem etiam ſine Litteris & monitis noſtris*
*id ex debito officij tui fuiſſe facturam. Cui enim magis conuenit,*
*quàm Paſtori Ciuitatis, Sacrarum Ædium habere curam? aut*
*quam potiùs Eccleſiam ſub tua protectione & cura ſuſcipere &* D
*tueri debes, quàm eam, quæ Patronalis eſt in tua Ciuitate, multis de*
*cauſis, nec tibi incognitis, celebrem atque venerandam? Si id à Præ-*
*ſule quopiam extero atque alienigena fieret; doleremus vtique; ve-*
*rùm aliquantò patientiùs ferendum putaremus. A te verò, qui non*
*Præſul ſed Ciuis es ea in Vrbe,* IN QVA OSSA EIVSDEM
BEATISSIMI CONFESSORIS ASSERVANTVR, *quem*
*tui maiores ſummo honore ſemper coluerunt, hæc tam negligenter*

*animaduerti,*

*animaduerti, vt Præpoſiti illius temeritate, non ſolùm ſtramine & fœnio deturpari, ſed etiam igni ſubijci patiaris, nulla eidem pro culpa & ſacrilegio debita illata pœna, & miràmur & dolemus; potiſſimùm, cùm querelarum ſtrepitu & indignationibus Ciuium tuorum quotidie propulſentur aures noſtræ; admirenturquè omnes & tuam in hac re negligentiam, & noſtram, ab ipſis non ſatis probatam, patientiam, qui huiuſmodi flagitia impunita perferamus. Volumus igitur, & tibi in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, quatenùs memoratum Iacobum de Foſſato, Præpoſitum Sancti Georgij, vt præfertur, ſtatim admoneas, & eidem in mandatis ſtrictiùs iniungas noſtri parte, vt intra terminum duorum menſium à receptione præſentium dictam partem anteriorem Eccleſiæ Sancti Ambroſij ibidem,* QVÆ CORTINA ET PARADISVS VVLGARITER NVNCVPATVR, *eius culpa ab incendio deletam, proprijs impenſis in priſtinam formam ſtatumquè reſtituat, nec vlteriùs ſtramina aut aliud immundum & indignum ſacri loci inhabitatione quoquomodo ibidem reponere præſumat. Quod ſi fortè neglexerit, aut mandatis tuis nullatenùs obſecutus fuerit; volumus, vt declares exnunc elapſo dicto termino duorum menſium, eumdem omnium Beneficiorum ſuorum, quæ tenet & poſſidet, priuationem incurriſſe. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die vigeſima-ſecunda Ianuarij; Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo-tertio, Pontificatus noſtri Anno ſexto.* Hactenùs ea Nicolai Papæ Quinti Epiſtola.

XXXXV. Fortè autem Ioanni Archiepiſcopo ne tradita quidem illa fuit; quippe cùm ipſe poſtea proximi menſis Martij die tertio ſupremum vitæ ſuæ clauſerit diem; ſicut in fine Numeri 42. dicebamus. Eadem verò authenticis confita erat Ambroſij Martini de Meda publici hac in Vrbe Notarij Actis, è quibus hæc inſuper conſtant. Cortinam quidem illam, ſiue illius teſtudinem ac tectum, à Præpoſito illo San-Georgiano fuiſſe reparatam, ſed impenſis Ambroſianæ Baſilicæ, per ipſum interim ſuppeditatis; ac propterea eodem Anno 1453. die Octobris vigeſima, eidem Præpoſito ab eiuſdem Baſilicæ Capitulo aſſignatos fuiſſe omnes Superſtantiæ (ſic enim tunc appellabant, quam nunc Fabricam dicimus) fructus. Id tamen poſtea Gabrieli Sfortiæ, poſt Nicolaum Amidanum proximum Ioannis ſucceſſorem Archiepiſcopo, iniuſtum eſſe viſum; ac litem Præpoſito illi (cæteroqui litigioſiſſimo)

 giosiſſimo)

gioſiſſimo) intentatam Anno 1456. die decima-octaua Nouem- A
bris, ac denique contra ipſum dijudicatam, & in publicas redactam Tabulas tertio ſubinde Decembris die. *Certum eſt enim* (ſicut inter alias nonnullas eiuſmodi Sententiæ cauſas in eiſdem legitur Actis) *& ex ipſius Præpoſiti iurata confeſſione conſtat; Præpoſitum ipſum ſub dicta Cortina maximam fœni venalis quantitatem reponi feciſſe, & Eccleſiam ipſam fœno venali & ſtramine deturpaſſe; licet alia loca forent in Ciuitate & ſuburbijs Mediolanenſibus, in quibus honeſtiùs fœnum ipſum collocari poterat, etiam abſque periculo ſtipendiatorum* (nempè militum) *quod tamen illo tunc non imminebat. Certum eſt, Dominum Abbatem & nonnullos ex Ca-* B
*nonicis contradixiſſe.* Sicut autem in ſuperioribus dictum iam fuerat; *Nec eum* (videlicet Præpoſitum San-Georgianum) *quouis modo excuſare poteſt, quòd à Præpoſito Eccleſiæ Sancti Ambroſij prædicta, germano ſuo, licentiam habuerit de dicto fœno in ipſam Cortinam ponendo; cùm ipſe dictam licentiam petere, & illi germanus ſuus eam* (cùm illicita, & ab honeſtate Eccleſiæ ac iure prohibita dignoſcatur) *concedere nullatenùs debuerit.* Et hæc pro præſenti appendice ſatis ſint.

## *CAPVT XI.* C

*Eodem Anno Domini 1059. Nicolaus Papa Secundus, Archiepiſcopo etiam noſtro ac Sancto Arialdo præſentibus, Concilium celebrat Romanum, in quo aduerſus etiam Simoniacos & incontinentes Clericos decernitur.*

I. COncilium Romanum, de quo nunc agitur, illud eſt, quod ego proximo Capite 10. Num. 2. Arnulphi teſtimonio fretus celebratum aſſerebam poſt ſecundam illam Legationem, ad Mediolanenſes à Nicolao Papa miſſam: & ad quod vo- D
catum fuiſſe Guidonem Archiepiſcopum noſtrum, eodem teſte Arnulpho, oſtendebam Num. 40. cùm ipſamet eius verba recitarem.

II. Quæ porrò ibidem protinùs ſequebantur, hæc ſunt: *Ad quem accuſandum cùm Arialdus ille delator aſſurgeret; protinùs ex aduerſo ſtantes, Aſtenſis, Nouarienſis, ac Taurinenſis, & reliqui Suffraganei Præſules, coràm omni cœtu falſidicum illum Scripturarum auc-*

toritate

*toritate refellunt; ſicquè confutatus ab omnibus reſedit interea confu-* A
*ſus. Proinde Archiepiſcopus cùm promitteret Domino Papæ deinde*
*obedientiam; accepto ab eo annulo Apoſtolicæ gratiæ, ac totius digni-*
*tatis Eccleſiaſticæ, redit in omnibus glorioſus.* Hæc Arnulphus,
Arialdi eiuſquè aſſeclarum iuratus, vt ſæpè iam dictum eſt, hoſ-
tis: quæ non impari hoſtilitate Triſtanus etiam proſecutus eſt
Chalcus. Etenim ſexto illo Hiſtoriæ Patriæ Libro locoquè iam
ſæpè memorato, ſic inquit: *Hinc digreſſi Oratores* (Petrus nem-
pè Damiani & Anſelmus de Badagio, à Nicolao Papa huc miſſi)
*Romam euocari Archiepiſcopum noſtrum curarunt. Quo ad dex-*
*teram Nicolai Pontificis ſedente, Arialdus meditata oratione in fa-* B
*ciem repetiuit ea, quæ abſenti quondàm obiecerat, vitam moreſquè*
*Clericorum lacerando. Cui pari animo prudentiaquè reſtitere tres*
*Epiſcopi, Aſtenſis, Taurinenſis, & Nouarienſis: atque ita acutè &*
*diligenter obiecta diluere; vt nihil, quod contra hiſceret, Arialdus*
*haberet; ac penitùs erubeſcens, ſponte ſua concione abiret. Iurauit*
*deinde Archiepiſcopus in verba Romani Pontificis: annulum cæte-*
*raquè Eccleſiaſticæ auctoritatis inſignia accepit: atque in Patriam*
*reuertitur.*

III. Parciùs hac de re Carolus Sigonius Libro 9. de Regno Italiæ, ad
Annum 1059. his verbis: *Profecto inde Mediolano Legato* (Petro C
Damiani) *Archiepiſcopus, aſperis Clericorum ſuorum conuicijs lace-*
*ratus, quòd Mediolanenſis libertatem Eccleſiæ prodidiſſet; in ſen-*
*tentia caſtitatis non perſtitit, ſed promiſcuos mulierum concubitus*
*annuit.*

IV. Hæc ipſa igitur mihi quoque vera videtur cauſa, cur Guido Ar-
chiepiſcopus ad Concilium illud præ ſolito (vt Arnulphus aie-
bat) euocatus fuerit; ibiquè ab Arialdo, viro cæteroqui integer-
rimo, iuſtitiæquè pariter ac Eccleſiaſticæ diſciplinæ amantiſſimo,
accuſatus; & ad iurandam denuò Pontifici obedientiam adactus.
Sed hæc ipſa cauſa (de qua, ſicut & de ſuperiori Legatione, de- D
què præſenti Concilio Romano, altum ac mirabile ſilentium eſt
apud Beatum Andream, & apud Landulphum Iuniorem in
Arialdi Vita) magis etiam ex eiuſdem Concilij Actis eluceſcet.

V. In hoc enim Concilio non ſolùm edita fuit Conſtitutio de Romani
Pontificis electione, ac præterea conceptum fuit Hæreſiarchæ
Berengarij Turonenſis Iuſiurandum pro Catholica Euchariſtiæ
Fide aduerſùs hæreſim, qua infectus ipſe alios etiam multos ad-

huc infecerat;ſed etiam condita fuerunt aduerſus Simoniacos & A
incontinentes Clericos Decreta;qualia ſcilicet non poterant non eſſe Arialdo optatiſſima, vt Apoſtolicæ item Sedis eiuſquè Concilij auctoritate cauſam confirmaret, quam contra Guidonem ipſum Archiepiſcopum defendendam ſuſceperat, & cuius gratia hoc tempore Romam perrexerat.

VI. Hinc igitur meritò etiam Baronius ad Annum 1059. de huius Concilij Decretis loquens, hæc habet Art. 33. *Præterea contra Simoniacos ab eodem Pontifice conſtat conſtitutum fuiſſe Decretum: ex quo tria, quæ ſubſequuntur, Capita Gratianus in ſuo Decretorum Libro deſcripſit his ipſis verbis: Statuimus Decretum de Simoniacis,* B
*tripartita hæreſi: id eſt, de Simoniacis, ſimoniacè ordinatoribus, vel ordinatis: & de Simoniacis ſimoniacè à non Simoniacis: & de Simoniacis non ſimoniacè à Simoniacis. Simoniaci, ſimoniacè ordinati, vel ordinatores, ſecundùm Eccleſiaſticos Canones à proprio gradu decidant. Simoniaci quoque, ſimoniacè à non Simoniacis ordinati, ſimiliter ab officio malè accepto remoueantur. Simoniacos autem, non ſimoniacè à Simoniacis ordinatos, miſericorditer per manus impoſitionem pro temporis neceſſitate in officio concedimus permanere.*

VII. *Et inferiùs: De cætero ſtatuimus, vt, ſi quis in poſterum ab eo, quem Simoniacum eſſe non dubitat, ſe conſecrari permiſerit; & conſecra-* C
*tor & conſecratus non diſparem damnationis ſententiam ſubeant; ſed vterque depoſitus pœnitentiam agat, & priuatus propria dignitate perſiſtat.*

VIII. *Et ſequenti Capite ita: Erga Simoniacos nullam miſericordiam in dignitate ſeruanda habendam eſſe decernimus; ſed iuxta Canonum ſanctiones, & decreta Sanctorum Patrum eos omninò damnamus; ac, deponendos eſſe, Apoſtolica auctoritate ſancimus.*

IX. Sequitur Baronius: *Hactenùs apud Gratianum. De his etiam Petrus Damiani in Epiſtola ad Florentinos, cùm ab eodem Nicolao* D
*Pontifice ait in hoc Concilio Decretum editum contra Simoniacos, teſtatur his verbis: Conſtitutum eſt in Romano, ſanctæ memoriæ Nicolao Pontifice præſidente, Concilio, vt quicumque per eos, nempè Simoniacos, eatenùs fuiſſent in cuiuslibet Eccleſiaſtici gradus dignitate promoti, in percepti honoris miniſterio permanerent; extunc verò & deinceps, quicumque ſe paterentur à Simoniaco prouehi, nihil penitùs deberent ex ea promotione lucrari; & ſic miniſtrandi iura deponerent, tamquàm ſi hæc nullatenùs percepiſſent. Ita ibi:* concludit Baronius Art. 34.

X. Sic etiam idem poſtea, de Pontifice ipſo loquens Nicolao, hæc Att. 43. addit: *Qui cùm eſſet probatæ caſtitatis Pontifex (vt idem Petrus Damiani Epiſtola de eius electione, ſuperiùs recitata, teſtatur) haud ſocors deſtitit conſulere hac ex parte Eccleſiæ honeſtati. Quamobrem, in hoc etiam Romano Concilio Conſtitutum de honeſtate Clericorum edidiſſe, certum eſt. Citatur illud ab Alexandro, eius ſucceſſore* (Diſt. 32. Cap. *Præter hæc*) *recitaturquè ad omnes Epiſcopos inſcripti Decreti breue fragmentum his verbis: Nullus Miſſam audiat Presbyteri, quem ſcit concubinam indubitanter habere, aut ſubintroductam mulierem. Vnde etiam ipſa Sancta Synodus hoc Capitulum ſub excommunicatione ſtatuit, dicens: Quicumque Sacerdotum & Diaconorum &c. ſicut in ſubſequenti Capitulo Alexandri Secundi continetur.* Hactenùs Baronius.

XI. Benè autem hic ipſe ad eumdem Annum Att. 11. obſeruabat, hoc Concilium Aprili celebratum fuiſſe menſe, centumquè tredecim Epiſcopos eidem affuiſſe præter Abbates, Presbyteros, ac Diaconos. Quoniam verò inter eos affuit etiam Guido Mediolanenſis Archiepiſcopus, nonnulliquè alij Suffraganei eius Epiſcopi, vt ſupra Num. 2. & 3. iam vidimus; propterea etiam libenter hic obſeruamus, ab ipſis pariter damnatam eo tempore fuiſſe Berengarij hæreſim; ſicut ab eodem Archiepiſcopo damnata iam fuerat Anno 1050 in Concilio Vercellenſi ſub Leone Papa Nono. Quocirca Petrus etiam Galeſinius in Archiepiſcoporum noſtrorum Tabula, Actis Eccleſiæ Mediolanenſis conſita, de ipſomet Guidone ſcribens Num. 75. hæc habet: *Leonis Noni Pontificis iuſſu Concilio Vercellenſi contra Berengarium interfuit.* Sed & præterea: *Apud Fontanetum in Agro Nouarienſi Synodum Prouinciæ habuit.* Synodum nempè illam, de qua nos diximus Capite 6. quamquè diximus congregatam iuſſu Stephani Papæ Decimi; vt hinc etiam dignoſcamus, Archiepiſcopum noſtrum per ea etiam tempora obtemperaſſe Pontifici Romano, neque ſchiſmaticum fuiſſe.

XII. Denique verò, quod attinet ad Clericorum incontinentiam & Simoniam, in eo Concilio Romano damnatam, Carolus item Sigonius Libro 9. de Regno Italiæ, ad Annum 1060. ſic habet: *Nicolaus verò, Concilio habito, obſtinatos Lombardiæ Antiſtites, Mediolanenſem, Taurinatem, Aſtenſem, Vercellenſem, Nouarienſem, Brixianum, & Laudenſem, Diaconos & Presbyteros,* concubinas

*concubinas habentes, ab Altari remouere, Simoniacos honoribus ſpo-* A
*liare coegit*. Eiuſmodi verò concubinarum nomine illas etiam mulieres ego intelligo, qui prætextu Matrimonij, cum ijs Clericis contracti, habitare nihilominùs & concumbere cum ipſis contra legem vellent Eccleſiaſticam. Eæ ſiquidem re vera interim, non vxores legitimæ, ſed impudicæ concubinæ cenſebantur. Cui ſententiæ Robertus etiam Cardinalis Bellarminus conſentiens Libro 1. de Clericis, Cap. 21. propè finem, Philippo Melanchthoni, Lutherano perditiſſimo, de Catholicis hunc in modum conquerenti, *Olim Canones ſuſpendebant Sacerdotes, qui*
*vxores duxiſſent, ab officio; vos autem ſuſpenditis ab arboribus*; ſic B
etiam reſpondit: *Adde vltimò, Presbyteros numquàm in Eccleſia tam ſeuerè puniri, quia vxores ducunt, vt Philippus dicit; ſed quia poſt votum ſolemne ducunt; & proinde, non vxores, ſed concubinas ſub Coniugij nomine ducunt; & Matrimonium ſimul ac Sacerdotium polluunt. Cui intemperantiæ cùm etiam hæreſim addunt; ac dicunt, vota non eſſe ſeruanda; quid mirum, ſi digni ſunt, qui ab arboribus ſuſpendantur?*

## *CAPVT XII.*

*Anſelmus de Badagio, Ciuis Mediolanenſis, & Baſilicæ Metropolitanæ* C
*Canonicus Ordinarius, Simoniacis & incontinentibus Clericis infenſus, Anno Domini* 1061. *ex Epiſcopo Lucenſi creatus Pontifex Romanus, & Alexandri Secundi nomine appellatus, Epiſtolam protinùs ad ſuos Mediolanenſes ſcribit, ſingularis beneuolentiæ plenam, eos excitans ad anteponenda terrenis bonis cæleſtia, & benè ſperans de Cleri caſtitate.*

I. ANſelmus hic abſque dubio Ciuis fuit Mediolanenſis, & è nobili Badagiorum familia, cognomen id aſſecuta è ſuburbano extra Portam Ver- D
cellinam Pago, in præſentem vſque diem celebri; quod Italicè *Baggio*, Latinè *Badagium* appellatur.

II. Sic etiam Baſilicæ Metropolitanæ Cardinalis ſiue Canonicus fuit Ordinarius: quinetiam vnus fuit ex ijs quatuor, qui poſt Ariberti Archiepiſcopi obitum, à me alibi Anno Chriſti Milleſimo quadrageſimo-ſexto adſcriptum, Regi Henrico propoſiti fuerunt, vt

ex

ex ipſis vnum defuncto Ariberto ſubſtitueret ; cui tamen ille A
Guidonem ſubſtituit Velatenſem. Arnulphum, eius temporis
Hiſtoricum, hac de re Libro 3. Cap. 1. nimis compendiose ſcri-
bentem, prætermitto; alioſquè potius Auctores, tametſi poſte-
riores, huc aſciſco. Gualuaneus in primis Flamma in Chronico
Maiori, ſecundùm exemplar Ambroſianæ Bibliothecæ, ac ſecun-
dùm recentiores in eo Capitum numeros Capite 763. hunc in
modum narrabat: *Ipſo Anno 1047. eminente in Roma Bene-
dicto Nono, imperante Henrico Secundo, Gibellino, Barbanigra,
Guido de Velate factus Archiepiſcopus, ſedit Annos viginti-ſex.
Iſto tempore, miſſo Lanzo de Curte in exilium, congregati illi de* B
*Populo, & de Credentia, & illi de Motta, elegerunt in Dominum
ſuum Hernebaldum de Cottis, cuius domus erat in oppoſito Sancti
Victoris ad Quadraginta Martyres. Chronica Datij* (qui nempè
Datius in ea vſque tempora viuebat, vt ego in Diſſertatione Na-
zariana Capite 39. commonſtraui) *dicit, quòd habuit domum pa-
latinam, cum curte mirabili, & viridario delectabili. Tunc, va-
cante Archiepiſcopatu, Hernebaldus, Dominus Populi, procurauit
cum Clero, quòd eligerentur quatuor; & Imperator, quem vellet, in
Archiepiſcopum confirmaret. Et fuerunt electi Landulphus Cotta,
Sacri Palatij Notarius, frater carnalis ipſius Hernebaldi: alter* C
*dictus eſt Anſelmus de Badagio, Eccleſiæ Mediolanenſis Cardina-
lis: tertius dictus eſt Arialdus, ex Capitaneis de Carimate: quartus
dictus eſt Atho, Eccleſiæ Mediolanenſis Cardinalis. Ex alia parte
Pars Nobilium de Mediolanò elegit Guidonem de Velate, Impera-
toris Secretarium. Facta relatione ad Imperatorem, ipſe, cæteris ex-
cluſis, Guidonem de Velate inueſtiuit per baculum & annulum de
Archiepiſcopatu Mediolanenſi: quem Papa cum Cardinalibus Pallio
Archiepiſcopali ſuperinueſtiuit. Tunc in Curia Romana erat qui-
dem Archiepiſcopus Rauennæ, qui Archiepiſcopum Mediolanenſem
in Conſiſtorio præceſſit, & in dextera Papæ reſedit. Ex hoc cauſa-* D
*tum fuit. Et dicit Chronica Datij, quòd Archiepiſcopus Mediola-
nenſis præualuit, & ſedem in dextera Papæ obtinuit, & domum
cum gloria rediit.* Hæc in eo Capite Gualuaneus. Videamus
nunc, quæ ſimiliter in eadem ſententiam recenſuit Petrus ille
Azarius, cuius ego mentionem faciebam Libro 1. Capite 7. De
ipſamet Guidonis promotione ita ſcripſerat: *Guido, ex Valuaſ-
ſoribus de Velate, Ordinarius Eccleſiæ Mediolanenſis* (qua tamen

in

in re Azarius errauit) *Anno Domini 1047. fit Mediolani Archie-* A
*piſcopus Septuageſimuſ-tertius*. Tum verò ſic etiam poſt pauca
ſubtexuit: *Iſto tempore Clerus & Populus Mediolani elegerunt
quatuor Ordinarios Eccleſiæ Maioris, quos ad Imperatorem direxe-
runt, quatenus vnum ex illis in Archiepiſcopum confirmaret. Qui
Imperator, Henricus Barbanigra, Guidonem de Velate, qui multa
ſecreta Vrbis Mediolani ipſi Imperatori publicauerat, in Archiepiſ-
copum confirmauit*. Et rurſus paulò pòſt: *Contradicente igitur
Parte Nobilium, ne ipſe Herlembaldus* (de quo proximè ſcripſerat
iiſdem fermè verbis, quibus Gualuaneus Flamma) *eſſet Capita-
neus, contra Nobiles ipſos multùm præualuit; licet Imperator, ad pe-* B
*titionem Nobilium, Guidonem ſupraſcriptum Archiepiſcopum præ-
feciſſet. Reſpuit Imperator facere Archiepiſcopum Landulphum Cot-
tam fratrem Herlembaldi, Anſelmum de Badagio, Acontum de
Modoetia, & Arialdum, omnes Ordinarios Eccleſiæ Mediolanen-
ſis*. Accipe verò, quæ Triſtanus etiam Chalcus de hac Guidonis
electione tradiderit. *Heriberto* (inquit) *ſuffectus fuit Guido, ex
numero Valuaſſorum, Oppido Velate oriundus: id quod opera Hen-
rici Cæſaris factum traditur: cuius voto recentes diſcordiæ, & Ci-
uium calamitas peropportuna accidit, ne quis electioni noui hominis,
hoc eſt, qui nondùm in numerum Cardinalium Ordinariorum recep-* C
*tus fuiſſet, refragaretur. Veteri namque inſtituto obſeruatum fue-
rat, vt ex hoc Ordine Archiepiſcopus eligeretur*. Verè itaque Gui-
do non erat ex horum Cardinalium numero; è quo tamen ij
erant quatuor, à Clero & Populo electi; è quibus item propte-
rea ſine dubio Arialdus ille omninò diuerſus erat ab eiuſdem no-
minis Martyre noſtro, qui tantùm ex Ordine Decumanorum
fuit; præterquamquòd etiam non de Carimate fuit, ſed de Cu-
ciaco; vt ex antiquioribus fideque dignioribus Teſtibus abundè
iam conſtat. Ecce verò nobis etiam interim probatum, quem-
admodùm non ſolùm Anſelmus de Badagio, ſed Arnulphus D
etiam Cotta, Herlembaldi frater, à Clero & Populo exiſtimatus
fuiſſet dignus, qui Mediolanenſem ad Archiepiſcopatum pro-
moueri poſſet. Nunc ad Anſelmum reuertamur.

III. Quemadmodùm verò ille re ipſa fuerit prauis Clericorum Medio-
lanenſium moribus infenſus, & ad Lucenſem poſtea Epiſcopa-
tum euectus: hæc vtique nobis perſpecta ſatis & explorata iam
ſunt per Landulphi Iunioris teſtimonium, ſuperiore Libro 3.
Cap. 16.

Cap. 16. productum: cui quidem poſtea conſenſit etiam Gualuaneus Flamma, Chronici, proximè à nobis nominati, Capite 764. Exinde verò ſimul etiam conſtare mihi videtur, Anſelmum ad eius Eccleſiæ gubernacula electum fuiſſe paulò ante, quàm Landulphus & Arialdus ſeſe pariter Clericorum vitijs Mediolanenſium publicè opponerent; quibus tamen, vt ſatis ſuperquè iam conſtat, ſeſe Anno Milleſimo quinquageſimo-ſexto oppoſuerunt. Hac igitur in parte mecum planè conſentit etiam Ferdinandus Vghellus Italiæ Sacræ Tomo Primo, in Lucenſibus Epiſcopis, Numero 46. vbi Anſelmum noſtrum aſſerit ad eam Eccleſiam adlectum eodem ipſo Anno Milleſimo quinquageſimo-ſexto. A qua item opinione parùm abeſt humaniſſimus erga me Franciſcus Maria Florentinius, Nobilis Lucenſis & Iatrophyſicus, in ſuo Volumine, inſcripto *Memorie di Matilda, la Gran Conteſſa d'Italia*, typis edito Lucenſibus Anno 1642. in cuius Voluminis Libro 1. pag. 62. eum affirmat creatum Epiſcopum Anno 1057. A B

IV. Sexageſimuſ-primus ſupra Milleſimum à Chriſti Natiuitate iam excurrebat Annus, cùm in locum Nicolai Papæ Secundi, ſeptima Iunij die defuncti, Cardinales in Vrbe Roma Calendis Octobris ſubſtituunt Anſelmum noſtrum Badagium, eiquè Alexandri Secundi nomen adijciunt: *putantes* (vt inquit Baronius ad eumdem Annum Articulo 6.) *rem gratam Regi* (Henrico) *facturos; cùm audiret, electum virum probum, ſuum ipſius domeſticum atque familiarem. Ita planè hoc conſilio rem geſtam aperit Defenſor Romanæ Eccleſiæ aduersùs Regium Aduocatum, his verbis: Porrò autem, quòd in conſtituendo Pontifice Romano Eccleſia à charitate regia non receſsit, hoc etiam indicio eſt; quia, cùm in Clero ſuo religioſiſſimis & ſapientiſſimis viris abundaret; non de proprijs, ſed eum, qui Regi tamquàm domeſticus & familiaris erat, elegit.* C D

V. Contra tamen, quàm Cardinales ſperabant, res accidit. Vt enim ſuperiore Articulo 3. idem obſeruauerat Baronius è Romanorum Pontificum Geſtis, à Nicolao Cardinali Aragonio collectis, antequàm ea fieret electio, *Longobardorum Epiſcopi, tam Simoniaci & incontinentes, quàm alij facinoroſi, auctore Guiberto Parmenſi (conſtitutus erat hic Cancellarius Regis, homo nequiſſimus) conuenerunt in vnum: &, conſimilium Clericorum multitudine congregata,*

*gregata, communiter ſtatuerunt, vt aliunde non deberent Papam recipere, quàm de Paradiſo Italiæ (ita Longobardiam nominabant) & talem perſonam, quæ infirmitatibus eorum compateretur & condeſcenderet. Quo facto, aliquos ex ipſis ad Imperatricem vltra montes miſerunt, qui eius animum quibuſdam veriſimilibus figmentis allicerent, & ſibi propitiam facerent* &c. Rex itaque poſtea in Pontificem elegit Epiſcopum Parmenſem, nomine Cadalum, aliter Cadaloum, vel Cadalaum, Honorij nunc tandem Secundi appellatione inſignitum: *qui à nulla Synodo* (ſubdit Baronius Articulo 7.) *nec à pluribus quàm à duobus Epiſcopis, fuit electus Pontifex, nempè Vercellenſi & Placentino, publico concubinatu turpiſſimè infamatis*. Et paulò pòſt: *Facta ſunt hæc de promotione Cadaloi eodem menſe Octobris, die vigeſima-octaua eiuſdem, in feſta die Sanctorum Apoſtolorum Simonis & Iudæ*. De ipſis verò Cadaloi moribus ſic etiam ille habet infra Articulo 26. poſteaquàm Petri Damiani acrem ad ipſum Epiſtolam recitaſſet: *Peſtilens homo Cadalous, tantùm abeſt, vt ex Petri Litteris ceſſaret exterritus, vt etiam ipſe turpiſſimus turpiſsimè viueret, & ita viuentibus conniueret; ſicque, vt hac velut arte quadam illorum omnium incontinentium Clericorum conciliaret ſibi animos (erat horum ingens numerus) libidini frena laxaret; vt qui antea Nicolaitæ (vt vidimus) dicebantur, dicendi eſſent à propagatore Cadaloitæ. Ita Petrus in Epiſtola ad Cunipertum, Taurinenſem Epiſcopum, cùm ait: Sed nunc accidit, vt hoc inſigne vocabulum, nouum, ſi præualent, accipiat incrementum: & qui hactenùs dicti ſunt Nicolaitæ, amodò vocentur & Cadaloitæ. Speratur enim, quia ſi Cadalous, qui ad hoc gehennaliter æſtuat, vniuerſali Eccleſiæ Antichriſti vice præſidebit, ad eorum votum luxuriæ frena laxabit*. Quo quidem ſimul etiam factum fuiſſet, vt tam Simoniaci & incontinentes, quàm facinoroſi illi alij, talem inueniſſent perſonam, quæ ſuis ipſorum infirmitatibus compateretur & condeſcenderet; ſicut ipſi vnicè optabant; & qualem perſonam nullatenùs eſſe Alexandrum illum Pontificem, ignorare non poterant.

VI. *Sed ad ipſum iam Alexandrum Pontificem redeamus* (proſequitur Baronius Articulo 57. & nos item vnà cum ipſo) *qui ipſo ſui Pontificatus exordio, memor natalis ſoli, ſuorumquè Mediolanenſium, inter quos natus & in Clero educatus erat, quos non poſſet præſens, abſens Litteris ſaltem alloqui, vt debitum charitatis officium ſolueret,*

minimè

*minimum prætermiſit. Quas quidem Litteras in Caſſinate Codice, inter ſcripta Petri Damiani opportunè repertas, diligentia Conſtantini Caietani, Monachi Caſſinenſis, hic deſcribere dignum duximus. Sic enim ſe habent:* A

VII. *Alexander Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei, omnibus Mediolanenſibus, Clero & Populo, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Diuini iudicij diſpoſitione prouiſum eſt, vt Mediolanenſis Eccleſiæ filius, & Ambroſianis vberibus ſublactatus, ad famulatum Apoſtolicæ Sedis indignus aſcenderem, ac Matri omnium Eccleſiarum paſtoralis curæ ſolicitudine deſeruirem. Vnde, cùm totius vniuerſalis Eccleſiæ cura nobis non leuis incumbat, propenſiùs circa vos ipſa natura nos prouocat eſſe peruigiles; vt, vnde nos conſtat originis duxiſſe primordium, ibi etiam maioris ad æternam ſalutem habeamus ſolicitudinis incrementum. Nam & ignis ea primùm ligna conflagrat, ex quibus oritur; & fons ante omnia illas terræ venas infundit, ex quibus profluens deriuatur. Vnde vos, dilectiſsimi, internæ dilectionis ſtudio cohortans rogo, vt ad Cælum ſe veſter ſpiritus erigat, deceptoria terrenarum rerum & caduca lucra contemnat, ab amore cœnoſi huius Mundi ſe prudenter expediat, ad Creatoris ſui deſiderium medullitùs inardeſcat. Eſtis enim (ſicut Beatus dicit Apoſtolus) gens ſancta, populus acquiſitionis; vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit ad admirabile lumen ſuum. Quibus ergo hæreditas incontaminata immarceſcibilis conſeruatur in Cælis, abſit vt eorum mens per amorem rebus ſit inuoluta terrenis.* B C

VIII. *Planè, quia etiam vulgaribus loquimur, vulgatum Scripturæ teſtimonium libentiùs exhibemus. Mementote itaque fratres mei, quòd in Oratione Dominica dicitis: Pater noſter, qui es in Cælis. Quem itaque Patrem vocamus, ad eius hæreditatem tota mentis concupiſcentia feſtinare debemus. De terrena porrò hæreditate ſcriptum eſt: Hæreditas, ad quam in principio feſtinatur, in nouiſſimo benedictione carebit. Cur ergo, cùm dicimus Pater noſter, praſtò ſubiungimus qui es in Cælis; & non potiùs qui es in terris; videlicet quæ nobis notiores ſunt; ſiue qui es in aquis, aut in abyſſis; cùm vbique Deus ſit, nihilquè ab eius præſentia vacuum ſit? Sed, cùm dicimus Pater noſter, idcircò addimus qui es in Cælis; vt ad illam cæleſtem hæreditatem ſeſe noſter animus erigat; atque in tam ſublime germen adſcitus, vt ſit hæres Dei, terrena qualibet ignobiliter non requirat.* D

IX. *Eminuerò Pater Fidei Abrahami plures habuit filios; ſed ſolus ille no-* A
*bilis, qui fuit vxoris; qui verò ex concubinarum ſunt ignobilitate*
*ſuſcepti, paternæ hæreditatis ſucceſsione leguntur excluſi. Porrò*
*autem, dum eos aluit Abraham, omnes dicebantur filij Abrahami;*
*at verò, cùm teſtamentum venit, qui eſſet legitimus hæres, qui*
*fieri deberet exhæres, patenter oſtendit. Nam, Scriptura teſtante,*
*dedit Abraham omnem hæreditatem filio ſuo Iſaac; filijs autem*
*concubinarum dedit munera, & ſegregauit eos à filio ſuo Iſaac.*

X. *Ecce itaque omnes dicebantur filij; ſed non omnes hæreditatis paternæ*
*ſunt iura ſortiti. Sic profectò, fratres, quamplures ſunt hodie Chriſ-*
*tianæ profeſsionis titulo decorati, qui videlicet in Chriſti hæreditate* B
*nequaquàm merentur adſcribi: & nunc quidem paterno vocabulo*
*gloriantur; ſed nequaquàm ad hæreditanda paterna bona perue-*
*niunt; quia, velut ſpurij, non cæleſtia, ſed terrena ignobiliter con-*
*cupiſcunt.*

XI. *Vos autem, dilectiſsimi, membra mea, viſcera animæ meæ, ſic ſata-*
*gite per viam mandati cæleſtis incedere, vt mens noſtra meritò ſem-*
*per debeat de ſancta conſanguineorum ſuorum conuerſione gaudere.*
*Speramus autem in eo, qui de Virgine dignatus eſt naſci, quia noſ-*
*tri miniſterij tempore ſancta Clericorum caſtitas exaltabitur, & in-*
*continentium luxuria cum cæteris hæreſibus confundetur. Omnipo-* C
*tens Deus, dilectiſsimi fratres mei, ab omni vos prauitate cuſtodiat,*
*& per iuſtitiæ ſemitam ad cæleſtia vos Regna perducat.*

XII. Hactenùs Alexander Pontifex ad ſuos Mediolanenſes: & ad eos
præſertim, qui pro Clericorum caſtitate ſtarent; non autem
ad Clericos, in priſtina relapſos, vt Baronius Articulo 59.
exiſtimauit. Hæc ipſa verò Epiſtola ſimiliter ad verbum è Co-
dice Caſſinenſi recitata viſitur in Secunda etiam Parte Tomi
Tertij Conciliorum, ſtudio & induſtria Seuerini Binij edito-
rum: atque illic inter eius Pontificis Epiſtolas ordine prima
eſt. Sic etiam ſeptima eſt inter Petri Damiani Epiſtolas, Libro D
eius quinto comprehenſas, & à Conſtantino editas Caietano.

CAPVT

## *CAPVT XIII.* A

*Herlembaldus Cotta, Landulphi frater, aliquanto iam ex tempore Populi Mediolanenſis Capitaneus, & Chriſtiana pietate perinſignis, Romam pergit vna cum Sancto Arialdo: multorumquè religioſorum hominum ſuaſu, quinetiam Pontificis Alexandri Secundi iuſſu, patrocinium ſuſcipit cauſæ, contra Cleri corruptelas inchoatæ: proptereaquè ab eodem Pontifice creatus Eccleſiæ Romanæ Vexillifer, opus ipſum aggreditur.*

I. LVbens volens nunc reuertor ad eum Petri Azarij locum, quem ſuperioris Capitis Numero 21 B proferebam. Illic enim paulò poſt Guidonis Velatenſis promotionem ad Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopatum hæc etiam leguntur: *Exulante Lanzone de Curte ad Ciuitatem Pergami, Pars Populi ad nihilum redacta eſt. Tunc Capitanei ſex Portarum cum ſuis Vaſſallis dominium Ciuitatis vſurpauerunt: & congregantes vniuerſos amicos in Palatio Communitatis, duo Statuta fecerunt in odium Populi. Primum Statutum fuit iſtud: Quòd Lanzo de Curte, miles proſcriptus, cum tota parentela illorum de Curte, nunquàm habitare poſſet in Ciuitate Mediolani, nec in Comitatu, nec poſſeſsiones habere in æternum. Secundum Statutum* C *fuit iſtud: Quòd ſi aliquis nobilis interficeret aliquem popularem; quòd ſolueret ſeptem libras tertiolorum, & duodecim denarios: quos cùm ſoluiſſet; ab omni culpa & offenſa liber eſſet. Propter quod innumerabiles de Populo infra paucos dies trucidati ſunt. Hac de cauſa Populares iterùm alium Capitaneum elegerunt quemdam Virum ex numero Nobilium, qui dictus eſt Herlembaldus Cotta. Hic fuit Vir genere clarus nimis, in armis ſtrenuus, corpore gracilis, leonino pectore feruens. Eius domus, quaſi domus regalis, fuit ex oppoſito Eccleſiæ Sancti Victoris ad Quadraginta Martyres. Con-* D *tradicente igitur Parte Nobilium, ne ipſe Herlembaldus eſſet Capitaneus; contra Nobiles ipſos multùm præualuit* &c.

II. Reliqua porrò, quæ nos Capitis huius titulo indicabamus, hæc abundè luculenterquè narrata iam extant apud Beatum Andream ſuperiore Libro 2. Capite 16. & apud Landulphum Iuniorem Libro 3. Cap. 16. 17. & 18. Lectorem itaque noſtrum ad eos iterùm remittimus; ſed ipſum præterea rogantes, vt quanto-

cyùs

cyùs huc reuerſus ea diligenter examinet, quæ mox ex hoſte Arnulpho ſuppeditamus. A

III. Sic enim Arnulphus ille in contrarium ſcribebat Cap. 12. *Arialdus itaque, tali deſtitutus Collega* (Landulpho videlicet Cotta, quem proximè dixerat mortuum; cùm alioqui verè adhuc ille viueret) *inſtigat Herlembaldum aſsiduè defuncti fratris vicem ſuſcipere. Qui cùm eſſet laycus, fraternæ gratiæ pietate opus ſibi præſumpſit indebitum; Arialdi verbis adeò credulus, vt, quos frater flagellis ceciderat, ipſe percutiat ſcorpionibus, & reſiduum locuſtæ comedat bruchus; ad placitum, ſi qua ſunt, Clericorum peccata dijudicans. Dum ergo laycus iudicat, Clerus tamen vapulat.* Hæc ille; ſed B ſolita percitus maleuolentia & liuore. Non enim Herlembaldus opus illud ipſe ſibi præſumpſit, nec Arialdi tantùm ſuaſu; ſed ex Alexandri Pontificis mandato, & propterea non indebitum, ſuſcepit.

IV. Quandocumque enim Simoniaci & incontinentes Clerici vltra modum veſani inſanirent, atque arma etiam mouerent (quod quidem non poterat non timeri) tum profectò neceſſarium videbatur, vt armata pariter illi manu reprimerentur. In hunc ergo finem Pontifex Alexander Arialdo eiuſquè ſodalibus Vexilliferum ac veluti Militiæ Ducem aſſignauit Herlembaldum: C & cum ea quidem poteſtate, quæ ad eiuſmodi miniſterium neceſſaria foret, quamquè illi, tametſi laico, communicare ipſe poterat ſecundùm communem Theologorum ſententiam; ſicut inter alios optimè Sæculo noſtro docuit etiam Robertus Cardinalis Bellarminus Libro 5. de Romano Pontifice, Capite 6. 7. 8. Quamuis enim Romanus Pontifex, quà talis, ſummam poteſtatem atque iuriſdictionem temporalem non habeat directè, vt ijdem Theologi loquuntur; eam tamen habet indirectè (quatenùs ea videlicet neceſſaria ſit ad bonum ſpirituale) propterea què de temporalibus etiam Chriſtianorum rebus omnibus D diſponere poteſt. Itaque duos etiam ille gladios habere non immeritò dicitur: ſpiritualem vnum, & hunc propriè ac per ſe: alterum verò temporalem, atque hunc velut impropriè ac per accidens, ratione cauſaquè neceſſitatis, qua ſpirituale bonum Eccleſiæ ita protsùs aliquando requirat. Quamobrem Sanctus etiam Bernardus, Clareuallenſis Abbas, Libro 4. de Conſideratione ad Eugenium Papam, his eum verbis (quæ poſtea Bonifacius

cius etiam Papa Octauus ad imitandum ſibi propoſuit in Extrauaganti *Vnam Sanctam*, de Maioritate & Obedientia) his, inquam, cum verbis alloquebatur: *Quid tu denuò vſurpare gladium tentes, quem ſemel iuſſus es ponere in vaginam? Quem tamen qui tuum negat, non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini, dicentis ſic: Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipſe, tuo forſitan nutu, etſi non tua manu, euaginandus. Alioquin, ſi nullo modo ad te pertineret & is; dicentibus Apoſtolis, Ecce gladij duo hic, non reſpondiſſet Dominus, Satis eſt; ſed, Nimis eſt. Vterque ergo Eccleſiæ, & ſpiritualis ſcilicet gladius, & materialis; ſed is quidem pro Eccleſia, ille verò & ab Eccleſia exerendus eſt; ille Sacerdotis, is militis manu, ſed ſanè ad nutum Sacerdotis, & iuſſum Imperatoris.* Cùm igitur, vrgente boni ſpiritualis aduersùs Nicolaitas & Simoniacos per arma etiam materialia tuendi neceſſitate, munus hoc Herlembaldus ſuſceperit è Romani Pontificis mandato: cùm præterea id ipſum ad eius nutum aſſenſumquè fuerit executus, vt idem met Arnulphus poſtea Capite 14. faſſus eſt; non ille profectò interim opus ſibi præſumebat indebitum; non ad placitum dijudicabat plectebatuè Clericorum peccata; nec aliquid agebat homine laico indignum. Itaque ne Arnulpho quidem iuſta erat cauſa, cur in eum tantopere excandeſceret; multoquè minùs erat, cur in Alexandrum ipſum Pontificem Romanum, eumquè ſapientiſſimum æquè ac ſanctiſſimum; quem quis ſanæ mentis, amanſquè ſinceræ veritatis, credat in hac Mediolanenſi cauſa ſeſe aliter tam per ſe quàm per alium quempiam gerere voluiſſe, quàm iuſtitia & dignitas illa pontificia ſecundùm ſupremam in omnes Chriſtianos poteſtatem, ſibi à Deo communicatam, poſtularet? Sed hac de re rursùs etiam poſtea, Capite 60.

A B C

## CAPVT XIV.

*Landulphus Cotta, Herlembaldi frater, in Domino moritur.* D

I. DE ſalute ipſius æterna timere profectò admodùm nos oporteret; ſi fortè hoſtibus eius credulas aures præberemus. Arnulphus in primis Capite x1. Libri tertij ſic de ipſo ſcribebat: *Cùm verò placuit Altiſſimo, qui renes ſcrutatur & corda, ille, qui alienam diu meditatus fuerat laſsitudinem*

*dinem* (ſiue Guidonis Archiepiſcopi, ſiue Simoniacorum & Ni- A
colaitarum Mediolani Clericorum) *inopinam ſubitò doluit ſuam*
*ipſius ægritudinem. Cumquè langueret biennio pulmonis vitio, lin-*
*gua priuatur officio; vt, in quo multos affecerat, in eo quoque defi-*
*ceret; dicente Scriptura: Per quæ quiſque peccat, per hæc & tor-*
*quetur. Sed, ne mortuos accuſare videamur, de illo penitùs tacea-*
*mus, cuius vita mortiſquè ratio diuino eſt relinquenda iudicio.* Hæc
ille, more ſuo in deterius interpretans ea omnia, quæ ad ſodales
ac fautores Arialdi pertinerent. Arnulphum temerè ſecutus
Triſtanus Chalcus, Hiſtoriæ Patriæ Libro 6. ſic item: *Cùm non*
*ceſſaret Eccleſiaſticis Viris allatrare, ac Romano etiam Pontifici* B
*non parceret* (nihil minùs) *pulmonis vitium contraxit, & cum eo*
*vocem amiſit; tum biennium ita conflictatus, animam, non ſine ma-*
*nifeſta diuinæ iræ vltione, efflauit.*

II. Nos tamen ex aduerſo talibus hiſce tamquè infauſtis Coniectori-
bus fidentiſſimè contradicimus: atque de Landulphi huius ſalu-
te tam benè ſperamus, quàm certum inter Catholicos & explo-
ratum eſſe debet, cum in hac ſua contra deprauatos Cleri Me-
diolanenſis mores concertatione obſequium Deo re vera gra-
tum præſtitiſſe; quod proinde, non pœnam, ſed præmium pro-
meruerit, qualicumque tandem morbi genere ille fuerit ex hac C
vita ſublatus. Bis profectò eum Deus euidenti miraculo præ-
ſeruauit à nece, quam ipſi efferata Clericorum perfidia intenta-
rat; vt iam vidimus Capite 7. & 9. Quocirca etiam Baronius
ſuperiore Libro 1. Cap. 20. Num. 10. propinquum Martyribus
locum ei adiudicabat; quippe qui, ſi non conſummato, certè
tamen inchoato martyrio probatus eſſet; cuius quidem generis
homines antiquitùs Sanctis Confeſſoribus ab Eccleſia Catholica
connumerari ſolebant; vt ego quoque alibi iam oſtendi. Tan-
tidem igitur à nobis hæc Arnulphi Chalciquè diuinatio æſtima-
bitur, quanti altera Landulphi Senioris illa, quam Capite 8. D
Num. 3. refellebamus.

III. Verùm verò Landulphus, ſecundùm puram & ſinceram rei verita-
tem, pulmonis vitio per biennium languerit, ac ſimul etiam lin-
guæ officio priuatus ſit vſque ad extremum vitæ diem, ſicut
iidem Arnulphus & Chalcus affirmabant: mihi quidem oppoſi-
tum potiùs videtur à Landulpho Iuniore indicatum Libro 3. ſu-
periore. Illic enim Capite 17. narrabatur, quemadmodùm
Landulphus

Landulphus hic & Arialdus Herlembaldum, recenter huc è peregrinatione Ieroſolymitana reuerſum, conueniſſent in eius domo, eumquè obnixè rogaſſent, vt ſuæ ipſorum cauſæ patrocinium ac defenſionem ſuſciperet: deinde verò Capite 18. propè finem, quemadmodùm poſt Herlembaldi ab Vrbe Roma reditum ijdem ambo contra tres partis aduerſæ Defenſores diſputauerint, eorumquè verba repulerint auctoritate Pauli Apoſtoli, ac Sanctorum. Non igitur per ea tempora Landulphus hic Cotta officio carebat linguæ; ſi Landulphum alterum illum Hiſtoricum attendamus; & fide quidem, vt nobis videtur, digniorem. A

IV. Certè autem, illo itidem attento, idem præterea Landulphus Cotta non obierat, priuſquàm Herlembaldus Romam pergeret, ad Alexandrum Papam: noſtroquè propterea iudicio Arnulphus & Chalcus hac etiam in parte fallebantur; ſicut etiam nos proximi Capitis ſuperioris Numero 3. innuebamus. B

## *CAPVT XV.*

*Vtrùm Landulphus hic Cotta ſuſcipiendi Monachatus edidiſſet votum, quod tamen poſtea non perſoluerit.*

I. QVòd ille generis huius votum non perſoluerit: hoc ſatis iam conſtat ex hactenùs narratis. Vtrùm verò iam illud edidiſſet: ego ſanè in ancipiti verſor: ac ſi fortè ad ipſum ſcripta eſt decima-ſexta Petri Damiani Epiſtola, Libro quinto Epiſtolarum conſita; ne dubitari quidem vllatenùs poteſt. C

II. Ea quidem in fronte inſcriptionem hanc præfert, Landulpho Cottæ noſtro non incongruam: *Landulpho Clerico* (citra dubium Mediolanenſi) *& Senatorij generis & peritiæ litteralis nitore conſpicuo, Petrus Peccator, Monachus, Salutem.* Subinde verò ſic etiam ſe habet: *Præſtolatus ſum, & certum tenui, vt, iuxta condictum, Sacri Ordinis arriperes inſtitutum. Sed quia te Rex Ægypti luti & lateris ſeruitio non oppreſſit: quia à procinctu ſuæ militia, Satrapis inſiſtentibus, non abiecit: ſed potiùs cum Leuita ill[illegible]atere Montis Ephraim blandiens ſocer Bethlehemita retinuit [illegible]mquè ſuo amore deuinctum, multis ſermonum atque refectionum ſuauitatibus deliniuit;* D

*uit; quod, non homini, ſed Deo ſpoponderas, humana non perſolniſti temeritate. Obſecro, mi frater, quid prudentia tua valet excuſationis obtendere? Quid argumentatur, vt ei liceat, quod Chriſto iudice & Angelis teſtibus promiſerat, non implere? cùm Dominus per Moyſen dicat: Si quis virorum vouerit Domino, aut ſe conſtrinxerit iuramento; non faciet irritum verbum; ſed omne, quod promiſit, implebit. An fortè hoc purgat mendacium, idoneumque videtur in defenſione perfugium, quòd Mediolanenſis Ciuitas, tum in ſeditionem verſa, repentinum vtrique noſtrum minabatur interitum: & quod neceſsitas intulit, ſi voluntatis deſit arbitrium, non manebit? Sed Canonica decernit auctoritas, vt, ſi vidua, pietatis violentiam pertimeſcens, ſacrum velamen quaſi non perſeuerantiam ſuſcipiat; ab eo, quod ſemel iniit, propoſito non recedat. Abſit ergo, vt virum timor abſoluat, qui fœminas etiam in iudicio non excuſat; præſertim, cùm, me denunciante, ne huiuſmodi te voto pro timore mortis conſtringeres, niſi etiam conſequenter per viui operis efficaciam promiſſa impleres; tu te diuina ſententia deuotaſti, ſi datæ ſponſionis aliquando myſterium violares. Dicam, quod ſuper non diſsimili re nuper apud nos accidiſſe cognoſcitur* &c. Multa igitur Petrus ſubinde congerit eorum exempla, qui propterea puniti à Deo ſunt, quia ipſi promiſſa non perſoluerint. Ac demùm ita concludit: *Verùm ego dum dulcedine tuæ charitatis illectus ſermonem diutiùs protraho, non clam me eſt, quòd modum iam compendij epiſtolaris excedo. Porrò autem non ego te peritum rudis admoneo, non ex Scripturis exempla propono; ſed tamquam ruſticus res tantùm domeſticas retuli, vt quotidianis ſtomachum dapibus hebetem, vilibus ad edendum ſiliquis vel herbis virentibus excitarem. Ad tua igitur te remitto mentis armarium: vbi certè plurimæ conduntur paginæ Scripturarum. Illic prudentia tua ſolerter inquirat, quid melius ſit: an vt, perſoluto conuerſionis debito, in ſolijs iudicantium ſedeas; vel, non ſoluto, ante tribunal æquiſsimi Iudicis rationem redditurus aſsiſtas. Vnum ſcio: quia, ſi à Mundi vanitatibus vlla poſſes ratione conuerti, fieres procul dubio Os Dei, Præco Chriſti, Tuba cæleſtis eloquij, Deſtructor Diaboli, ædificij Fundator æterni: eſſes poſtremò Lumen Eccleſiæ, ac Murus inexpugnabilis Militiæ Chriſtianæ.* Hæc ibi Petrus ad Landulphum illum, Mediolanenſem Clericum, quem tanti faciebat.

III. Eidem porrò Epiſtolæ Conſtantinus Caietanus hoc præfixit argumentum:

mentum: *Dum Mediolani Sanctus Doctor, ad corrigenda Clericorum illius Eccleſiæ vitia, ab Apoſtolica Sede legatus verſaretur; aderat ei præcipuus adiutor Landulphus quidam, Vir & generis nobilitate & litterarum cognitione non vulgari; quiquè ad eam rem ex ſententia perficiendam non mediocre ſtudium auctoritatemquè afferebat. Is, concitata ab iiſdem Clericis populari ſeditione, cùm vterque ad exitium furentibus plebis animis depoſceretur, vouit, ſe, vbi primùm ex tam atroci tempeſtate euaſiſſet, rebus humanis valere iuſsis, ad Religionis portum conuolaturum. Quod tamen, dexteritate & Damiani facundia ſedata Populi ſeditione, voti compos effectus, præſtare negligebat. Scribit igitur ad eum hanc Epiſtolam: in qua, enumeratis multorum exemplis, qui graues Deo non ſeruata fidei pœnas perſoluerant, hortatur, vt fidem, non homini, ſed Deo obſtrictam, fallere reformidet.* A B

IV. Certè autem Ciuitatis Mediolanenſis ſeditio, hic indicata, quæ tam Petro Damiani quàm huic Landulpho repentinum minabatur interitum, abſque dubio illa fuit, quam ipſemet Petrus Damiani ſuperiore Capite 10. Numero 9. nobis enarrabat. Tunc itaque Landulphus hic etiam votum edidit illud, quod ei Petrus Epiſtola præſenti reuocat in memoriam, criminiquè quinetiam non leui vertit, quia perſolutum adhuc non eſſet. Ergone verò criminis eiuſdem reum nos etiam faciemus Landulphum noſtrum Cottam? quem alioqui ſuperiori Capite inſignem probitate virum agnoſcebamus. C

V. Ego quidem, vt liberè iam tandem apeiiam, quid hac de re ſentiendum videatur, ſic exiſtimo, vt ſuperior Epiſtola verè fuerit ad Landulphum noſtrum Cottam conſcripta (nihil enim, nihil prorſùs in ea video, quod obſtet; immo verò nihil video, quod non aptè conſentiat) vtquè proptèrea ipſe, in eo vitæ diſcrimine conſtitutus, tale illud votum ediderit; ſed poſtea tamen illud ipſum, non humana temeritate aliouè vitio, ſed melioris boni cupiditate ac ſpe ductus non perſoluerit, ſibiquè ritè ac legitimè remittendum curauerit. Herlembaldus etiam profectò, poſteaquàm è peregrinatione Ieroſolymitana reuertiſſet, nonne ſæculum relinquere, ſequè vitæ monaſticæ tradere volebat? Ita ſanè; ſicut etiam diſertiſsimè nobis Beatus Andreas Capite 16. affirmabat. Numquid verò Arialdus ei hoc ipſum conſenſit? Minimè verò: cauſamquè denuò audi, quam Beatus Andreas D

ibidem protinùs ſubdebat. *Cuius fidem* (inquit) *& conſtantiam* A *Beatus Arialdus agnoſcens, cæpit ei promittere, quòd ſibi potiorem apud Deum gradum acquireret; ſi Monaſterium ingredi differret, & Fidem Catholicam ſecum defenderet, atque cum ipſo Hæreticis & Chriſti hoſtibus reſiſteret.* Quam quidem Arialdi (quidni verò ipſius etiam Landulphi?) promiſſionem nonne cæteri etiam illi Eremitæ ac Monachi in conſilium adhibiti, nonne Summus etiam Pontifex Alexander eiuſquè Cardinales calculis item ſuis comprobarunt; eiuſmodiquè comprobatione Herlembaldum ab ingreſſu Religionis ad Eccleſiaſticæ illius cauſæ defenſionem ſapienter & iure merito adegerunt? Quoniam igitur ad eiuſ- B dem cauſæ defenſionem non minùs neceſſaria erat Landulphi Cottæ opera, poſteaquàm Petrus Damiani Mediolano diſceſſiſſet; propterea etiam citra culpam omnem Arialdus Landulpho eidem perſuadere potuerat, vt relaxandum ſibi curaret illud incundæ Religionis votum, atque conſtanter in cauſæ illius defenſione, iam ante ſuſcepta, perſeueraret; quemadmodùm etiam re ipſa deinceps vſque ad interitum fecit.

VI. Hac ipſa verò etiam reſponſione, dubium mihi nullum eſt, quin ipſemet etiam Landulphus ſeſe apud Petrum Damiani potuerit ab eo expurgare crimine, quod per eam ſibi Epiſtolam obijcie- C batur.

VII. Qualem porrò quantumquè virum Petrus Damiani ad extremum Epiſtolæ illius ſuæ ſcire ſe profitebatur futurum eſſe Landulphum, ſi religioſum ſibi ſtatum aſſumeret; talis profectò tantuſquè mihi videtur etiam in ſuo Clerici Sæcularis fuiſſe ſtatu, dum intertitus totiſquè viribus ad extremum vſque vitæ ſpiritum pro Mediolanenſis Eccleſiæ incolumitate aduersùs Nicolaitas & Simoniacos certaret, exituquè proſpero, & in poſteriora etiam Sæcula ſaluberrimo.

D

## *CAPVT XVI.* A

*Guido Archiepiſcopus & alij è Clero multi ad priores corruptelas periuri reuertuntur.*

I. QVæ Guido Archiepiſcopus itemquè Clerus in-
uiolabiliter ſe ſeruaturos contra Simoniacam
& Nicolaiticam hæreſes Anno Milleſimo quin-
quageſimo-nono coram Legatis Apoſtolicis
publicè ac ſolemniter iurauerint, hæc iam vi-
dimus Capite 10. à Numero 22. vſque ad 35.

II. Quemadmodum verò poſtea turpiter ab eiuſmodi iuramento de- B
fecerint, idipſum abundè colligi ex ijs poteſt, quæ nobis narra-
bant Beatus Andreas ſuperiore Libro 2. Cap. 17. 18. & Landul-
phus Iunior Libro 3. Cap. 17. 18. 19. Sed & alia deinceps in præ-
ſenti Libro multa ſuppetent defectionis & periurij eius indicia,
quæ nos proprijs eorum locis reſeruamus.

## *CAPVT XVII.*

*Alexander Papa Secundus per Legatos & per Epiſtolas Herlembaldo præſcribit, quid in cauſa præſenti agendum.*

I. QVa ratione Arnulphus noſter Hiſtoricus, Arialdi C
eiuſquè fautorum aduerſarius, inuidiam im-
pudenter & immeritò conflare Alexandro Pa-
pæ Secundo, qui nulla iam eget defenſione
noſtra, moliebatur: eadem profectò nos Her-
lembaldum ab omni eximimus inuidia, per
eumdem Arnulphum ipſi audacter intentata; quia Laycus ipſe
foret, ac nihilominùs Eccleſiaſtica iura executioni mandanda
curaret. Si enim hoc ipſe non aliter, quàm ex Alexandri Papæ
Secundi aſſenſu quinetiam mandato, faciebat; quid interim D
(ſicut etiam in ſuperioribus argumentabamur) quid interim fa-
ciebat incongruum, ac reprehenſione inuidiaquè dignum?

II. Sed ipſamet Arnulphi verba, ſanè quidem ipſo indigna, propterea-
que ab ipſo etiam deinde pœnitenter retractata, videamus. Li-
bro enim ſuo 3. Capite 14. ſic ille ſcribebat: *Cuius tamen* (Arial-
di nimirùm) *conſultu Herlembaldus, præter innumeras quas irro-
gauerat Clero iniurias, cùm Archiepiſcopus* (Guido) *defuncto Ab-
bate*

*bate Sancti Celſi, alterum more prædeceſſorum (*ſiue Simoniacè*) prouideret ordinandum; penitùs interdixit; ſpreto illo, alterum iam conſecratum, omninò contemnit, armans contra illum Monachorum cum famulis conſpirationem; alterum verò à Cœnobio Sancti Vincentij repulit; Simoniacæ Ordinationis arguens illos. Quid plura? Cuncta ſibi vſurpat Eccleſiaſtica iura, expulſo ab Vrbe Pontifice, cuius fuerat à progenitoribus miles ipſe. Mirabile prodigium, nec auditum, nec viſum à ſæculo; ſed mirabilius, quòd Anſelmi, qui iam Alexander Secundus dicebatur, fauet aſſenſus. Quod quidem multis probatur indicijs; cùm ſæpenumerò ei mittantur Legationes, & Litteræ, Apoſtolicis prænotatæ ſigillis; quibus fatetur, ſe in ſuis geſtis Papalibus obtemperare præceptis; qua velut auctoritate ſuffulta cætera vulgaritas Simoniaca occaſione Diuina execratur Officia; cùm, quid ſit inter dexteram & ſiniſtram, penitùs ignoret.* A B

III. *Præterea gloriatur idem Herlembaldus, ab Apoſtolico Alexandro bellicum Sancti Petri ſe accepiſſe Vexillum contra omnes ſibi aduerſantes: quod, appenſum lanceæ, homicidiorum velut indicium; cùm profectò nefas ſit tale aliquid ſuſpicari de Petro haud aliud habuiſſe Vexillum, præter quod datum eſt in Euangelio. Qui vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, tollat Crucem ſuam, & ſequatur me: dicit Dominus fideliter, & ideò confidenter loquimur.* Hæc Arnulphus. Quaſi verò Princeps Apoſtolorum Petrus, ac legitimus eius Succeſſor, Pontifex Romanus, ſuum & ipſe gladium materialem non haberet (vt Capite 13. Num. 4. vnà cum Sancto Bernardo loquebamur) militis manu pro Eccleſia exerendum ad eiuſdem Petri eiuſquè Succeſſoris nutum. Quòd ſi verè talem ipſe gladium habebat; quidni ergo tale pariter habebat Vexillum, quale traditum Herlembaldo fuit? C

IV. Sequitur Arnulphus: *Cauenda eſt Doctoribus abſolutè prolata Pauli ſententia: Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepiſtis; anathema ſit. Hæc enim dicentes non aduerſamur vobis, ô Seniores, ô Papa, ô Collegium Cardinalium Romanorum; cùm Magiſter noſter dicat Ambroſius: Cupio in omnibus Romanam ſequi Eccleſiam. Vobiſcum enim credimus, vobiſcum cunctas hæreſes abdicamus; ſed videtur nobis ratum, vt ius Eccleſiaſticum Doctor exhibeat Eccleſiaſticus, non idiota Laycus.* Ita quippe Arnulpho videbatur, & perperàm quidem; cùm cæteroqui aliter viſum eſſet Supremo Pontifici Alexandro, eiuſquè Cardinalibus; quo- D

rum

rum potiùs auctoritati acquieſcere Arnulphum oportebat; ſicut A
etiam ipſemet poſtea ingenuè faſſus eſt Libro 4. Capite 8.

V. Illic enim, poſteaquàm hoc ipſum miniſterium, Herlembaldo demandatum, reprehendiſſet, ſic adiecit: *Hæc talia perſequendo, paulatim valde quaſdam per rimulas aliter, quàm vſque modò viderim, à longè proſpicio. Cumquè præteritis præſentia, ſcriptis ſcribenda confero, rubore perfuſus fideliter erubeſco. Nec barbariſmos in verbis egiſſe, ſed aliorum qualibet dicta, licitè facta, temerè iudicaſſe confundor; cùm ſoli Deo cordium reuelentur occulta. Beatus tamen trepidanti mihi Paulus occurrit, qui, primò blaſphemus ac perſecutor Fidelium, plùs cæteris poſtea laborauit Apoſtolis; cæcatus, vt videret: Petrus verò negauit, vt crederet: Thomas dubitauit, vt certior fieret: Victorinus quoque, Romanus Rhetor, & ætatis prouecta, Simpliciano eſt conuerſus auctore: Auguſtinus autem Philoſophus Ambroſio Doctore ſaluatur: pluresquè alios de malo in bonum, de bono in melius, nunc citò, nunc ſerò nouimus eſſe mutatos. Hæc eſt enim mutatio dexteræ Excelſi. Spiritus Domini, vbi vult, ſpirat; &, cui vult, miſeretur; &, quem vult, indurat Altiſſimus; quoniam neque volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Tibi igitur, Chriſte, delictum meum cognitum feci, & iniuſtitias meas non abſcondi. Dixi: Eloquar aduersùm me iniuſtias meas Domino; & tu remiſiſti impietatem cordis mei. De cætero cogitationes, locutiones, actiones noſtras, quæſumus, Domine & aſpirando præueni, & adiuuando proſequere; vt cuncta noſtra operatio & à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur; cui ſit honor & gloria nunc, & ſemper, & per omnia ſæculorum ſæcula.* B C
Hæc Arnulphus, pœnitenti tandem animo ea deteſtatus, quæ iam ante in peruerſum ſcripſiſſet: qualia citra dubium illa erant, quæ de Arialdo & Herlembaldo, eorumquè Collegis.

VI. Et rursùs Capite 11. *Romana certè nunquàm erraſſe perhibetur Eccleſia, ex quo diuina voce dictum eſt Petro: Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. Ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua. A Romana ergo Eccleſia quicumque diſſentit, non eſt re vera Catholicus, quemadmodum Beatus ait Ambroſius.* D

VII. Præſtat autem hoc etiam loco ea demùm recitare, quæ per alteram occaſionem, præſenti non abſimilem, Sanctus Bernardus Anno poſtea trigeſimo-quarto ſupra Milleſimum centeſimum,

ſicut

ſicut ego in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis Numero 379. A
computabam, ad noſtros pariter Mediolanenſes ſcripſit, Epiſtola 131. *Suis* (ea incipit) *Mediolanenſibus, vniuerſo videlicet Clero & Populo, Bernardus, Abbas dictus de Claraualle, in Domino Salutem. Benè vobiſcum facit Deus, benè vobiſcum facit Romana Eccleſia. Facit ille, quod Pater: facit illa, quod Mater. Et re vera quid vobis debuit facere, & non fecit?* &c. Pauciſquè interpoſitis: *Nunc verò audi me Inclyta Plebs, Gens Nobilis, Ciuitas Glorioſa. Audi, inquam, me (veritatem dico, non mentior) dilectorem tui, zelatorem ſalutis tuæ: Romana Eccleſia valde clemens eſt, ſed nihilò minùs potens. Fidele conſilium, & omni acceptione dignum:* B *Noli abuti clementia, ne potentia opprimaris. Sed dicit aliquis: Debitam ei reuerentiam exhibebo, & nihil amplius. Eſto. Fac, quod dicis: quia ſi exhibeas debitam; & omnimodam* (ſupple, *exhibebis*) *Plenitudo ſiquidem poteſtatis ſuper vniuerſas Orbis Eccleſias ſingulari prærogatiua Apoſtolicæ Sedi donata eſt. Qui igitur huic poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit* &c. Et aliquantò pòſt: *Si quis itaque dixerit tibi*, PARTIM OPORTET OBEDIRE, PARTIM NON OPORTET: *cùm tu in te experta ſis plenitudinem Apoſtolicæ poteſtatis, auctoritatis integritatem; nonne huiuſmodi aut ſeductus eſt, aut ſeducere vult? Sed fac, quod dico; nam ego* C *te non ſeduco: Conuertere magis ad humilitatem, ad manſuetudinem. Siquidem & humilibus dat gratiam, & manſueti hæreditabunt Terram* &c.

## CAPVT XVIII.

*Alexander Papa Secundus Beneficijs priuat eos Mediolani Clericos, qui ſuum deſerant officium, vt incontinentiæ potiùs indulgeant.*

I. QVemadmodùm tales ego Clericos ijs connumero, qui poſtea ſuum illud iuramentum, coram D
Legatis Apoſtolicis Anno Milleſimo quinquageſimo-nono præſtitum, violarunt; ſic etiam non multò pòſt quàm Romanum Pontificatum Alexander Secundus inijſſet, contra ipſos ab eo ſcriptas interpretor binas Epiſtolas illas, quarum partem Gratianus nobis ſuperſtitem reliquit in Prima Parte Decreti, Diſtinctione 81. Cap. *Si quis, Sacerdotum* & Cap. *Eos etiam.*

II. Prima

II. Prima erat Clero ſcripta Mediolanenſi, & hoc etiam Decreto memoranda: *Si quis Sacerdotum vel Diaconorum & Subdiaconorum, officium contumaciter deſerens, fœminam ſibi potiùs eligit; ſicut ſponte ob fornicationem dimittit officium; ita ob prauaricationem dimittere cogatur etiam inuitus Beneficium.* A

III. Eiuſdem ſententiæ altera item erat, & Populo Mediolanenſi talibus etiam verbis hac in parte concepta: *Eos etiam, qui, vt fornicari eis liceat, diuinum officium derelinquunt: &, à Deo recedentes; Diabolo & operibus eius ſeruiunt; ſicut ſe iuſtiſſimè ab officio alienos faciunt; ita Beneficio Eccleſiarum priuatos eſſe iudicamus.*

## *CAPVT XIX.* B

*Alexander Papa Secundus Anno Chriſti 1063: in Concilio Romano multa condit Decreta contra Simoniacos & Nicolaitas.*

I. AD Simoniacos & Nicolaitas etiam noſtrates ea ſine dubio ſpectant Decreta, quæ Summus Pontifex Alexander Secundus vnà cum centum & ampliùs Epiſcopis contra ipſos in vniuerſum ſanciuit in eo Concilio Romæ congregato. Cuius quidem Concilij Decreta, in eiuſdem Alexandri Pontificis Epiſtolam redacta, Baronius è Vaticana Bibliotheca in ſuos tranſtulit Annales, ad Annum Milleſimum ſexageſimum-tertium, ab Articulo 31. vſque ad 42. indequè Seuerinus Binius in Secundam tranſtulit Partem Tomi Tertij Conciliorum, à ſe poſtea editorum. C

II. Epiſtola verò ipſa ſic incipit: *Alexander Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei, omnibus Epiſcopis Catholicis, cunctoquè Clero & Populo, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Vigilantiâ vniuerſalis Eccleſiæ regiminis aſsiduam ſolicitudinem debentes omnibus, quæ in Conſtantiniana Synodo, nuper celebrata coram centum ampliùs Epiſcopis, licet nobis immeritò præſentibus, ſunt canonicè inſtituta, vobis notificare curamus; quia ad ſalutem veſtram executores eorum vos eſſe optamus, & Apoſtolica auctoritate iubendo mandamus.* D

III. *Primò namque, inſpectore Deo, ſicut à Sancto Papa Leone & à ſanctæ memoriæ Papa Nicolao primùm ſtatutum eſt; erga Simoniacos nullam miſericordiam in dignitate ſeruanda habendam eſſe decerni-*

*mus; ſed iuxta Canonum ſanctiones, & decreta Sanctorum Patrum, eos omninò damnamus; ac in Eccleſia non præſſe, Apoſtolica auctoritate ſancimus.* A

IV. *De his autem, qui, non per pecuniam, ſed gratis ſunt à Simoniacis ordinati; quia quæſita iam à longo tempore diutius ventilata eſt quæſtio, omnem nodum dubietatis abſoluimus, itaut ſuper hoc capitulo neminem deinceps ambigere permittamus. Quia igitur vſqueadeò hæc venenata pernicies hactenùs inoleuit, vt vix qualibet Eccleſia valeat reperiri, quæ hoc morbo non ſit aliqua ex parte corrupta; eos, qui vſque modò gratis ſunt à Simoniacis ordinati, non tam obtentu iuſtitiæ, quàm intuitu miſericordiæ, in acceptis Ordinibus manere permittimus; niſi fortè alia culpa ex vita eorum ſecundùm Canones eis obſiſtat. Tanta quippe talium multitudo eſt, vt, dum rigorem Canonici vigoris ſuper eos ſeruare non poſſumus, neceſſe ſit, vt diſpenſatione ad pia condeſcenſionis ſtudium noſtros animos ad præſens inclinemus. Ita tamen, vt auctoritate Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli omnimodis interdicamus, ne aliquis Succeſſorum noſtrorum ex hac noſtra permiſſione regulam ſibi vel alicui ſumat, vel præfigat. Quia non hanc aliquis antiquorum Patrum iubendo aut concedendo promulgauit; ſed temporis nimia neceſſitas permittendo à nobis extorſit. De cætero autem ſtatuimus: vt, ſi quis in poſterum ab eo, quem Simoniacum eſſe non dubitat, ſe conſecrari permiſerit; & Conſecrator & Conſecratus non diſparem damnationis ſententiam ſubeant; & vterque depoſitus agat pœnitentiam; & priuatus ab ea propria dignitate perſiſtat.* B C

V. *Præter hæc autem præcipiendo mandamus, vt nullus Miſſam audiat Presbyteri, quem ſcit concubinam indubitanter habere, vel ſubintroductam mulierem. Vnde Sancta Synodus hæc à capite ſub excommunicatione ſtatuit, dicens: Quicumque Sacerdos, vel Diaconus, poſt Conſtitutum beatæ memoriæ Prædeceſſoris noſtri, Sanctiſſimi Papæ Leonis, aut Nicolai, de Caſtitate Clericorum, concubinam duxerit palàm, vel ductam non reliquerit; ex parte Omnipotentis Dei, & auctoritate Apoſtolorum Petri & Pauli; præcipimus, & omninò interdicimus (*aliter *contradicimus) vt non cantet Miſſam, neque Euangelium, neque Epiſtolam ad Miſſam legat; neque in Presbyterio ad Diuina Officia cum his, qui præfatæ Conſtitutioni obedientes fuerint, maneat; neque partem ab Eccleſia ſuſcipiat.* Et hæc quidem nobis ad præſens inſtitutum ſufficiant ex ea Ponti- D

ficis

ficis Alexandri Epiſtola, & ex eo proinde Concilio, quod Anno Chriſti 1063. celebratum in Vrbe Roma iam diximus. A

## *CAPVT XX.*

*Mediolanenſes contra Cleri ſui corruptelas in auxilium ſibi Monachos poſtulant à Sancto Ioanne Gualberto, Vallumbroſani Ordinis Fundatore.*

I. EOdem Anno Chriſti Milleſimo ſexageſimo-tertio celeberrimum etiam illud miraculum in Vrbe Florentia factum eſt, quo vnus è Vallumbroſanis Sancti Ioannis Gualberti Monachis, B quemadmodùm ab ipſo iuſſus fuerat, quarta feria hebdomadæ primæ Quadrageſimalis illæſus per ignem tranſijt, eoquè tranſitu comprobauit, eiuſdem Vrbis Epiſcopum, nomine Petrum, re quidem vera Simoniacum eſſe. De quo ſanè miraculo abundè Baronius ad eumdem Annum, ab Articulo 49. vſque ad 58.

II. Eudoſius etiam ille Loccatellus, cuius ego teſtimonium producebam Libro 1. Capite 16. illud ipſum miraculum & aliquot eius conſectaria luculenter deſcripſerat in Sancti Ioannis Gualberti C Vita, Libro 1. Capite 64. 65. 66. 67. cùm Capite 68. hunc in modum proſequitur: *Dopo quello ſtupendo & euidente miracolo del fuoco, la ſantità e la fama di San'Giouanni ſi allargò & accrebbe molto per tutta Italia; di maniera che, ſi come nelle battaglie mondane, fornito che è il fatto d'arme, quaſi tutti ricorrono à quei, che ſono rimaſi padroni della campagna; e le Città, aprendo le porte, con quelle conditioni, che prima haurebbono rifiutate, ſi ſottopongono al volere de vincitori; così, e non altramente, auuenne all' Huomo di Dio. Percioche, hauendo rotto e dato la caccia à Simoniaci di Firenze, doue più che in altro luogo haueuano fatto teſta:* D *& eſſendoſi diuolgata la nuoua di queſta vittoria; concorreuano da ogni parte i buoni, e quelli che deſiderauano canonicamente viuere, à San' Giouanni, come à loro glorioſo & inuitto Capitano, che d'aiuto e di conſiglio nelle loro difficultà gli ſoccorreſſe. Auuengache queſto valoroſo Huomo non era men' pronto e forte nello atterrare & opprimere li altri vitij, che in quel tempo pareua che à gara congiurato haueſſero contro alla virtù e perfettione Chriſtiana, che egli ſi*

*foſſe ſtato contrario e nimico alla Simoniaca hereſia: ne ſi vedeua* A *egli altreſi men ſollicito e diligente nel moſtrare e nel perſuadere la debita correttione e riforma nelle Chieſe Collegiate e Curate Secolari, che egli nel gouernare i ſuoi proprij Monaſteri ſi faceſſe: i quali, auanzando in quei tempi trauagliati di eſempio e di ſantità di vita quaſi tutte l'altre Religioni, erano ragguardeuoli e di gran lume à tutta Toſcana.*

III. *Laonde in frà molti e molti, che da più luoghi vennero à lui per conſolatione dell'anime proprie, e per raccomandargli i Popoli e le Città, furono particularmente ſolliciti e caldi i Milaneſi: i quali, per meglio dimoſtrare e perſuadere il biſogno loro, affermauano, che* B *vna gran moltitudine di huomini e di donne per molto tempo s'erano aſtenute dalla Confeſſione e da altri ſaluteuoli e neceſſarij Sacramenti, per non dare ad intendere d'hauer praticato con Religioſi Simoniaci; e d'hauer fauorito quelli, che corrompeuano la Catholica Fede: della qual ſorte d'huomini ne era così gran parte della Lombardia ripiena, che gran careſtia vi haueua di Sacerdoti, che da così contagioſa peſte non foſſero macchiati; e perciò, che egli di porger loro qualche ſoccorſo ſi contentaſſe, humilmente il ſupplicauano.*

IV. *San Giouanni, veggendo coſtoro tanto diuoti, e con tanto affetto pregarlo, moſſo à compaſſione dimandò à quelli, che coſa egli ſopra à* C *queſto fatto in beneficio loro far poteſſe. Deſideriamo (riſpoſero eglino) coſa buona, & ancora facile da eſequirſi: la qual'è, che voi ci rimandiate alcuno di quei Cherici, hora voſtri Monaci, che dalle noſtre bande già ricorſero à voi, & hoggi viuono ſotto la voſtra diſciplina: oueramente di quelli altri, che più vi parranno à propoſito, ordinati da Veſcoui ſinceri e Cattolici: i quali potranno in quei luoghi riformare i coſtumi, e riſuſcitare la vera Religione, che per la falſa dottrina, e per li cattiui eſempi, è quaſi al tutto mancata e perduta. All'hora San Giouanni, commoſſo molto dalla afflittione e dal danno di tanti Popoli, hauendo fatto vna ſcelta d'alcuni ſuoi Mo-* D *naci: e quelli hauendo fatti ordinare al Veſcouo Ridolfo, huomo diuotiſsimo: e poſcia informatigli & ammaeſtratigli pienamente di quel, che far doueſſero per la commune ſalute; vna parte d'eſſi mandò con quei gentilhuomini à Milano; vn'altra parte a Napoli; & il rimanente in altre parti d'Italia; ſecondoche faceua di meſtiero, e che da gli huomini pij gli vennero dimandati.*

V. *Quì non voglio io tacere, che, eſſendo di nuouo nata in Lombardia*

*qualche*

*qualche altra difficultà e diſcordia, fù in tanta eſtimatione la ſanti-* A
*tà di San Giouanni, che à perſuaſione di lui il predetto Veſcouo, ha-*
*uendo eletto in ſua compagnia alcuni Monaci dottiſsimi, ſe ne paſsò*
*à Milano: doue, con l'aiuto di Dio e di quegl'huomini ſanti, non*
*Milano ſolamente, mà la Lombardia tutta ſi riduſſe in poco ſpatio*
*di tempo in buoniſsimo ſtato.* Hactenùs eo Capite Loccatellus.

VI. Ex eiuſdem porrò Loccarelli verbis illis, quæ Libro huius Operis
primo, Cap. 16. Num. 2. recitabam, ego præterea colligo,
vnum ex ijs Monachis, quos rogatu Mediolanenſium Sanctus
Ioannes Gualbertus huc miſit, fuiſſe Rodulphum illum, Moſ-
cheti Abbatem, ac denique Vallumbroſani etiam Ordinis Ge- B
neralem, numero Secundum: cui Beatus Andreas Sancti Mar-
tyris Arialdi Vitam, litterarum monumentis à ſe conſignatam,
nuncupauit; vt ego pariter initio Libri Secundi præfabar. Eum-
dem verò quinetiam Rodulphum ego exiſtimo eſſe illum, ad
quem poſtea, Mediolani morantem, Beatus Petrus Damiani
primo loco binas illas inſcripſit Epiſtolas, quas proximo Capite
ad verbum recitatas producam.

## *CAPVT XXI.*

*Beatus Petrus Damiani Herlembaldum eiuſquè Collegas hortatur, vt in* C
*Eccleſiaſticæ diſciplinæ defenſione contra Simoniacos & Nicolaitas*
*conſtanter perſeuerent.*

I. BInas, eodem argumento & ad eoſdem homines
conſcriptas, ſed primam tamen ſecunda proli-
xiorem, in præſenti proferemus Beati Petri Da-
miani Epiſtolas: eaſquè Libro Quinto ipſius
Epiſtolarum comprehenſas.

II. Prima verò inter alias eſt numero decima-quar-
ta, & his concepta verbis: *Sanctis Fratribus, Rodulpho, Vitali,* D
*& Arialdo, atque Herlembaldo, & cæteris, pro Caſtris Chriſti in-*
*uicta fide certantibus, Petrus Peccator, Monachus, Salutem in Do-*
*mino. Omnipotenti Deo gratias agimus, Dilectiſsimi; quia vos fa-*
*ma diſcurrente frequenter audimus in eo, quem de Spiritus Sancti*
*gratia concepiſtis, pio feruore perſiſtere, & aduersùs hoſtes Eccle-*
*ſiaſticæ diſciplinæ indeficientis animi viribus dimicare. Non enim*
*ceſſat Trapezita nequiſſimus Officinam ſuam peruerſitatis intra*

*Eccleſia*

*Eccleſiæ ſepta conſtruere; non deſinit tartareæ monetæ nummos malleis cudentibus fabricare. Nicolaitarum quoque hæreſis, quæ nobis vobiſcum ſimul collaborantibus videbatur euulſa, rediuiuis adhuc germinibus pullulat, & ſegetem Chriſti, maturo iam decore flauentem, zizaniorum feraliter emergentium adumbratione ſuffocat.* A

III. *Vnde procidimus Domino, querula lamentatione dicentes: Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Vnde ergo habet Zizania? Adijcimus etiam: Vis imus, & colligimus ea? Sed conſolatoria protinùs nobis voce reſpondet: Sinite, vtraque creſcere vſque ad meſſem: & in tempore meſſis dicam meſſoribus, Colligite primùm zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum.* B

IV. *Nam cùm omnia poſſit procul dubio Deus; poſſet vtique ab Agro Mediolanenſis Eccleſiæ omnium hæreſeon peſtes procul abijcere, & illæſa vernantis Fidei frumenta ſeruare; ſed vult Fidelium ſuorum probare conſtantiam, quam violenter videlicet arma corripiant, quam robuſta manus manibus conſerant, quam denique infatigabili contra Diabolum eiuſquè Satellites animoſitate confligant. Poterat enim & iſtorum Magiſtrum, videlicet Simonem, olim ſuis Apoſtolis aduerſantem, ne in aera leuaretur, obſiſtere; ſed ad hoc permiſit extolli, vt ad ſui maiorem gloriam, & illius ignominiam, compelleret in ima demergi.* C

V. *Quamobrem, Dilectiſſimi, dimicantes aduersùs geminam diabolicæ legionis aciem, nolite ceſſare, nolite degeneri puſillanimitate deficere; ſed tamquàm verè filij Beniamin, qui dexteræ Filius dicitur, vtraque manu ſolito feruore confligite, & bicipitis Monſtri caput diuini verbi gladijs obtruncate. Ecce nimirum Ieſus, ex cuius ore gladius ex vtraque limatus & acutus parte procedit: & obuia quæque metens, cruentam hoſtium barbariem ſternit. Quòd ſi fortaſſis ex aduerſo multiplicata malignantium turba videatur ingruere; illud Eliſæi verbum fiducialiter inclamate: Plures nobiſcum ſunt, quàm cum illis.* D

VI. *Quid plura dicam? Illud Apoſtolicum infero: Licet Angelus de cælo euangelizet vobis præterquàm cùm euangelizaui; anathema ſit. Nam ecce qui iam priùs Nicolaitarum & Simoniacæ hæreſeos laqueis tenebantur adſtricti, nunc ad perditionis ſuæ cumulum etiam poſt violata iuriſiurandi ſunt ſacramenta periuri; vt in eis luce clarius impleatur, quod in Apocalypſi per Ioannem dicitur: Qui nocet,*

*noceat*

*noceat adhuc: & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. In vobis autem è diuerſo, quod ſequitur: Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc: & qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc.* A

VII. *Familiare ſcilicet & genuinum Mediolanenſi fuit ſemper Eccleſiæ, vt in ea diuerſi dogmatis homines, & Auxentius ſimul & Ambroſius, non deeſſent. Ille ſcilicet tamquàm rabida canicula Fidelibus oblatraret; iſte Veteris & Noui Teſtamenti teſtimonijs eum cornuta quodammodo furca repelleret. Ille viperini fellis propinaret errorem; iſte ſuperni fontis irriguam influeret puritatem. Ille ſequaces ſuos, virulento lacte nutritos, & per aſtutiam fraudis illectos, in Tartarum mergeret; iſte per Apoſtolicæ doctrinæ dulcedinem ad cæleſtis* B *gloriæ præmia ſubleuaret. Ille ſibi credentibus tenebras cæcitatis induceret; iſte Sacerdotalibus obedientes imperijs ad ſplendorem veræ fidei, & lumen æternæ gratiæ reuocaret. Quapropter libet in eius præconium, quibus pro tempore valeo, laudibus exclamare.*

VIII. *Deus Omnipotens, Dilectiſſimi, & per Claues Beati Petri Apoſtoli, vobis ianuam Regni Cæleſtis aperiat: & per Orationem Beati Ambroſij, Pontificis veſtri, clementer à vobis omnia tenebroſi Spiritus inquinamenta detergat. Det vobis in ea, quam ſemel cœpiſtis, inuiolata veritate perſiſtere: & in Apoſtolicæ Fidei petra fundatos, cunctis prauorum dogmatum erroribus inſuperabiliter reſultare. Annuat vobis in huius vitæ tranſitu ſic per omnia viuere, vt cum eo* C *ſimul, qui auctor eſt vitæ, in illa Cæleſti Ieruſalem mereamini ſine fine gaudere. Amen.* Hactenùs prima illa, quam pollicebamur, Petri Damiani Epiſtola.

IX. Sequitur nunc ſecunda, & breuior, & in eo Epiſtolarum Libro decima quinta, & ita prorsùs ſe habens: *Petrus Damiani Rodulpho, Vitali, Arialdo, Herlembaldo, fratribus, Salutem. Gratias agimus Deo, quòd conſtanti fama audimus, vos conſtanter aduersùs hoſtes Eccleſiaſticæ diſciplinæ certare. Nicolaitarum hæreſis, quæ vobis nobiſcum laborantibus videbatur euulſa, repullulat. Deus vult pro-* D *bare conſtantiam ſuorum. Ecce qui priùs Nicolaitarum & Simoniacæ hæreſeos laqueis tenebantur, nunc ad perditionis ſuæ cumulum ſunt etiam violato ſacramento periuri. Quod tamen in Mediolanenſi Eccleſia non eſt nouum: quæ ſemper diuerſi dogmatis homines habuit, initio ab Auxentio atque Ambroſio inchoato.* Nec vlteriùs protenditur hæc Epiſtola. Quocirca talibus itidem incluſam terminis eam legit, ac ſuis de Regno Italiæ Hiſtorijs inſeruit Carolus Sigonius, ad Annum 1060.

X. Vtrùm

X. Vtrùm verò Petrus Damiani vtramque hanc Epiſtolam re ipſa Me- A
diolanum ad eos homines tranſmiſerit; an ſolam potiùs tranſ-
miſerit longiorem; ſibiquè breuiorem, tamquàm prima longio-
ris delineamenta, ſuas inter ſchedas retinuerit; indequè poſte-
ris occaſionem reliquerit eam quoque inter eius Epiſtolas ſepa-
ratim enumerandi: hæc omnia ego quidem liberò Lectoris
noſtri iudicio reſeruaui; hoc contentus vno, vt germanum bre-
uioris ſenſum è manifeſto longioris ſenſu æſtimari à nobis
oporteat.

XI. Rodulphum autem illum ſuperiori ego Capite vnum ex ijs exiſti-
mabam eſſe Monachis, quos Sanctus Ioannes Gualbertus huc B
miſiſſet. Vitalem mihi Monachum videri alterum, nunc ad-
dam. Quos propterea, quia Monachi eſſent, nominatos etiam
fuiſſe ante Arialdum, è Clero Sæculari Diaconum; ſicut & hunc
ante Herlembaldum, qui Laycus erat.

XII. Quòd autem idem Petrus Damiani tam liberè in Epiſtola breuio-
ri aſſerebat, *Quod tamen in Mediolanenſi Eccleſia non eſt nouum,
quæ ſemper diuerſi dogmatis homines habuit, initio ab Auxentio
atque Ambroſio inchoato:* & expreſſiùs in prolixiori, *Familiare
ſcilicet & genuinum Mediolanenſi fuit ſemper Eccleſiæ, vt in ea
diuerſi dogmatis homines, & Auxentius ſimul & Ambroſius, non* C
*deeſſent;* hoc ego quidem non ſatis adhuc video, quàm verè
dici potuerit; cùm præſertim ego in Ambroſianæ Baſilicæ Mo-
numentis oſtenderim, quinetiam ipſiuſmet Petri Damiani teſ-
timonio comprobarim, Eccleſiam Mediolanenſem non eo per
ducentos & ampliùs annos laboraſſe ſchiſmate, quod alioqui
plerique recentiorum Scriptorum ei vſque ad Annum Chriſti
Milleſimum quinquageſimum-nonum æquanimiter obtrudi
patiebantur. Sed liberaliter etiam concedamus, illud verè dici
potuiſſe; certè nihilominùs Eccleſiæ Mediolanenſi gauden-
dum ac gloriandum erit ea ſaltem ratione; quia longè maiori D
cum emolumento ſemper Ambroſios eodem habuerit tempo-
re, quo Auxentios habebat.

## *CAPVT XXII.* A

*Herlembaldus Anno* 1066. *Romam pergit, & ab Alexandro Pontifice Litteras obtinet, Guidonem Archiepiſcopum excommunicantes.*

I. QVæ nobis pro præſenti Capite Beatus Andreas narrata reliquerat, hæc ego maiori ex parte intercidiſſe iam dixi, tam in Præfatione Libri Secundi, quàm in Obſeruatione ad eiuſdem Libri Caput 24. Reliquum eſt igitur, vt in eorum ſupplementum ſuccedat Landulpuhs Iunior B
Libro noſtro 3. Cap. 23. 24. 25. In quo quidem poſtremo Capite Guidonem ipſum Archiepiſcopum videbamus, vt Populum in Arialdi & Herlembaldi cædem irritaret, vociferantem inter cætera: *Hæc Ciuitas, ob reuerentiam Beati Ambroſij, Romanæ numquam paruit Eccleſiæ.* Figmentum profectò, ne dicam mendacium, tali Præſule indigniſſimum, ſatiſquè coram ipſo quoque à Petro Damiani iam confutatum Anno Domini Milleſimo quinquageſimo-nono, cùm in Baſilica Metropolitana è ſuggeſtu Clerum & Populum alloqueretur; vt iam vidimus Capite 10. à Numero 9. vſque ad 15. præterquamquòd idipſum C
ego iam ante in Baſilicæ Ambroſianæ Monumentis obſeruaueram Numero 263. 264. 265.

II. Sin autem pro præſenti pariter Capite præterea placet hoſtem audire Arnulphum; ſic ille ſolita illa ſua peruerſitate teſtificabatur Libro ſuo 3. Capite 15. *His diebus, declinante iam vere, menſis vnius ſpatio dirum ſparſere iubar ardentes in Cælo Cometæ: frequentes quoque terræmotus Mundo fuere, adeò vt die ipſo Reſurrectionis Dominicæ bis fieret, mane ſcilicet & veſpere. Præerat tunc temporis Romæ Alexander Apoſtolicus, ex Mediolanenſi Clero Eccleſiæ Lucenſis primò factus Epiſcopus. Cumquè ſatis foret* D
*idoneus; Apoſtolicam deinde promeruit dignitatem, Alexander de Anſelmo vocatus. Huic ſtatim ſurrexit aduerſarius Candolus* (ſic enim eum ipſe nominat) *Parmenſis Epiſcopus, inſtitutione Regis ac Matris Auguſtæ Papa nuncupatus: qui hoſtiliter Romam adijt* (quod vtique factum eſt Anno 1062. menſe Aprili) *poſt multam interfectorum ſtragem, ad muros Vrbis Alexandri proſecutus Exercitum. Tempore pòſt alio* (nimirùm Anno 1064.) *quorumdam ex*

*Vrbe & ope & conſilio Romam, quam Nouam perhibent, ingreſſus,* A
*conſcendit Arcem Creſcentij. Factis igitur in Vrbe partibus, quoti-*
*die bellis bella ſuccedunt. Ad vltimum, poſt diuturnos varioſquè*
*conflictus, receſſit mœrens, confuſus, & victus, conceſſa Alexan-*
*dro victoria. Ad quem de præſenti negotio conſulendum Romam*
*profectus eſt Herlembaldus, Arialdo interim furente in Præſulem,*
*concitando turbam ciuilem & agreſtem. Definito tandem concilio*
*rediens, excommunicationis Litteras detulit Archiepiſcopo: quod à*
*pluribus grande viſum eſt Ciuitatis opprobrium. Vnde factum eſt,*
*vt in die ſancto Pentecoſten procedens Antiſtes; ad publicum proce-*
*deret Eccleſiæ pulpitum, queſturus, quod acciderat, incommodum.* B
*Cumquè ſtaret ex aduerſo Herlembaldus cum Arialdo, reſponſurus*
*auditis; fit vehemens in plebe tumultus, diuerſis diuerſa clamanti-*
*bus. Ad vltimum, facto in medio Eccleſiæ partibus clamoſo impe-*
*tu, viciſſim in ſeſe inſurgunt. Cumquè per diuerſa confligerent; re-*
*manſit penè ſolus Antiſtes; quem pars aggrediens inimica fuſtibus*
*crudeliter cæſum, & quaſi ſemiuiuum relinquit. Deinde, ipſam*
*inuadens Epiſcopi Aulam, pretioſa quæque decerpit.*

III. Verè igitur Herlembaldus Apoſtolicas ex Vrbe Roma Litteras pro-
ximè attulerat, quibus ipſemet Guido Archiepiſcopus anathe-
mate feriebatur: & quibus eidem traditis Archiepiſcopo talis il- C
licò tumultus excitatus eſt ille, qualem producti mox Auctores
deſcribebant. Quam tamen tumultus occaſionem Triſtanus
Chalcus & Carolus Sigonius non ſatis attenderunt; quippequi
eam non alijs adſcripſerint Litteris Apoſtolicis, quàm ijs, quas
ego Capite 18. innuebam; & hoc, poſteaquàm ambo mentionem
Mantuani feciſſent Concilij, Anno 1064. celebrati.

IV. Triſtanus quidem Chalcus Hiſtoriæ Patriæ Libro ſexto poſt An-
num 1061. ita ſcribebat: *Dimiſſo Concilio* (vt ego mox præmo-
nebam, Mantuano) *Romam repetens* (Alexander Papa Secundus)
*dum Lucæ iter faceret, memor ſui olim Epiſcopatus, Maiorem* D
*Ædem dedicauit. Eumdem ſequebatur Arembaldus Cotta: qui*
*eum ſæpè allocutus de communis Patriæ rebus, Clericorumquè in*
*primis non toleranda libidine, binas Litteras retulit, quibus Clero*
*Mediolanenſi commercium matronarum, & concubinarum licentia*
*interdicitur. Hæ adhuc leguntur in Pontificum Decretis. His Lit-*
*teris redditis, nihilominùs ingerere probra, & maledicere Sacro Or-*
*dini non ceſſabat* (in hoc enim Chalcus Arnulphi maledicentiam

&

& peruerſitatem improuidus æmulabatur) *proindequè Archiepiſcopus referre ad Populum, & conqueri apertè, fautoreſquè reprehendere quandoque ſtatuit; delegitque ad eam rem diem ſolemnem Pentecoſtes, qua denſior Populi multitudo Templa adire ſolet; atque ex edito loco cùm orare is cœpiſſet, contra Arembaldus Arialduſquè nonnullos è plebe ſuſcitant, qui dicenti obſtrepant, & calumnijs turgijſquè dicta ſua excipiant. Peragunt viri mandata licenter, atque in tumultum omnia vertunt. Seditione excitata, media in Æde concurſauere partes, & diuerſa clamantes ſeſe compulſabant, ac pugnis manibuſquè conflixere; ſi copiam gladiorum habuiſſent, rem atrociùs geſturi. Deinque, dum alij alios fugiunt vel inſequuntur, ſolus Antiſtes in Æde relinquitur. In quem conuertuntur aduerſarij: &, fuſtibus intemperanter cadentes, ſemimortuum dimiſere. Inde Aulam eius petunt: & hoſtili more, quidquid auferri potuit, diripuerunt.* Talia Triſtanus, ex Arnulpho præſertim.

A B

V. Ecce nobis nunc quæ Sigonius Libro Nono de Regno Italiæ, ad Annum 1064. *Alexander, Mantua decedens, Lucam acceſſit: atque ibi Baſilicam Diui Martini ſolemni cæremonia conſecrauit. Decedentem Erlembaldus honoris gratia proſequutus, nouum aduersùs Clericos Edictum elicuit. Si quis, Sacerdotum Diaconorum aut Subdiaconorum officium contumaciter deſerens, fœminam ſibi potiùs eligit; ſicut ſponte ob fornicationem dimittit officium; ſic ob præuaricationem dimittere cogatur etiam inuitus Beneficium. Quo Mediolani poſtea propoſito Archiepiſcopus irritatus, diem Pentecoſtes ad id oppugnandum conſtituit. Verùm vbi ea dies aduenit, tumultu ab Arialdo & Erlembaldo conflato, ſolus à Populo in Templo relictus, propoſitum tenere non potuit.* Hanc verò poſtremam periodum Sigonius conijciebat in Annum Chriſti Milleſimum ſexageſimum-quintum; hac imbutus opinione, vt eo ipſo Anno tumultus ille fuerit conflatus; cum alioqui re vera conflatus fuerit Anno poſtero, quo pariter necatus poſtea fuit Arialdus; vt proximo Capite oſtendemus; vtquè Sigonius etiam diſertiſſimè fatetur.

C D

VI. Quid, quòd etiam hoc ipſo Anno ſexageſimo-ſexto Herlembaldus, Arialdi Litteras ſecum ferens, Romam denique perrexerat, vt inde tales Apoſtolicas excommunicationis Litteras huc ad Guidonem Archiepiſcopum deferret? Hoc enim planè ac perſpicuè liquet ex ijs, quæ nos Libro 2. Cap. 23. ex Beato Andrea, quæquè Libro 3. Cap. pariter 23. è Landulpho Iuniore legebamus.

## CAPVT XXIII. A

*Herlembaldus Arialdum, ab aduerſarijs ad necem quæſitum, varias in latebras è periculo ſubducit; ſed ille nihilominus ab hoſpite per proditionem detectus capitur, & crudeliſſimè necatur. Quoto id præcisè die.*

I. QVæ protinùs poſt ſuperiorem tumultum, die ſancto Pentecoſtes in Baſilica Metropolitana excitatum, molitus fuerit in Arialdi necem Guido Archiepiſcopus: qua ſedulitate illum ei periculo Herlembaldus ſubtrahere conatus ſit: quàm perfidè nihilominùs ille ab hoſpite ſuo prodi- B
tus fuerit: quàm denique crudeliter necatus: harum rerum veritati ad purum & ſincerum aperiendæ ſatis ſuperquè iam eſſe poſſunt Beatus Andreas ſuperiore Libro 2. à Capite 26. vſque ad 29. & Landulphus Iunior à Libri 3 Capite 27. vſque ad 29.

II. Arnulphi tamen teſtimonium ad hoc [illegible] nobis hic proderit, vt ſimul etiam videamus, quomodò veritatem illam fraudulenter vel reticuerit vel adulterauerit. Etenim Libro ſuo 3. Capite 16. poſt illa verba, quæ proximè ſuperioris Capitis Numero 2. nos deprompſimus, hæc ille ſtatim attexuit: *In craſtinum* (ex eo nempe die Pentecoſtes, quo tumultus ille fuerat excitatus) *viſa* C
*tanta crudelitate, Ciues horreſcunt, nouitate confuſi. Communiter igitur ſtatuunt aut tantum punire facinus, aut viuere nolle amplius. Vnde factum eſt, vt fugiens Arialdus ab Vrbe, diebus lateret aliquot. Cùmque diuerſas erraret per latebras, ſolus gradiens noctibus; proditus à commeantibus, incidit in manus quærentium animam eius. Quem tenentes, & nocte illa tota ſecum ducentes, facto manè, præciſis auribus, & in gutture lingua cum naribus, geminoquè ſuffoſſo lumine, penitùs interficiunt.*

III. Atqui ne Triſtanus quidem Chalcus hoc loco immunis à cenſura
eſſe debet. Siquidem ſubſecuta pariter eius tumultus effecta ſic D
etiam protinùs ipſe illic narrando proſequebatur: *Cuius rei indignitate perſpecta, reliqua pars Ciuitatis in commune conſulunt. Decernunt, non ampliùs ferendam ſeditioſorum hominum impudentiam, & temeritatem. Horum iram deuitans Arialdus, Vrbe ceſſit: adeoquè deterritus eſt, vt, nulli hoſpitio confiſus, latebras ſubinde mutaret. Ad poſtremum tandem inquiſitorum manus non euaſit. Captus namque, & in Vrbem reductus* (immò verò versùs Lacum

Verbanum

Vercellanum ſiue Maiorem abductus, vt Beatus Andreas Capite 28. & Landulphus Iunior Capite 29. teſtabantur) *naſo, auribus, labijſquè mutilatus fuit. Mox, lingua præciſa, & oculis effoſſis, fœda morte multatur*. A

IV. Quod vtique nefandum facinus perpetratum fuit Anno Chriſti, vt etiam paulò ante dicebam, Milleſimo ſexageſimo ſexto: &, ſicut in conceſsis à me ſupponitur, Iunio menſe.

V. Quoto autem menſis eiuſdem Iunij die perpetratum illud fuerit; hoc quidem aliquatenùs controuerſum & aliqua dignum diſcuſſione videtur. Nonnulli enim perpetratum exiſtimarunt vigeſimo-nono die; vt iam vidimus Libro 1. Cap. 2. Num. 13. & B Cap. 15. Alij die vigeſimo-octauo; vt Cap. 4. Num 7. & Cap. 5. Rurſuſquè alij die vigeſimo-ſeptimo; vt Libro 1. Capite 2. Num. 5. & Cap. 4. Num. 4. quodquè pluris ad fidem intereſt, Beatus ipſe Andreas Libro 2. Capite 33. & Landulphus ipſe Iunior Libro 3. Capite 38. His igitur poſtremis præſertim duobus ego ſanè penitùs ac promptus aſſentirer; ſed ea talis ipſorum atteſtatio mihi quidem videtur & ipſorum ſententiæ oppoſita, & manifeſti conuicta erroris, quem Amanuenſis potiùs aliquis lapſu facili (ac tum præſertim cùm dies ipſe numerali tantùm nota conſignaretur) obtruderit, exſcribens *quinto* pro *quarto Kalendas Iulij*. Non enim quintus ille diei numerus conciliari C ratione vlla poteſt cum altera illa aſſertione, qua ijdem ipſi Auctores (Beatus nempe Andreas Libro 2. Capite 29. & Landulphus Libro 3. Capite 30. & 32.) luculenter ac diſertè teſtificati fuerunt, ipſaquè rerum etiam narratarum ſerie comprobarunt, diem illum, quo necatus fuit Arialdus, ſimul etiam fuiſſe Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum Vigiliam. Hæc enim eorum Vigilia certè cadere non in alium ſolet diem, quàm Iunij vigeſimum-octauum. Certè itidem nulla cauſa fuit, cur eo Anno ipſa in diem retrotracta fuerit vigeſimum-ſeptimum: qualis vtique cauſa vnicè fuiſſet, ſi eo Anno feſtus eorum Apoſtolorum D dies in diem Lunæ incidiſſet; tunc enim eorumdem Vigilia, ſicut in anteriorem Sabbati, ſic etiam in vigeſimum ſeptimum Iunij diem incidiſſet. Certè itidem nulla, inquam, tunc fuit eiuſmodi cauſa. Eo enim Anno Paſcha Dominicæ Reſurrectionis ſecundùm Tabulas probatiores incidit in decimum-ſextum Aprilis diem; ac propterea vigeſimus-nonus Iunij dies,

Sanctis

Sanctis illis Apoſtolis ſacer, non in alium, quàm Iouis, incidit A
diem. Hinc igitur Arialdum ego arbitror, teſtibus etiam Beato Andrea & Landulpho verè necatum eſſe vigeſimo-octauo Iunij die, ſiue quarto Kalendas Iulij; ac propterea errore Amanuenſium contra voluntatem Auctorum factum eſſe, vt pro *quarto* appoſitum fuerit *quinto Kalendas Iulij*; ſicut etiam proprijs vtriuſqu illius Vitæ locis in ora marginali adnotabam. Pro qua quidem opinione recoli poſſunt etiam, quæ dicta ſunt Libro 1. Capite 4 Num. 7. & Capite 5. è quibus ſanè dignoſcitur Eccleſiæ item Mediolanenſis conſenſus, mihi planè fauens.

B

## *CAPVT XXIV.*

*Herlembaldus Arialdi necem diſſimulat, vt cautius prouideat.*

I. HOC nempe vnicum illud eſt, quod ab Arialdi morte vſque ad decem inde menſes teſtatum nobis Landulphus Iunior reliquit Capite 33. his verbis: *Dum autem Beati Arialdi mortem diſſimulat Herlembaldus, vt cautius prouideret; tranſactis menſibus decem, ſcilicet in feſto Inuentionis Sanctæ Crucis, Corpus Beati Arialdi per Aquilam demonſtratur*. Qua de re nos Capite ſequenti. C

II. Arnulphus tamen ille ſolitus Arialdi eiuſquè Collegarum hoſtis, non ſine ſolito ſuo liuore, aliquid amplius interea factum ab Herlembaldo recenſuit. Libro enim 3. Capite 17. ſic ille narrare poſt Arialdi necem pergebat: *Quo perempto, diſſimulat Herlembaldus modicùm, reſeruans iram in poſterum. Fauebat enim tunc Pontifici* (ſiue Archiepiſcopo Guidoni) *Ciuitas penè vniuerſa. Sed more ſuo Populus non diu ſtatu permanſit eodem. Etenim mox vt Præſul ab Vrbe diſcedit, ad inſequendum illum reſumptis impatienter Herlembaldus accedit, fautorem aſſerens perpetrati flagitij. Interim ergo ad iuramenta conuertit, inuitis tamen Ciuibus:* D
*& ſi quos habebat ſuſpectos; acriùs iurare compellit: agreſtes turbas, & ciuiles aſſiduè cogit turmas ad Guidonem perſequendum Antiſtitem, omnemquè ſuam delendam progeniem. Et feciſſet vtique, niſi generoſa ſuorum fidelium reſtitiſſet audacia. Sæpè etenim conuenerunt parati ſubire pro Seniore certamen.* Hæc Arnulphus: & ex ipſo ſimilia deinde Triſtanus Chalcus, & Carolus Sigonius. Contra quorum tamen dicteria & calumnias nos abſque cunctatione

tione nobis ex aduerſo polliceri hoc poſſumus, vt nihil ab Herlembaldo in præſenti cauſa factum interea ſit, quod à Supremi Pontificis Alexandri (è cuius ille nutibus vnicè pendebat) iudicio ac legibus, & ab ipſamet cauſæ iuſtitia, ſatis iam diſcuſſa & explorata, diſſentiret. A

III. Triſtanus ergo Chalcus, Arnulphum imitatus, ſic etiam ipſe ſuam Hiſtoriam proſequebatur: *Tunc Arembaldus quoque quieuit; ſed ad tempus. Nam & rem geſtam Romanis Præſulibus, vnde opem ſperabat, ſignificauit: & interim Vrbe digreſſo Archiepiſcopo, per eius abſentiæ occaſionem iterùm res nouas molitur: paratiſquè primò ex agreſti iuuentute robuſtiſsimis defenſoribus, priſtinam excitat ſeditionem: à Ciuibus iuſiurandum exigit, in Presbyteros arma ſumit: alios in via occurrentes cadit, alios domi opprimit, & ſupellectili ſpoliat: reuertentem Archiepiſcopum, ac fortè obuiu.n, penè interemit.* B

IV. Similiter verò Carolus etiam Sigonius, tametſi Arialdi necem fuiſſe rijs execratus verbis, quæ ſuperiore Libro 1. Capite 15. ego recitabam;nihilominùs ſtatim, ad Arnulphi & ad Chalci ſententiam reuerſus, hæc adiecit: *Arialdi exemplo perterritus Erlembaldus, ſibi tum quoque quieſcendum exiſtimauit. Proximo verò* (videlicet Anno Domini 1067.) *abſentem Antiſtitem nactus, vniuerſum ſuperioris diſſenſionis renouauit incendium. Nam, præſidijs maioribus comparatis, Ciues apud ſe dicere ſacramentum coegit: neque tam Sacerdotum Ordinem, quàm ipſum Archiepiſcopum diuexauit. Quippe cui etiam, in Vrbem ad comprimendam ſeditionem reuertenti, violentas manus non dubitarit inferre.* Sic igitur etiam Sigonius Herlembaldum carpebat vt hominem ſeditioſum, & diſſenſionis auctorem. C

D

CAPVT.

## *CAPVT XXV.* A

*Herlembaldus, vnà cum ingenti armatorum multitudine profectus ad recuperandum Sancti Martyris Arialdi Corpus, quod poſt decem ab obitu menſes mirabiliter ac recenter è profundo Lacus Maioris in ripam emerſerat, illud tandem pacificè obtinet, ac Mediolanum perhonorificè deportandum, necnon etiam ibidem tumulandum curat.*

I. VT Capite 23. Numero 5. probaui, Arialdus vigeſima-octaua Iunij die necatus fuerat Anno B Chriſti Milleſimo ſexageſimo-ſexto. Vt autem proximè dicebam ſuperioris Capitis Numero 1. eius Cadauer Anno poſtero è profundo Lacus Maioris in litus emerſit die tertia Maij; Sanctæ Crucis Inuentioni ſacra; & proinde poſt decem ab eiuſdem obitu menſes emerſit.

II. Vt autem liquidò iam hæc conſtant è Beato Andrea, Libro noſtro 2. Capite 29. 30. 31. & è Landulpho Iuniore, Libro noſtro 3. Capite 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. ſic etiam reliquæ præſentis Capitis partes è ſubſequentibus illic eorum Capitibus æquè perſpicuæ ſunt. C Lectorem igitur beneuolum tantummodò precabor, vt eadem illic Capita patienter animo memoriaquè recolat: nec aliud præterea hoc loco ſuperaddi placet.

## *CAPVT XXVI.*

*Apoſtolici denuò Legati Mediolanum veniunt, & multis Conſtitutionibus diſſidia Cleri & Populi componunt.*

I. PRæſentis Capitis argumentum Arnulphus ille noſter Hiſtoriographus, ſed Arialdi hoſtis, bre- D uiter his complexus eſt verbis; cùm ad Libri ſui tertij Caput 18. perueniſſet: *Nulla interim erat requies prædonum in diripiendis ſubſtantijs Clericorum. Ad quod ſedandum litigium contigit tunc temporis Mainardum Epiſcopum Sylua-Candidæ, & Minutum Cardinalem Epiſcopum, Romanos Legatos, veniſſe Mediolanum. Qui, dum præcepto Apoſtolico Alexandri pacem euangelizarent, omnibus*

*omnibus conſultè ſatis prouident de nece Arialdi fœdus componere: deinde, inter Clerum iudicantes & Populum, eleganti Scripto conſtituunt, quid fieri debeat in poſterum.* A

II. Eadem breuiùs Triſtanus Chalcus, Arnulphum affectatus. Inquit enim: *Interea ab Roma venere Legati, de cæde Arialdi cogniturі. Cuius cauſa dum componitur, Cleri etiam & Populi controuerſia maiorem in modum adaucta eſt: & Legati ſcripſere, quid fieri oporteret.*

III. Baronius porrò ipſas etiam eorum Legatorum Conſtitutiones, in præſenti factas, ſuppeditauit: & ex ipſo Seuerinus quoque Binius in Secunda Parte Tomi Tertij Conciliorum, à ſemetipſo editorum. B

IV. *Annus ſequitur Redemptoris Milleſimus ſexageſimus-ſeptimus* (Baronij verba ſunt in eumdem hunc Annum, Art. 1.) *Indictione quinta: quo Alexander Papa, cùm audiſſet Mediolanenſis Eccleſiæ mutuas diſſenſiones & perturbationes, ob Simoniacos atque Clericos fornicarios perſeuerantes; miſeratus errores & damna, ex ijs iugiter prouenientia, decernit ad Mediolanenſes Legationem. Delecti ſunt autem ad hoc munus Mainardus Cardinalis Silua Candidæ ſucceſſor Humberti, & Ioannes Presbyter Cardinalis. Qui, illuc cùm perueniſſent, hæc, quæ ſequuntur, Decreta ſeruanda præſcripſerunt vniuerſis illius Eccleſiæ Miniſtris.* C

V. *In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti Millеſimo ſexageſimo-ſeptimo, Pontificatus verò Domini Alexandri Secundi Papæ Sexto, Indictione quinta, die primo menſis Auguſti, actum feliciter Mediolani.*

VI. *Cùm conſtet, Fratres chariſſimi, omne genus hominum, ſub primi Parentis præuaricatione ortum, ex radice carnis peccati trahere contagia culpæ: eamquè propter hoc pœnam ſuſtinere vindictæ, vt miſerijs multis repletum, ſibiquè ipſi graue & ingratum, numquàm in eodem valeat permanere ſtatu: vt, quia Factori ſuo noluit obedire, ex pœna peccati cogatur mutabilitatis ſuæ miſerias tolerare: itaut nec animo virtutis ſtabilitatem, nec corpore ſtatus tenens qualitatem, in diuerſa vitiorum monſtra erumpat, & præceps ad æternæ mortis interitum currat; immenſa Dei bonitas humanam naturam, ſic vitiatam, & à ſe per mandatorum eius tranſgreſſionem multifariàm elongatam, non deſeruit; ſed labentem quotidie erigit, fugientem reuocat, nexibus amoris multiplicium beneficiorum ſibi ligat;* D

*ſed nec ſic in voluntate ipſius permanenti, vel mandatis eius adhærenti, leges edixit, Canoneſquè Spiritu Sancto dictauit, modos conſtituit, quibus debeat anima compeſci, & in bonis enutriri. Quorum omnium caput, ſummumquè apicem, Romanam (cui per Beatum Petrum, non ſolùm Terram, ſed ipſos Cælos ligandos ac ſoluendos dedit) conſtituit Eccleſiam; vt, quidquid vbique Eccleſiarum prauitatis reperitur, dum ibi non poterit, ab ea, quaſi ab origine & Magiſtra omnium, corrigatur.* A

VII. *Quapropter Dilectionem veſtram hortor, & per Chriſtum rogans obteſtor, ne erubeſcat quiſquam malum emendare, quod non erubuit ante Dei oculos perpetrare.* B

VIII. *Quia igitur in hac Sancta Mediolanenſi Eccleſia, quorumdam prauorum Clericorum ac Laicorum ſtatu vel neglectu, in multis diuinæ legis deſueuit regula (vnde in hac præclaris Vrbe, pernicioſa inter iuſtitiæ, vt videbatur, fautores, & malitiæ defenſores orta ſeditio; ac mortifera in omnem intùs & extra Populum diſſeminata diſcordia, ad animarum interitum) qualiter per boni Ieſu, amatoris hominum, miſericordiam, & per nos qualeſcumque Apoſtolicæ Sedis Legatos, noſtramquè peruigilem operam, ſeditio in quietem, diſcordia in pacem, peruerſitas reducta ſit in rectitudinem, ſcripturæ titulis annotamus; vt, iuuante Domino, pacem firmam, & canonicæ rectitudinis normam in hac Sancta Eccleſia in perpetuum ſtabiliamus.* C

IX. *Quia itaque per confratrem noſtrum, Dominum Petrum, Oſtienſem Epiſcopum, reuerendæ ſanctitatis Virum, quædam ſunt olim in hac Vrbe correcta; non opus eſt ea, vel præteritas lites, omnibus notas, replicare; ſed, quæ nunc ſunt canonicæ diſciplinæ à nobis ſtatuta, ad futurorum memoriam litteris exarare.*

X. *Apoſtolica igitur auctoritate fulti, ex parte Omnipotentis Dei, & Apoſtolorum Principis Petri, Glorioſiquè Confeſſoris Chriſti Ambroſij, ſtatuentes præcipimus, ac per virtutem Spiritus Sancti, qui eſt peccatorum remiſſio, interdicimus (non noua præcipientes, ſed antiqua reformantes) vt nullus in vniuerſa huius Eccleſiæ Parochia Monachus Abbàs per pretium quocumque modo Conuentum accipiat: Canonicus etiam nec niſi gratis, nec vllo alio modo ordinetur. Ex nulla quoque Eccleſiaſtici Ordinis benedictione, vel ex Eccleſiarum Conſecrationibus, vel Chriſmatis datione, quidquam muneris à quoquam per aliquam conuentionem detur, aut accipiatur.* D

XI. *Presbyter etiam, Diaconus, ac Subdiaconus, fœminam ad fornicandum*

*dum palàm retinens, donec in culpa manſerit, nec officium faciat,* A
*nec Eccleſiæ Beneficium habeat. Qui verò non retinet, & euentu*
*ex humana conditione ceciderit; poſtquàm manifeſtum veraciter*
*fuerit, ſuſpendatur ab officio tantùm, donec per pœnitentiam ſatiſ-*
*fecerit.*

XII. *Statuimus inſuper, neminem prædictorum graduum Clericum ex ſuſ-*
*picione damnari; itaut nec officio careat, nec Beneficio; niſi ipſe fortè*
*confeſſus, vel per idoneos teſtes veraciter ſit conuictus.*

XIII. *Ne autem lædendi eos aliqua occaſio pro relictis fœminis eorum fiat;*
*ſtatuimus, vt cum illis in vna domo non maneant, nec manducent,*
*nec bibant, nec ſine tribus vel duobus idoneis teſtibus ſimul loquan-* B
*tur; & hæc ſeruantes, nullam pro eis calumniam patiantur; ipſi ve-*
*rò iuxta Eccleſias, ſi fieri poteſt, habitare cogantur.*

XIV. *Qualiter verò quiſque eorum, pro Ordinum inæqualitate, vel culpæ*
*varietate, officium ac Beneficium perdat, ideò ſcribimus; quia*
*cuncta Eccleſiaſtica officia in ſtatus ſui dignitate conſiſtere volumus;*
*& nullum Clericorum, pro cuiuſquam peccati culpa, vel officij ſui*
*aliqua in Deum offenſa; in iudicio Laicorum amodò eſſe permitti-*
*mus, ſed modis omnibus in perpetuum prohibemus.*

XV. *Si quis autem Laicus, cuiuſcumque ordinis, præſcriptorum graduum*
*Clericos in poteſtate ſua habet; cùm primum ſciuerit in veritate;* C
*aliquem ex eis vel fœminam, ſicut dictum eſt, retinere, vel in for-*
*nicationis crimen caſu cecidiſſe; ſtatim per ſe, vel per ſuum Nun-*
*cium, hoc ſtudeat indicare Archiepiſcopo, & huius Eccleſiæ Ordi-*
*narijs, quibus cura iſta commiſſa fuerit. Si ipſe, aut ipſi, illi, ad-*
*modum ſcilicet in culpa obdurato, vel accidentaliter lapſo, interdi-*
*xerint, vt dignum eſt, officium; ipſe Laicus poſtmodum interdicat*
*obdurato tantùm officium. Si verò Archiepiſcopus, vel ſui Ordina-*
*rij, poſtquàm audierint, hoc neglexerint; ipſe Laicus, quicumque*
*ſit, extunc in ſua poteſtate, nec officium facere, nec Beneficium ali-*
*cui ex illis permittat tenere, donec culpam deſerat, & dignè Domi-* D
*no per pœnitentiam ſatisfaciat. Præcipimus, vt illud Beneficium,*
*quod cuiquam Clericorum aufertur, nullus Laicus in ſuum vſum*
*vel lucrum accipiat, nec alicui ſuorum tribuat; ſed ad ipſius Eccle-*
*ſiæ, vel miniſtrantium illi, opus & vtilitatem ſeruetur, aut expenda-*
*tur; donec vel ipſe, ſi dignus fuerit, reconcilietur; vel alter loco eius*
*conſtituatur.* Ad quæ demùm verba Baronius, & ex ipſo Binius,
ſic adnotat: *Iſta pro tempore Laicis Papa conceſſit in odium nefan-*

*dorum fornicantium Clericorum, quibus hæc prohibet.* Legatorum A
porrò Apoſtolicorum Conſtitutiones ſubſequuntur in hunc
modum.

XVI. *Hoc etiam conſtituimus, & firmiter contradicimus, vt nullus Laicus
alicui ex illis, qui fortè lapſi fuerint, vllam in prædiolis, ſi habet, aut
in aliquibus bonis ſuis, vel ſæculari, ſi forſan fuerit, Beneficio vio-
lentiam inferat: nihilquè de ſuis, niſi Eccleſiaſticum Beneficium,
prædicto modo tollat.*

XVII. *Similiter quoque, vt nullus Laicus à cuiuſquam Ordinis Clerico, in
gradu aliquo Eccleſiaſtico benedicendo, quidquam muneris exigat,
vel accipiat; ne cum Simone Mago particeps fiat.* B

XVIII. *Illud autem, quod ſpeciali deuotione eſt dignum, inuiolabili Conſti-
tutione iudicamus fore in perpetuum firmum, vt huius Glorioſæ Se-
dis Antiſtes, qui nunc eſt, vel quicumque deinceps fuerit, ſemel aut
bis, ſi poſſe fuerit, ſibi per omnes Plebes (quicumque eas teneat) ad
conſignandum, & Chriſtianitatem ſecundùm Canones perquiren-
dum vadat: nulluſquè Laicus aut Clericus in hoc ei reſiſtat; ſed
deuotè ei in his, quæ Domini ſunt, obediat, & miniſtret. Integram
quoque habeat in omnem ſuum Clerum canonicè iudicandi ac diſ-
tringendi poteſtatem, tam in Ciuitate, quàm extra, per omnes Ple-
bes & Capellas; vt, dum Clerici fuerint à Sæcularis iudicij infeſta-* C
*tione ſecuri, in diuina ſeruitute & Canonum auctoritate conſiſtant
quieti, & Archiepiſcopo ſuo obediant deuoti.*

XIX. *Illos autem omnes Clericos & Laicos, qui contra Simoniacos & in-
continentes Clericos, vt per rectam fidem, ne hæc mala fierent, ope-
ram darent, iurauerunt, & per hoc incendia deprædationes ſangui-
num effuſiones multaſquè violentias fecerunt, omnimodò prohibemus,
ne hæc vlteriùs faciant; ſed ſemetipſos cuſtodiendo, & pro his qui
ea non ſeruant Archiepiſcopo ſuo & Ordinarijs huius Eccleſiæ Suf-
fraganeiſquè Epiſcopis quod canonicum eſt ſuggerendo, & cum bo-
no animo ſupplicando, in his operam tribuant; hoc eſt, ſtudium ha-* D
*beant. Et nulla alicuius damni vel dedecoris, quod pro huius pla-
citi cauſa alicui illatum eſt, ex aliqua parte amodò repetitio fiat, aut
odium maneat; ſed pax Chriſti, quæ ſuperat omnem ſenſum, corda
veſtra poſsideat.*

XX. *Ad hæc igitur omnia conſeruanda, & perenniter ſtabilienda (quia
aliquando nonnullos magis mundana quàm æterna pœna à malo re-
trahit, & ad bonum compellit) ſi quis ex his omnibus, qui pro officio*

&

*& poteſtate Eccleſiaſtica vel mundana hæc agere debet, & poteſt* A
*ea ſtudioſè & fideliter perficere, ſicut præmiſſum eſt, neglexerit, aut*
*noluerit; Archiepiſcopus quidem de ſuo centum libras denariorum*
*perſoluat; &, ſi contempſerit, donec emendet, proprio officio abſti-*
*neat; Clericus autem vel Laicus, pro Ordinis aut dignitatis ſuæ*
*qualitate, hac poteſtate tali mulctetur damno; vt, ſi quidem de or-*
*dine Capitaneorum fuerit, viginti denariorum libras, Vaſſorum (*le-
gendum videtur *Valuaſſorum) autem decem, negotiatorum quin-*
*que, reliquorum verò pro qualitate & poſſibilitate componat ad vtili-*
*tatem huius Sanctæ Matricis Eccleſiæ; & ſicut pro treuga Dei*
*fracta per decem tot Ciuitates riſcattum faciat.* B

XXI. *Si quis itaque (quod non optamus, & Dominus auertat) hæc non ob-*
*ſeruauerit: & tranſgreſſor factus, ſicut ſtatutum eſt, emendare con-*
*tempſerit; incurrat æternæ maledictionis & anathematis vinculum;*
*& cum Dathan & Abiron præſens, atque cum Iuda traditore Pi-*
*lato & Caipha æternum ſubeat interitum, niſi reſipiſcat, & dignè*
*ſatisfaciat.*

XXII. *Omnipotens Deus, Dulciſſimi Fratres & Filij, precibus Beatiſſimi*
*Apoſtolorum Principis Petri, & Glorioſiſſimi conſortis ſui Ambroſij,*
*ab his omnibus malis vos cuſtodiat: & in bonorum obſeruantia cor-*
*da veſtra & corpora dirigat, vt ad promiſſam vobis æternæ beatitu-* C
*dinis hæreditatem peruenire concedat. Amen.*

*Ego Mainardus, Dei gratia Siluæ Candidæ dictus Epiſcopus, Apoſto-*
*licæ Sedis Legatus, huic Conſtitutionis paginæ, à me factæ, ſubſcripſi.*
*Ego Ioannes, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Presbyter, atque*
*eiuſdem Legatus, huic Conſtitutioni ſubſcripſi.*

XXIII. Hactenùs Conſtitutiones, Anno ſupra Milleſimum ſexageſi-
mo-ſeptimo Calendis Auguſtis Mediolani conditæ à Legatis il-
lis Apoſtolicis. Quorum quidem ſecundus, nomine Ioannes,
cognomento Minutus fuit; ſicut eum Arnulphus initio præ-
ſentis Capitis appellabat; & ſicut Alphonſus etiam teſtatur Cia- D
conius in Alexandri Papæ Secundi Cardinalibus; vbi Mainardi
quoque illius (aliter Maynardi) alterius Legati, honorificam
facit mentionem.

XXIV. Cæterùm ex ea Petri Damiani mentione, quæ nobis Numero
9. fiebat, intelligi facilè poteſt, Sedi quoque Apoſtolicæ Decre-
ta placuiſſe illa, quæ ipſe olim, ſiue Anno Milleſimo quinqua-
geſimo-nono, noſtra in Vrbe condiderat, vt iam vidimus Ca-

pite 10. quæquè illic Numero 38. ipſemet eiuſdem Sanctæ Sedis iudicio ſubijciebat. Beroldus quidem Presbyter Conſtantienſis in Appendice ad Hermanni Contracti Chronicum, de ipſomet Petro Damiani ſic ad Annum 1066. narrabat: *His temporibus Venerabilis Petrus Damiani, ex Eremita Cardinalis Epiſcopus, multa conſcripſit: & incontinentiam Sacerdotum ſatis rationabiliter in ſcriptis ſuis confutauit: ordinatos autem à Simoniacis, vt aiunt, nimis clementer tractauit.* Benè tamen ſe res habet; quòd eiuſdem generis clementia Sedi pariter Apoſtolicæ placuit, vt ſupra iam vidimus. A

XXV. Quoniam verò noſter etiam eius temporis Archiepiſcopus, nempe Guido, non ſine commendatione nominabatur Numero 15. & 18. propterea illum ego credidi iam tum fuiſſe abſolutum ab excommunicatione illa, qua per Alexandri Papæ Litteras, ex Vrbe Roma per Herlembaldum allatas, irretitus Anno fuerat ſuperiore, Milleſimo ſexageſimo-ſexto. B

XXVI. Denique verò illud etiam obſeruatione dignum eſt, quòd in eiuſmodi Legatorum Conſtitutionibus nihil extat Herlembaldo eiuſquè geſtis aduerſarium, nihil non ab ipſo expetitum. Quocirca ipſemet etiam Arnulphus ijs verbis, quæ nos Numero 1. recitabamus, hæc protinus adiecit: *Nec tamen his contentus Herlembaldus, pergens Romam iterum nouum init cum Romanis conſilium.* Qua de re nos item poſtea ſuo tempore ac loco dicemus. Operam profectò hactenus ab Herlembaldo pro præſenti cauſa nauatam, Romanæ Sedi gratam & acceptam fuiſſe, illud etiam certiſsimo indicio eſt; quòd cum bona Sedis eiuſdem gratia & fauore nihilominùs ille deinceps laudabiliter, vt in poſterum etiam videbimus, perſeuerat in ampla illa poteſtate; quam primitùs ab Alexandro Papa Secundo acceperat. C

## *CAPVT XXVII.*

*Pontifex ipſe Maximus Alexander Secundus Mediolanum venit, & Arialdum Catalogo Sanctorum Martyrum adſcribit.* D

I. Ipſamet Landulphi Iunioris verba, ſuperiori Libro 3 Capite 38. à nobis recitata, lubenter hoc ipſo rurſus loco in conſpectum damus; vt cum maiori legentium commodo diſſolui poſſit quæſtio, quam ſubinde tractare meditamur. Ea verò verba ita prorſus ſe habent: *Paſſus eſt*

*Beatus*

*Beatus Arialdus quinto Kalendas Iulij, Anno Domini Milleſimo ſexageſimo-ſexto. De cuius morte doluit Papa Alexander. Vnde Anno ſequenti, ſcilicet Milleſimo ſexageſimo-ſeptimo, cum idem Papa iret ad Synodum, quam Mantuæ celebrauit, Mediolanum venit; multaquè fecit Statuta de ſtatu Mediolanenſis Populi & Cleri; Beatumquè Arialdum Sanctorum Martyrum Catalogo annotauit.* Nunc quæſtionem atque controuerſiam explicemus, cui tale illud Landulphi teſtimonium eſſe poteſt obnoxium. A

II. Non nullis etiam doctiſſimis Viris perſuaſum videtur, vnicum prorsùs fuiſſe Concilium illud Mantuanum, quod Alexander Papa Secundus celebrauit. Qualibus quidem Viris ego nunc connumero Ioannem præſertim Nauclerum, Carolum Sigonium, Cæſarem Baronium Cardinalem, Seuerinum Binium, & Franciſcum Matiam Florentinium: primum in Secundo Chronographiæ Volumine, Generatione 36. in Alexandro Papa Secundo: ſecundum Libro Nono Hiſtoriarum de Regno Italiæ: tertium in Vndecimo ſuorum Annalium Tomo: quartum in Secunda Parte Tomi Tertij Conciliorum, à ſemetipſo editorum: quintum in Primo Libro Voluminis inſcripti, *Memorie di Matilda, la Gran' Conteſſa d'Italia, reſtituita alla Patria, ciò è, di Lucca.* B

III. Ex altera verò parte ne veteres quidem deſunt Scriptores, qui Mantuanum eiuſdem Pontificis Alexandri Concilium diuerſis Annis adſcripſerint. E quorum numero primus nobis ſit ille, qui Hermanni Contracti Chronicum proſecutus eſt ab Anno 1054. quo ipſe obierat, vſque ad 1066. quiquè mihi ſanè videtur diuerſus a Bertholdo Conſtantienſi Presbytero, qui Chronicum item illud proſecutus eſt vſque ad Annum 1100. Siquidem hic Alexandro Papæ legitimo fauit; ille autem Cadaloo Antipapæ; ſicut è genuinis ipſorum textibus ad Annum 1061. liquidò apparet. Talis igitur ille Continuator inter Anni 1064. geſta id etiam collocabat: *Synodus Mantuæ;* nec aliud prætereа quidquam de hac Synodo addebat; perinde fermè ac ſi de induſtria vellet ea ſilentio inuoluere, quæ contra Cadaloum ſuum Antipapam illic geſta fuiſſent. Secundus porrò ſit Sigebertus, Monachus Gemblacenſis, in Chronico. Ad Annum quippe 1067. ſic ille tradebat: *Romæ duobus de Papatu contendentibus, Mantuæ Synodus colligitur: &, mediante Annone Colonienſi Archiepiſcopo; Alexander ſe iureiurando de Simonia expurgans, in Sede* C D

*Apoſto-*

*Apoſtolica ſubrogatur; Cadelo verò* (nobis Cadalous) *vt Simoniacus repudiatur*. Tertius & poſtremus ſit Ptolemæus, Patria Lucenſis, Epiſcopali dignitate Torcellenſis, in ſuis ab Anno Salutis 1060. vſque ad 1303. Annalibus. Anno enim 1069. hæc etiam narrabat: *Eodem Anno Alexander Concilium celebrat apud Mantuam, præſente dicto Imperatore* (Henrico) *omneſquè Epiſcopos ſchiſmaticos cum Cadulo* (nobis Cadaloo) *ad gremium Eccleſiæ refert, ipſoſquè ſibi reconciliat, totumquè Populum ſibi fauentem: contraxitquè moram in toto ſpatio illius Anni in dicta Regione* (ſiue in Lombardia) *pro maiori firmitate pacis & vnitatis*. En igitur, vt tribus Annis, inter ſe diuerſis, Mantuanum Alexandri Papæ Secundi Concilium veteres illi Rerum Scriptores adſcripſerint. A B

IV. Sigonius enimuerò Baronius ac Binius Concilium illud (quod, vt diximus, vnicum fuiſſe opinabantur) non alteri ſupra Milleſimum Anno adijudicarunt, quàm ſexageſimo-quarto. Quamobrem ipſi etiam nobis profectò non admitterent, quod tam diſertè Landulphus Iunior affirmabat: Alexandrum videlicet Pontificem Maximum Anno Milleſimo ſexageſimo-ſeptimo veniſſe Mediolanum, cùm ad Synodum pergeret, in Vrbe Mantua celebrandam.

V. Ex aduerſo autem Nauclerus & Florentinius, ſicuti Concilium illud non alteri adiudicarunt eiuſdem Sæculi Anno, quàm ſexageſimo-ſeptimo; ſic etiam illud Landulphi teſtimonium lubentiſsimi nobis admitterent. C

VI. In hac igitur opinionum diuerſitate medium ego iter tenuerim, quod vtriuſque partis rationibus non aduerſetur. Sigonio itaque Baronio ac Binio planè aſſentior, verè quidem Concilium illud, quod ipſi deſcribebant, in Vrbe Mantua fuiſſe celebratum Anno Sæculi eius ſexageſimo-quarto, & Sancti quidem Annonis Archiepiſcopi Colonienſis rogatu; ſed ita tamen, vt alterum rursùs Concilium eadem in Vrbe alias ob cauſas celebratum fuerit Anno poſtea ſexageſimo-ſeptimo; vtquè propterea tunc temporis Mediolanum etiam venerit Alexander Pontifex, & hic Arialdum Catalogo Sanctorum Martyrum adſcripſerit. D

VII. Certè autem nihil etiam video adhuc, quod obſtet, quominùs tertium itidem in eadem illa Vrbe Concilium fuerit Anno Milleſimo ſexageſimo-nono celebratum; ſicuti Ptolemæus aſſerebat; tametſi re vera fortaſsè illud per omnes circumſtantias non

eſſet

eſſet tale protsùs, quale ab ipſo deſcribebatur. In hoc enim A
Ptolemæum ego nollem deterioris eſſe conditionis, quàm Sigebertum, cùm Synodum illam ſuam deſcriberet Mantuanam. Sed Mantua etiam ipſa, ditioni Comitiſſæ Mathildis, Heroinæ Generoſiſſimæ Apoſtolicæque Sedi addictiſſimæ, ſubiecta, non modò ſemel atque iterùm ſed etiam tertiò per ea tempora potuit locus videri opportunus, in quem, non tam Epiſcopi Lombardiæ, quàm qui trans Alpes poſiti erant, ad Concilium conuenirent. Et hæc in præſenti ſatis ad propoſitæ quæſtionis ſolutionem.

B

## *CAPVT XXVIII.*

*Herlembaldus, Romam profectus, à Sede reportat Apoſtolica Decretum, ne quis in Epiſcopum eligatur abſque Romani Pontificis conſenſu; ſecùs autem illegitima prorſus & irrita ſit electio. Multos igitur etiam ſibi aſſociat alios, qui hoc ipſum in Decretum iurati conſentiunt.*

I. QVæ ſequuntur Capita, ſolo Arnulphi, vel etiam eius aſſeclarum (quales fuerunt Triſtanus Chalcus & Carolus Sigonius) teſtimonio comprobata: hæc ita Lector examinet, vt ſimul etiam meminerit, Arnulphum alieno interim & à Sede Apoſtolica & ab Herlembaldo eiuſquè fautoribus animo hæc ipſa ſcripſiſſe; prudenterquè propterea, & cum grano ſalis, vt communi vulgatum eſt prouerbio, verum à falſo, ſanum à morboſo diſcernat; & Apoſtolicæ Sedis iudicium, tamquàm ex ipſius quoque Arnulphi, ad ſaniorem poſtea mentem redacti, ſententia cæteris omnibus antehabeat. C

II. *Nec tamen his contentus Herlembaldus* (his nimirùm, quæ nos quoque Capite 26. Numero 1. recitabamus ex ipſiuſmet Arnulphi D
Libro 3. Capite 18. ſic ille mox proſequitur) *pergens Romam iterùm nouum init cum Romanis conſilium. Vetus quippe fuit Italici Regni conditio, perſeuerans vſque in hodiernum, vt, defunctis Eccleſiarum Præſulibus; Imperator Rex prouideat Succeſſores Italicis, à Clero & Populo decibiliter inuitatus. Hoc Romani canonicum eſſe negant; ſed inſtantiùs Archidiaconus ille Ildeprandus. Qui, cùm abolito veteri nouum tentaret inducere Conſtitutum, palàm fatebatur,*

*haud ſecùs ſedari poſſe Mediolanenſe diſſidium, quàm canonicum* A
*habendo Paſtorem: ad quem eligendum neceſſarium fore dicebat Romanum conſenſum. His inſtructus aſſertionibus Herlembaldus, Mediolanum veniens, quæ audierat, feſtinanter exequitur. Prius ergo ſecretò paucos conuenit ex amicis: à quibus cùm exigeret ſponſionem celandi credita; cautè ſubintulit iuramento cauſam futuri eligendi Paſtoris poſt deceſſum præſentis; deinde die noctuquè laborans, Laycos quoſque & Clericos eidem iuramento reddit obnoxios.*

III. In eamdem portò ſententiam Triſtanus etiam Calchus, eodem illo Cap. 26. Num. 2. à nobis productus, hunc in modum proſequebatur: *Deinde Arembaldus Romam iterùm proficiſcitur: &, com-* B
*municatis conſilijs cum Hildebrando, Conſtitutionem recepit, qua decernitur, non eſſe canonicum cuiuſcumque Eccleſiæ Præſulem, quem non Romani Pontificis auctoritas ſanxiſſet; & electos Populorum vel Cleri ſtudijs, aut regali iuſſu, haberi illegitimos. Quam rem in Patriam afferens, amicis primò clanculùm communicauit; deinde palàm producens, iurare in eam Clerum & Multitudinem coegit*. Talia Triſtanus.

IV. Nec diſſimilia Carolus Sigonius, ſubſequenter ad ea ipſius verba, quæ nos ſuperiore Cap 24. Num. 4. recitauimus. Subdit enim: *Inde Romam profectus* (Erlembaldus) *Hildebrandi Cardinalis au-* C
*xilio aliud Decretum obtinuit: quo ſanciebatur, non eſſe iuſtum Antiſtitem, quem Clerus aut Populus aut Rex iniuſſu Pontificis declaraſſent. Atque Mediolanum reuerſus, iurare in eam legem Clerum Populumquè coegit.*

## *CAPVT XXIX.*

*Guido Archiepiſcopus, anteuertere ſubdolè cupiens ſuperioris Decreti Pontificij executionem, Archiepiſcopatum à ſe in manus Henrici Cæſaris abdicat: ſtatimquè illum ipſe ſimoniacè tradit Gothofredo;* D
*qui tamen incunctanter & à Mediolanenſibus & à Sede Apoſtolica repudiatur.*

I. *INterim tamen à perſequendo Præſulem* (verba ſunt eiuſdem Arnulphi, Capite illic 20. virus ſuum effundere perſeuerantis) *non deſtitit* (Herlembaldus) *Guidonem, omneſquè ſuæ conſanguinitatis affines. Archiepiſcopus autem cùm tot nequiret imminentes tolerare preſſuras, auo iam maturus,*

A *rus, & diuturno languore membris omnibus diſſolutus; arbitratus* A
*eſt fore conueniens, vt, quod ille faciendum prauiderat, ipſe quoque deſtruendo praueniret; ſcilicet, vt dignitatem propriam alteri, ſe viuente, concederet. Per idem tempus fuerat quidam ex Ordinarijs Eccleſiæ Subdiaconus, nomine Gothofredus, illius à ſecretis, præ omnibus vnicus: qui, ex quo Domini ſui penetrauerat mentem, in ſe transferendum omnimodis ſatagebat honorem. Secreta igitur facta conuentione cum eo Præſul, datis communis pacti ex alterutro ſacramentis, dignitatem deponit abſens; Virga cum Annulo Cæſari per Legatos directa. Gothofredus autem cùm iampridem labore*
B *multo ſibi Regis conciliaſſet affectum; recenti tamen pacto ab eodem* B
*Auguſto gaudens eſt adeptus Præſulatum. Verumtamen iuxta Scripturæ veritatem mixtus eſt dolori riſus, & extrema gaudij occupauit luctus. Reprobatus enim à Ciuibus, nullis in locis Epiſcopatus vel ad hoſpitandum recipitur, ipſis etiam factus inuiſus agricolis. Hunc Romani Domini cum Apoſtolico Iure ſtatim condemnant Canonico, iudicij ſui Litteras Mediolanenſibus ſuper illo mittentes. Qua elatus Herlembaldus fiducia, acriùs inſurgit non ſolùm in illum, verùm etiam in fautores omnes, vniuerſa flammis & ferro demoliens: contra quem etiam per Vicos & Caſtella multorum exegerat ſacramenta. Vnde fit, vt, ſi quando de facultatibus Eccleſiæ aliquid præ-* C
*ſumere nititur, ab omnibus penitùs interdicatur, quemadmodùm factum eſt in aliquibus, de quibus narrare per ſingula longum eſt, immò ſuperfluum eſt indicare.* Hucuſque Arnulphus de rebus à nobis in præſenti Capite propoſitis.

II. Ecce verò nobis itidem quæ Triſtanus Chalcus. Inquit autem: *Tum perniciem* (Arembaldus) *Guidoni molitur. Is verò, ne quod ille optabat, omninò aſſequeretur, excogitauit. Grauis annis erat homo, & membris ſolutus, vt non diuturnam ſibi futuram vitam ſperaret. Igitur, accedente tædio ciuilium diſcordiarum, & Arembaldi victus importunitate, è medio cedit. Participem ac miniſtrum* D
*arcanorum omnium habebat Gottofredum Caſtilionem, Mediolanenſis Eccleſiæ Cardinalem Ordinarium. Cum eo tranſigit, vt, ſe Sacerdotio abdicante, Annulumquè & Baculum ad Cæſarem remittente, ipſe in Germaniam proficiſceretur, atque eadem ab Imperatore acciperet: id quod pergratum fore Henrico, minimè dubitabat. Propoſita inuicem probant, atque exequuntur: & Henricus, retinendi iuris quod iam Romani Sacerdotes labefactauerant occaſione lætatus,*

 *liberaliter*

*liberaliter* (nihil minus; vt deinceps conſtabit) *confert Caſtillioneo* A
*ſigna & ornamentum Mediolanenſis Archiepiſcopatus. Quibus ac-*
*ceptis, Caſtillioneus in Patriam reuertitur, lætitia faſtuquè plenus.*
*Sed hîc contraria omnia ſunt. Nam Italorum animis, iam nominis*
*Romani maieſtate & auctoritate Conſtitutionis Apoſtolicæ imbutis,*
*ludibrio vtique haberi cœpit, & ceu profanum atque deteſtabile mon-*
*ſtrum repudiari. Nec ita multò pòſt nouo ab Vrbe Roma interdicto*
*igni & aqua arcetur. Ita ægrè, qui alimenta præberent, inuentis, ad*
*nota regionis Oppida ſe recepit. Ea inter Verbanum Lariumquè*
*celeberrimos Lacus crebris collibus attollitur: quorum vnus, Variſio*
*Oppido ſupereminens, iam Sacello Diuæ Virginis & Matris nobili-* B
*tatus, nunc etiam Templo & Cœnobio multarum mulierum, reli-*
*gioſiſſimè ibi viuentium, toto Orbe notus eſt. Huc amicorum ma-*
*num Gottofredus contraxit, cuius multitudo ſuſpecta Ciuitati foret.*
*Miſſo ab Arembaldo Exercitu, facilè loco, nullis mœnibus munito,*
*pellitur: &, dilapſis per auia fautoribus, ipſe in gentilitium Oppi-*
*dum Caſtillionum peruenit. Id & naturali ſitu Olonæ amni ſubter-*
*labenti appoſitum, & humano opere ſtructum, inexpugnabile propè*
*tunc erat. Illuc affines & ſtudioſos partium euocat: &, iuſtis iam*
*copijs contractis, in aduerſariorum agros palatur, vrendo prædando-*
*què ingentis belli ſpeciem facit.* C

III. Triſtanum verò Chalcum Carolus Sigonius his concors ſubſequi-
tur verbis: *Qua re* (ſiue Pontificio illo Decreto, ex Vrbe Roma
per Erlembaldum huc reportato) *perculſus Vido, quippe iam ætate*
*confectus, & tranquillitatis cupidus, vltrò ſe Sacerdotio abdicauit,*
*atque inſignia honoris ad Henricum in Germaniam miſit. Sacer-*
*dotio à Vidone depoſito, nouæ ſtatim controuerſiæ eſt occaſio patefacta.*
*Nam cùm Henricus Gothifredo Caſtilioneo, ad ſe profecto, ingenti*
*pecuniarum ſumma accepta* (qua de re conſtabit etiam infra Ca-
pite 38. & 40. è Sancti Gregorij Papæ Septimi teſtimonio) *digni-*
*tatem eam indulſiſſet; Alexander acri eum interdicto ab ineundo* D
*honore abſterruit. Qua re Gothifredus, ab ijs qui Pontificiam auc-*
*toritatem amplexabantur repudiatus, Variſium Oppidum primùm,*
*deinde ab Erlembaldo pulſus Caſtelionum, quod erat natura ope-*
*requè munitum, ſe contulit; atque inde, magnis contractis propinquo-*
*rum atque amicorum copijs, in agros aduerſariorum incurrere, eoſ-*
*què per ſequentem Annum* (Sigonio 1068. nobis autem 1070.)
*infeſtos habere perrexit.*

CAPVT

## CAPVT XXX. A

*Guido, recuperare tentans Archiepiſcopatum, à ſe abdicatum, ab Herlembaldo in Monaſterium abducitur.*

I. HOC item loco teſtem non habemus Arnulpho potiorem. Ille igitur ſub finem Capitis 20. hunc in modum narrare perſeuerabat: *Interea Guido fatebatur ſe Gothofredi deluſum inſidijs, communis pacti tranſgreſſorem illum appellans: qui cùm amiſſum reſumere vellet honorem, cum Herlembaldo pacis fœdera ſociauit. O mens cæca mortalium! Veniens enim illo duce Mediolanum, non ad Vrbem, vt voluit, ſed ad Sancti Celſi Monaſterium ducitur; de priuato factus eſt priuatior. Ibi commendatus cuſtodibus, multis diebus reſedit inglorius, hac vice deluſus.* B

II. Arnulphum verò ſic etiam ſequitur Triſtanus Chalcus, ſuam proſequens Hiſtoriam: *Interea Guido, ſeu pœnitentia tanti tumultus excitati ductus, ſeu leuitate ſenili mutatus, ad Arembaldum Cottam mittit qui docerent, cupere ſe illi reconciliari: noſſe illius potentiam, & magnanimitatem: omnia, quæ velit, ſe facturum: reuerſurum ad Vrbem, ſi cum dignitate liceret; à Gottofredo namque ſe deceptum, & deſtitutum; tamen ſibi adhuc multa ſupereſſe, quæ vltori illius grata eſſe poſſint. Attendit Arembaldus propoſitis: & oblatam occaſionem optimam ratus rei benè gerendæ, ſi eum virum ſibi adiungeret; officioſè reſpondet; denique recipit, ſe illum in intermiſſo Archiepiſcopatus honore reſtituturum. Data acceptaquè fide, Guido Mediolanum venit. Appropinquanti Cotta ſub ſpecie honoris cum multitudine amicorum obuiam proficiſcitur: occurrentem ſalutat, & ſatellitibus circumdat: &, declinata Vrbis via, in Celſianum Cœnobium perducit, atque cuſtodiæ commendat.* Sic igitur Chalcus hoc factum deſcribebat, & ſtylo quidem in Arembaldum infenſiore, quàm fecerit Arnulphus; cui tamen potiùs credi par eſt. C D

III. Monaſterium porrò per ea etiam tempora locus erat pœnitentiæ, ab Eccleſiaſticis hominibus & ab ipſis etiam Epiſcopis agendæ; vt ex ijs colligi poteſt, quæ Ioannes Fileſacus, Theologus Pariſienſis, in Syntagmate *De Pœnitentia*, Capite 4. ſapienter & eruditè obſeruauit. Hinc igitur ego quidem factum crediderim, vt Herlembaldus, donec Apoſtolicam conſuleret Sedem (niſi potiùs

ipſam

ipſam iam ante conſuluerat, eiuſquè præſcriptum iam ſequeba- A
tur) Guidonem Archiepiſcopum in Celſianum illud Monaſte-
rium detruſerit ad eum finem, vt illic interim iuſtas pariter ac
ſalutares erraroru m ſuoru m, tota paſſim Vrbe vulgatorum, pœ-
nas lueret; illicquè potiùs lueret, vbi propinquus erat Sancti tu-
mulus Arialdi Martyris, quem non ſine graui eius crimine inter-
fectum eſſe conſtabat; vt iam vidimus Libro 2. Cap. 26. 27. 28.
29. 32. & Libro 3. Cap. 27. 28. 29. 35.

## CAPVT XXXI.

*Herlembaldus Gothofredum, Archiepiſcopatus Mediolanenſis inuaſorem,* B
*obſidet in eius Oppido, Caſtelliono. Interim verò Mediolanum*
*diro flagrat incendio.*

I. NObiliſſimum etiam in præſenti notiſſimumquè
perſeuerat Ditionis Mediolanenſis Oppidum,
nomine Caſtillionum, antiquiſsima Gentis
Caſtillioneæ ſedes, & aliquatenùs à Bonauen-
tura Caſtillioneo delineata in eius Opere, *Gal-*
*lorum Inſubrum antiqua Sedes* inſcripto. Illic
igitur Gothofredum, Mediolanenſis Archiepiſcopatus inuaſo- C
rem, à Romano etiam Pontifice reprobatum, Herlembaldus
Anno Chriſti Milleſimo ſeptuageſimo-primo obſedit: & hoc
ante alios narrare nobis pergit Arnulphus, Hiſtoriarum ſuarum
Libro 3. Capite 21.

II. Eius verba ſunt huiuſmodi: *Gothofredus autem, pluribus iam coarcta-*
*tus obſtaculis, cum parte ſuorum aliqua ſuo ſe colligit in Oppido,*
*quod vulgo Caſtillio dicebatur, inexpugnabile re vera præſidium, mœ-*
*nibus ac loci natura munitum. Ex eo ſæpiùs erumpentes, cùm ſu-*
*pra modum prædis inhiaret ac cædibus; indignati Mediolanenſes pro-*
*ponunt Arcem illam protinùs expugnare. Nec mora inſtructo Exer-* D
*citu, & ijs quæ ad vſum militiæ fuerant neceſſaria paratis; proce-*
*dunt omnes, caſtrametati ad radicem montis (aberat enim ab Vrbe*
*vigeſimo paulò plus milliario) mox vndique circulantes inceſſanter*
*oppugnant: ad hoc cunctos regionis illius inſtant aggregare ruricolas,*
*diuturnam iurantes obſidionem. Conſtituunt ergo petrarias, & om-*
*nes generis bellici machinas, fundas quoque, baliſtas, millequè mor-*
*tis parant inſidias. Obſeſſis verò ad poſſe repugnantibus, multa quo-*
*tidie*

*tidie ſiebat cruoris effuſio; adeò vt in ipſa Quadrageſimæ venerabilis obſeruantia nulla fuerit humanæ cadis abſtinentia. Hac itaque tempeſtate, cùm rarus in Vrbe Populus ſua frueretur ſecuritate, repentina calamitas improuidam inuaſit Vrbem. Horreſco referens. Primo namque Quadrageſimæ Sabbato, magno Ciuitas conflagrauit incendio*&c. Eo nempe, quod ipſiuſmet Arnulphi verbis ego in Ambroſianæ Baſilicæ ac Monaſterij Monumentis deſcribebam Numero 276. Annoquè Chriſti 1071. A

III. Sequitur idem Arnulphus: *Vbi autem rumor tam dirus* (eius vtique incendij) *Caſtris inſonuit; quamplures illicò, relicta obſidione, eunt tenues ab igne reliquias & miſeram viſitare familiam. Herlembaldus verò cum alijs, retenta parte Caſtrorum, perſeuerat obnoxius, quotidie belligerare non deſinens. Gothofredus autem, tribus iam obſeſſus menſibus, vt vidit tenuem Caſtrorum Exercitum, clam vocare ſuos & cautè ſatis procurat amicos. Cumquè Paſchales inſtarent feriæ; conuenientes in vnum, instructa acie protinùs in Caſtra conſurgunt impetu & clamore non modico; nec minùs obſeſſi, ruptis clauſtris, ex omni parte proſiliunt. Herlembaldus autem, tanto poſitus in diſcrimine, arreptis armis audet cum ſuis paucis iuxta vires obſiſtere, Signifer ipſe factus: &, niſi ſua ſuorumquè pugnaſſet audacia, dies illa ſibi fuiſſet extrema. Videntes autem multi paucorum conſtantiam, vltrò recedunt, educentes ſecum ab Oppido Gothofredum. Hos longè proſecuti ſunt Mediolanenſes, conglobati repentè ſimiliter, & qui in Caſtris fuerant, & qui in Vrbe remanſerant; nec à proſequendo diebus aliquot ceſſarunt ac noctibus, donec in ſumma conſtitutos neceſſitate coegerunt illos iterùm Caſtillionem intrare.* B C

IV. Quæ porrò in eamdem ſententiam de hac Caſtillioni obſidione deque Mediolani incendio narrauerint ad eumdem Annum 1071. Triſtanus Chalcus & Carolus Sigonius, ſuperuacaneum profectò nobis eſt in præſentem transferre locum. Nihil enim peculiare ac memoratu dignum ſuperaddunt Arnulpho; niſi fortè recolere rursùs hic profit eorum errorem in tempore, quo incendium illud contigerit. Verè ſiquidem illud contigit primo Quadrageſimæ Sabbato, vt Arnulphus, eius temporis Scriptor, affirmauit; non autem ſub Quadrageſimæ finem, vt Chalcus & Sigonius. D

*CA-*

## *CAPVT XXXII.* A

*Guido moritur Archiepiſcopus : & , Herlembaldo ſatagente , ſecundùm Apoſtolicæ Sedis Decretum & conſenſum eligitur Atho ; ſed non iuuenculus , vt nonnulli perperam tradiderunt .*

I. E Superiori vigeſimo-primo Arnulphi Capite continenter ad explicandum præſentis Capitis argumentum progredior , & his ipſius verbis: *Poſt hac redeuntes* ( Mediolanenſes ) *ad Vrbem , iureiurando definiunt , Gothofredum numquàm recipiendum , immò alterum de Catalogo Maioris Ec-* B
*cleſiæ communiter eligendum . Iam enim migrauerat à ſæculo Archiepiſcopus ille Guido , ſepultus in loco , qui vocatur Burguli vulgò , vbi poſt Vrbis incendium in amaritudine animæ diem clauſit extremum .*

II. *Ab illo etenim die Herlembaldus omni inſtat conamine , modo cum Clero , modò cum Populo , de eligendo agens Epiſcopo , noua à Romanis accepta licentia , ſpreta vero Regum veteri prouidentia . Verumtamen maior Ciuitatis portio ex Clero ac ſapienti Populo priſcæ conſuetudini & Regio intendebat honori . Ipſe autem , neglectis omnibus , & iuramento communi , ſolum Romani illius Ildeprandi auſculta-* C
*bat conſultum .*

III. *Itaque dies illa appropinquabat , quam ad hoc agendum ipſe prouiderat , ſancta ſcilicet Theophania* ( ſiue , vt communiter nunc appellatur , Epiphaniæ ) *ſolemnitas . Studet ergo ſollicitè præſentes vocare abſentes , Clericos ac Laycos , Abbates & Monachos , amicam ſibi omittens agreſtium turbam . Cumquè dies inſtaret feſtus ; factus multorum in Eccleſia Hyemali conuentus : illis tamen abſentibus , cum quibus iſtam ſe facturum electionem iurauerat .*

IV. *Celebratis itaque Miſſarum ſolemnijs , primò concionatus ad libitum ,* D
*ac multa de iſto Paſtore commemorans , aſtante quodam Bernardo , Legato Romano , elegit Athonem , adhuc tantummodò Clericum , ac tenera ætate iuuenculum , inuito Clero , & multis ex Populo ; adeò vt ſtomachati redirent ab Eccleſia præ dolore . Altare ſacroſanctum viſum eſt concuti tunc ac ſummoueri de loco , dum nimia Plebis vndique comprimeretur inſtantia .* Hæc Arnulphus de Guidonis Archiepiſcopi obitu , dequè noua Succeſſoris electione , ſatagente Herlembaldo Mediolani facta . Nonnulla nunc ſeparatim & paulò attentiùs aduertamus .

V. Arnulpho

V. Arnulpho igitur teſte, Guido Archiepiſcopus ex hac vita migrauit A
eo ipſo Chriſti Domini Anno, quo incendium illud (Caſtellionenſe poſtea nuncupatum) in Vrbem noſtram deſæuijt; Annoquè propterea ſupra Milleſimum ſeptuageſimo-primo; non autem ſeptuageſimo-ſecundo, vt Sigonio; vel ſeptuageſimo-tertio, vt alijs viſum eſt. Sic etiam paulò poſt illud incendium migrauit, antequàm Mediolanenſes, Gothofredo in Arcem illam ſuam iterùm intrare coacto, redirent ad Vrbem; ad quam vtique redierunt intra paucos dies, ab eiuſdem Anni Ferijs Paſchalibus elapſos. Quocirca etiam, ſi Arnulphum audimus, non ille quidem migrauit decimo Calendas Septembris, vel (vt mihimetipſi verius videbatur in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, Num. 276.) Decembris. Eius quidem Anni Paſcha incidit in Aprilis diem vigeſimum-quartum. B

VI. Sicut autem idem Guido ſepultus eſt in loco, qui vulgò vocabatur *Burguli*; ſic etiam cenſendus eſt illuc, è Celſiano tandem dimiſſus Monaſterio, ſeceſſiſſe, ibiquè tandem obijſſe. Locus autem ille mihi videtur vnus ex ijs fuiſſe Pagis, è quibus poſtea celeberrima Inſubriæ Ciuitas Alexandria coaluit Anno Domini Milleſimo centeſimo ſexageſimo-octauo: quiquè in Actis Alexandri Papæ Tertij, à Baronio ad eumdem Annum Articulo 65. C
recitatis, vocatus eſt in ablatiuo plurali *Bergalis*; niſi fortè amanuenſis aut typographi error eſt; ac legendum eſt potiùs *Burgulis*, è nominatiuo plurali *Burguli*, generis maſculini; perinde fermè ac ſi parui forent Burgi. Ibi quippe ſic legitur: *Conuenerunt ergo ad habitandum illic cum familijs & omnibus bonis ſuis vniuerſi, qui morabantur in circumpoſitis Villis, videlicet in Marengo, Garundio, Foro, Bergalis, Stulla, & Sebaſtia: & repentè facta eſt Ciuitas magna & fortis.* Idemquè pariter ille locus à Philippo Ferrario, eius Vrbis Ciue, *Bergolium* appellatus fuit in Lexico Geographico, Verbo *Alexandria Statiellorum*. Cuius D
profectò ſententiæ iam ante fuerat etiam Triſtanus noſter Chalcus ad Annum 1071. cùm de Guidonis ipſius obitu hunc in modum loqueretur: *Inter hæc Guido Velates, Cœnobio Celſiano dimiſſus, euaſerat ad Tranſpadanos Populos: & non procul Derthona defunctus, Bergoglij ad Tanarum amnem* (qui quidem amnis Vrbem ipſam interfluit Alexandriam, decem millibus paſſuum ab Vrbe Derthona diſtantem, ſicut etiam idem Ferrarius Verbo

*Dertona* adnotauit) *ſito Oppido ſepelitur, Anno ſexto & viceſimo, ex quo Mediolanenſi præfuit Eccleſiæ.* Sed & luculentiùs nobis adſtipulatur Archiepiſcoporum noſtrorum Catalogus, vnà cum Beroldi Operibus manuſcriptis in Capituli Metropolitani Bibliotheca conſutus & aſſeruatus. Ibi quippe ſic ex ordine legitur: *Guido ſedit Annos viginti-ſex. Obijt decimo Kalendas Septembris. Sepultus eſt in Bergolio veteri propè Alexandriam.* Quia videlicet hæc ibi deinde Ciuitas condita fuit: de cuius quidem additamenti auctore iam ego ſcripſi Diſſertationis Nazarianæ Capite 87. Num. 8. Quòd ſi re vera mortuus illic fuit Guido; non igitur in hoc audiendus nobis erit Ioſephus noſter Ripamontius, Hiſtoriarum Eccleſiæ Mediolanenſis Libro 10 pag. 651. cùm de Celſiano locutus Monaſterio, in quod ab Herlembaldo abſtruſum dixerat Guidonem, ſic protinùs adiecit: *Ibi deſperato ſeni grauis cuſtodia, mæror, ira, & ſuper omnia tædium ex recordatione flagitiorum, vitæ finem fecere.*

VII. A Guidonis interitu tranſeamus nunc ad Succeſſoris electionem, ſatagente factam Herlembaldo. Sicut autem illa proximo poſtea Ephiphaniæ die feſto, ſic etiam poſtero Domini Anno ſeptuageſimo ſecundo facta fuit. Qui porrò tunc aſtabat Romani Pontificis Legatus, nomine Bernardus, mihi quidem nòn alius videtur, quàm qui decimus-ſextus ab Alphonſo Ciaconio numeratur inter Cardinales ab Alexandro Papa Secundo creatos, & ab eo deſcribitur his verbis: *Bernardus ....... Gallus, Monachus, & Abbas Sancti Victoris Maſſiliæ, Presbyter Cardinalis Tituli Sa Cti ....... Hic ſub Gregorio Septimo, cum Bernardo Papienſe Diacono Cardinale, Legatione Germanica ob grauiſſima negotia functus eſt ad vniuerſos pene Imperij Principes, in Forchein congregatos: quibus præſentibus ijdem Proceres, Henrico Quarto Imperatori rebelles, Anno Chriſti 1077. Conuentu publico acto, Rodulphum Sueuorum Ducem, Henrico reiecto, Imperatorem conſtituerunt. In Italiam poſtea Bernardus reuerſus, paulò pòſt moritur, ſucceſſorem Abbatiæ Ricardum habens. Hæc ex Lamberto de Schafnaburgo & Regiſtris Gregorij Septimi excerpſi.*

VIII. Sed quid hoc tandem loco ſecundùm rei veritatem nos ſentiemus de Athonis, in Archiepiſcopum electi, ætate, qua tunc eſſet, quamquè cæteroqui ſupponimus debuiſſe triginta ſaltem annorum eſſe? Arnulphus illum appellabat *adhuc tantummodò*

*Clericum, ac tenera ætate iuuenculum.* Triſtanus poſtea Chalcus A *adoleſcentulum, tunc primò attonſum; & qui nondùm per ætatem muneris capax erat.* Ioſephus denique Ripamontius pag. 652. *ex Ambroſiano Clero nondùm pubertatis annos egreſſum, puerum, adoleſcentulum.* Eumdemquè propter hanc, non præcipuè modò, ſed etiam vnicè cauſam, repudiatum illicò fuiſſe à Mediolanenſibus, iidem Scriptores affirmarunt.

IX. Carolus enimuerò Sigonius Libro 9. *De Regno Italiæ*, ad Annum 1072. tametſi Chalcum in hac Hiſtoriæ parte ceteroqui concors ſequeretur; eam tamen cauſam & rationem nullius penſi loco habuit; ac veluti vanam prorsùs & commentitiam ſilentio prætermiſit. B Sic enim tantùm hac de re narrabat: *Vido, qui Archiepiſcopatum depoſuerat, vita finem fecit. Erlembaldus, ea re audita, locum premendo aduerſario opportunè ſibi datum exiſtimans, Ciuitatem adegit iureiurando, ſe Gothifredum, ab Henrico editum, non accepturam: atque opera Hildebrandi Cardinalis, cuius virtute ac ſapientia tum Pontificatus gubernabatur, Athonem, Clericum Mediolanenſem, Antiſtitem dedit. Eoquè in Epiſcopium inducto, ſolemne (vt in eiuſmodi re) epulum init; Ciuitate haud ſatis probante, quæ inſignem Regi iniuriam fieri arbitrabatur; qui Epiſcopum dare conſueuiſſet. Qua occaſione vſi aduerſarij, impetum in triclinium fecere: atque fœdo adeò tumultu omnia miſcuere, vt Atho exterritus, cùm vix incolumis euaſiſſet, honore ſe abdicarit.* C En igitur, vt Sigonij opinione Mediolanenſes hanc Athonis electionem idcircò tantùm reprobarint; quia per eam exiſtimarent inſignem Regi Henrico iniuriam irrogari; vtpote qui Mediolanenſem item Archiepiſcopum antehàc eligere ac dare conſueuiſſet; non autem ipſi eum ſibi eligere poſſent.

X. Hanc ipſam profectò cauſam ego quoque tunc illis verè vnicam fuiſſe crediderim: ac ſi quis fortè præterea cauſatus fuerit Athonis ætatem; id ea tantùm, & ad ſummum, veritate factum eſſe; D quia fortaſſe Gothofredo longè iunior eſſet Atho; non autem quia ſuſcipiendo pariter ac regendo Epiſcopatui immaturus, eiuſquè per ætatem incapax eſſet. Non enim tam imprudens & inconſultus videri mihi poteſt Herlembaldus, non Bernardus ille Cardinalis & Apoſtolicus Legatus, non Hildeprandus ipſe Cardinalis Archidiaconus, non ipſemet etiam Summus Pontifex Alexander, vt in præſenti rerum ſtatu (quando ſcilicet tot ac tan-

tis occurrere malis ex inſtituto iam tamdem intendebant, quot A
& quanta compererant hactenùs ex eo nata, quod Epiſcoporum electio ab Imperatore facta eſſet ) nihilominùs ijdem ipſi vnà omnes, eo primùm reformationis eius initio, præficere voluerint Eccleſiæ Mediolanenſi adoleſcentulum, nedùm puerum, ſecundùm Sacros Canones tanto oneri per ætatem immaturum, atque incapacem; ipſumquè conſtanter opponere Gothofredo, per Henricum Regem iam electo, ac citra omnem dubitationem benè maturo, tantiſquè conatibus, ratam & legitimam eſſe ſui electionem, per æqua per iniqua contendenti.

XI. Quòd ſi fortè ratio hæc, in vniuerſum petita, non ſatis perſuadet; B
altera ſaltem illa perſuadeat, quam mox ex ipſiuſmet Hildebrandi eliciemus facto; poſteaquàm ille ſcilicet defuncto Alexandro in Pontificatum Romanum ſucceſſiſſet, Gregorij Septimi nomine appellatus; atque cùm cauſam iuuenis ad Archiepiſcopatum electi, tractaret. Inde ſiquidem certam de ipſo coniecturam ( & ſic etiam de cæteris illis prudentiſsimis Viris, qui citra dubium ab ipſo ea in re non diſſentiebant) deducere licebit in illud tempus, quò Athonis item noſtri electio facta fuit. Annus excurrebat Dominicæ Incarnationis Milleſimus ſeptuageſimusſextus, cùm ille hanc Epiſtolam ſcripſit, quartam inter alias, C
Libro Quarto Regiſtri contentas: *Gregorius Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei, Clero & Populo Dolenſi in Britannia, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem: Miſiſtis ad nos* QVEMDAM IVVENEM, *petentes vobis à nobis illum ordinari Pontificem. Cui quidem petitioni*, QVONIAM SACRI CANONES CONTRADICVNT, *aſſenſum præbere nequaquàm potuimus. Nos denique, cognoſcentes Eccleſiam veſtram diu nequiſsimi peruaſoris tyrannide oppreſſam; ex debito, & noſtri officij conſideratione, Apoſtolico fulti præſidio, prout valemus in Domino, reformare cupimus. Quapropter, eiuſdem iuuenis rogatu, aſſenſuquè ſociorum eius, Sancti Melanij Abbatem, Iuonem nomine, quem ad nos veſtra Legatione miſiſtis, virum vtique (vt vos benè noſtis) prudentem, bonum, ornatum moribus, omniquè religione dignum, vobis in Patrem & Archiepiſcopum conſecrauimus: monentes & obſecrantes, vt, ſicut Beati Petri Apoſtoli, noſtriquè, illius licet indigni famuli, gratiam optatis; ſic ei vt Patri & Rectori per omnia obedientiam exhibeatis. Dat. Romæ quinto Kalendas Octobris, Indictione incipiente de-* D

*cima*

*tima-quinta*. Hæc in ea Epiſtola Summus ille Pontifex, Eccleſiaſticæ Diſciplinæ conſeruandæ augendæquè ſtudioſiſſimus. Et rurſùs in ſubſequenti, eodem prorsùs tempore locoquè data: *Gregorius Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei, omnibus Epiſcopis Britanniæ Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Non ignorare vos credimus, qualiter Dolenſis Clerus & Populus ad nos direxit* IVVENEM QVEMDAM, *ſatis præclarum genere (vt audiuimus) poſtulantes, vt eum illis in Epiſcopum ordinaremus. Cuius cauſam, ſicut oportuit, examinantes, honeſtos quidem mores pro modulo ætatis ſuæ, ſed nondùm ſatis maturos aut inſtructos ad portandum Epiſcopale pondus, in eo probauimus; propter quod onerare eum tam graui ſarcina nec ſibi nec nobis cautum fore peruidimus. Deo autem aſpirante, adinuenimus in comitatu ſuo perſonam huic dignitati ætate ſcientia & morum grauitate multò magis congruam, videlicet Iuonem, Abbatem Sancti Melanij: quem, licet inuitum atque obedientia aſtrictum, cum multa petitione & electione illius & aliorum qui cum eo venerant, Epiſcopum ordinauimus* &c. Quòd ſi talem hunc iuuenem ſapientiſsimus & integerrimus hic Pontifex ad Archiepiſcopalem non admiſit dignitatem, quia nempe Sacri Canones obſtarent; quantò minùs ad eam noſtrum admiſiſſet admittendumquè curaſſet ab alijs Athonem, ſi talis erat iuuenculus & puer, immò verò adoleſcentulus, qualis ab Arnulpho à Chalco à Ripamontio deſcribebatur?

XII. Sed ipſemet adhuc Sanctus Gregorius aſſertione ſua expreſſiori hoc ipſum nobis refellat obteratquè figmentum, de Athonis ætate venditatum: quod ſi verum fuiſſet; nihil profectò erat ad obijciendum promptius, nihil ad probandum facilius. Ille igitur Anno ſuperiore, ſiue ſupra Milleſimum ſeptuageſimo-quinto, ad Thedaldum ſcribens Clericum Mediolanenſem Epiſtolam illam, quam ego infra Capite 52. integram recitabo, his etiam verbis eum alloquebatur: *Non autem prudentiam tuam ignorare credimus, quòd ad Epiſcopalem Cathedram (*nempe Mediolanenſem*) in qua poſitus es (*ab Henrico videlicet Rege ſubſtitutus in Gothofredi repudiati locum*) ante te alia, quæ adhuc ſuperſtes eſt, fuerit aſſignata perſona: quæ niſi iuſtis rationibus priùs excepta fuerit, legitimum in ea tibi aut cuiquam patere locum, nec Canonica nec Apoſtolica cenſura permittit*. Et paulò pòſt: *De eo nobis eſt ſermo, qui nobiſcum eſt* (hoc eſt, de Athone, qui tunc in

Curia Romana ipſimet etiam Pontifici notiſſimus morabatur) A *quem electum in eadem Eccleſia certè cognouimus; ſed, cur reprobari debeat, nulla adhuc deprehendere potuimus ratione.* Thedaldum igitur ad proximam hortatur Synodum Romæ celebrandam, vel ſaltem ad ſuam illic præſentiam, vt eius cauſa illic examinetur; tum verò præterea ſic addit: *Nec dubitandum tibi credas, ſi huic, qui nobiſcum eſt* (ſiue, vt iam diximus, Athoni) *dictante iuſtitia ceſſandum eſſe perſpexerimus* (nondùm igitur perſpexerat, eum, quando fuit electus, iuuenculum & adoleſcentulum fuiſſe; atque adeò ne id quidem verum erat) *quin in promotione tua beniuola conceſſione, ad honorem Omnipotentis Dei* B *& Beati Ambroſij, aſſenſum pariter præbeamus & ſtudium.* Qualem tamen aſſenſum pariter ac ſtudium illi poſtea nunquàm præbuit; quia nempe nulla vnquàm poſtea deprehenſa fuerit ab ipſo ratio, cur Atho electus reprobari & dictante iuſtitia ceſſare deberet; ac propterea ne deprehenſum quidem ab ipſo vnquàm fuerit, Athonem, quando ſuperiore Anno ſeptuageſimo-ſecundo fuit electus, iuuenculum atque adoleſcentulum re vera fuiſſe.

XIII. Vt igitur hoc ego Caput iam tandem abſoluam; figmentum illud mihi quidem iam tandem videtur ſolemne Arnulphi mendacium, & manifeſta in Athonis Electores illos atque Compro- C batores atque adeò in Apoſtolicam ipſam Sedem calumnia; cui temerè admodùm & imprudenter tam Chalcus quàm Ripamontius adhæſerint. Itaque ne vlla quidem habenda eſt ratio ſcommatũ & contumeliarũ, quas ipſi ſuo è ſinu per ſpeciẽ alieni audacter effuderunt in Herlembaldum præſertim; quem alioqui hac etiam in parte non poſſumus non fateri cum Apoſtolica etiã Sede cumquè Sacris Canonibus ſanctè ac religioſè concordem.

## CAPVT XXXIII.

*Videns Atho, ſui electionem diſplicere multis, Archiepiſcopatu ſe abdicat.* D

I. HIC etiam hiſtorica narratione ſua nobis præit, ac veluti facem in tenebris præfert Arnulphus: eamquè nec inutilem nec ingratam, licet ille alioqui nobis etiam ſit infenſus, quippequi cauſam Herlembaldi tueamur. Poſtrema enim eius verba, quæ ſuperioris Capitis Numero 4. recita-

recitabamus, his illicò excipiuntur: *Cumquè cum ſuis Atho, ad* A
*conuiuandum Pontificatum, conſcenderet Aulam (fuerant enim tam in menſis ampla parata conuiuia) inflammati Ciues inuadunt repentè domum, interiora exteriora ſcrutantes. Ipſe autem Electus nouiter, cùm cameræ vnius lateret in angulo, inuentus capitur, diſcerpitur, ac miserè dilaniatur. Demum per ſuras & brachia à ſummis ad ima pertrahitur. Qui cùm ſtaret in Eccleſia, metu mortis Altari proſtratus; clamante Populo, in pulpitum aſcendit; ibiquè facto in auribus omnium ſacramento abrenunciauit Sedi Ambroſianæ in præſens, & in perpetuum. Interea quinque fautores ſui diuerſas fugere per latebras. Ipſe etiam Romanus Legatus vix, diſ-* B
*cerptis veſtibus laceratus, euaſit. Cæterùm Gothofredus & Atho remanſerunt priuati pariter ambo, proprijs tantùm contenti laribus atque ſubſtantijs.* Hæc ibi Arnulphus, hiſquè pariter ſuum Hiſtoriarum Librum Tertium concludit.

II. Quæ porrò in eamdem ſententiam exaggeranter non ſine ludibrio Herlembaldi ſcripſerunt Triſtanus Chalcus & Ioſephus Ripamontius: hæc ſuo per otium commodo perlegat prudens ac benè cautus Lector: eiſquè pariter ac eorum Auctoribus, ſi poteſt, non iraſcatur.

C

## CAPVT XXXIV.

*Athonis electio nihilominùs à Sede Apoſtolica Synodaliter comprobatur, & per Litteras item ad Herlembaldum datas.*

I. TAmerſi Arnulphus eo erat animo, vt has Hiſtorias ſcribendo non vlteriùs procederet (ac propterea nonnulla etiam eius exemplaria non vltra Librum Tertium extenduntur) proceſſit ille tamen poſtea; cauſaſquè initio Libri Quarti præ-
fatus, hinc incœpit. *Igitur auditis his, quæ Atho-* D
*ni contigerant, præfatus ille Archidiaconus Hildeprandus ſua, cùm Cardinalis eſſet, auctoritate illicò iuramentum illud violentia omnimodis iudicauit habendum inualidum. Hunc Romanus adeò verebatur Antiſtes, vt eo inconſulto nihil omninò præſumeret; cùm patenter ſanctum prædicet Euangelium, ſuper Magiſtrum non eſſe Diſcipulum. Vnde factum eſt, vt collecto Romæ Cœtu Pontificum, inſtante ipſo, Athonem iuſtè prædicaret electum, proſtrato anathe-*

*mate*

*mate Gothofredo. Quæ omnia Hildeprandus ſuis Litteris ſæpè iam-dicto retulit Herlembaldo; cui etiam ex ſuo, quod opulentiſſimum habebat, ærario copioſam auri atque argenti fertur miſiſſe pecuniam; vt diſtributo quibuſcumque indifferenter pretio fautores aggregaret quàmplurimos. Non enim latebat propheticè dicta ſententia: A maiore ad minorem omnes auaritiæ ſtudent.* A

II. Eumdem Arnulphi Librum Quartum à Triſtano etiam Chalco lectum eſſe, teſtantur hæc etiam ipſius verba, ijs adiecta verbis, quæ paulò ante ſubiratus eidem ipſi Chalco innuebam. Sic enim adiecit: *Quibus Romæ cognitis, Hildebrandus ſuprema excanduit iracundia: & ſimul Gottofredum Caſtillioneum, ceu ſeditionis auctorem, nouo anathemate notat: & Attonem habilitari* (quaſi verò per ætatem iam non eſſet habilis, qua de re ſatis iam diximus) *confirmariquè Archiepiſcopum curat. Tum pecuniam ad Arembaldum mittit, qua aduerſantium animos ſollicitaret.* B

III. Sed quid item Ripamontius, abſque dubio Triſtanum per eius veſtigia ſubſecutus, & æquè deuius? *Cardinalis Ildebrandus* (hæc vtique ſunt illius verba) *audito Athonis caſu, & quo ludibrio conflictatus fuiſſet: ſimul graui percitus ira, quod Bernardum Legatum ſuum in eo tumultu, direpta tergo veſte, propè conculcaſſent; in omne Mediolanenſe nomen implacabilis ardeſcebat. Itaque, varia voluens animo, queis iniuriam eam grauiùs olim puniret; in præſentia magna pecuniæ ſubſidia mittit Erembaldo, cum mandatis & obteſtatione vehementi, nè deſereret Attonem vllo modo, ſed eum in priſtinam Sedem reſtituere conaretur.* C

IV. Ad hæc autem Ripamontij Chalciquè verba fortaſsè quiſpiam non immeritò dixerit, eos Herlembaldo minùs æquos fuiſſe, quàm fuerit Arnulphus; hunc enim expreſſam feciſſe mentionem Romanæ illius Synodi, cuius ſuffragijs comprobata fuit Athonis electio, Gothofredi autem reprobata; quam tamen illi mentionem non fecerunt; cùm alioqui ad præſentem cauſam permagni ea momenti pro Herlembaldo eſſet. D

## CAPVT XXXV. A

*Gothofredus in Archiepiſcopum conſecratur Henrici Regis iuſſu; cuius tamen ipſum poſtea pœnituit.*

I. SED ne abſimilem quidem ijdem Chalcus & Ripamontius cenſuram in eo videntur meruiſſe, quod protinùs adiecerunt de propoſita Gothofredi Conſecratione, ab Henrico Rege imperata. Nos tamen interim à recitandis abſtinebimus eorum verbis, ac ſolo Arnulphi teſtimonio contenti erimus. B

II. Hac igitur de re Arnulphus Libri Quarti Capite primo continuata narrationis ſerie hunc in modum ſcribebat: *Interea Suffraganei Sedis Ambroſianæ Pontifices, accepto à Rege mandato, apud Vrbem conuenientes Nouariam, Gothofredo manum Conſecrationis imponunt, illum, prout quiuerant, roborantes; licet præceptio Regia multis dicatur impetrata muneribus* (quod vtique Triſtanus & Ripamontius tacuerunt) *Conſtat tamen, Regem poſtea pœnituiſſe, atque interuentorem penitùs odiſſe Legatum.*

III. *Exinde Gothofredus aliqua Eccleſiæ ſtudet occupare Caſtella, vni eorum præſidens, quod nominatur* BREBIA. *Qui cùm paulò ante* C
LEVCVM *inuaderet; irruentibus ab Vrbe militibus violenter eijcitur, amiſſo Marchione illo, ſtrenuiſsimo Milite; quem loci incolæ, rupe præcipitantes ab alta, crudeliter trucidarunt.*

IV. Triſtanus porrò Chalcus Caſtrum illud BREBIAM (aliter PLEBIAM, ſicut è meis conſtat Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, Numero 342.) exiſtimauit intra Comenſis fines Diœceſis fuiſſe ſitum; ego autem intra fines Mediolanenſis; nec valde procul ab Oppido Beſutio, in præſens notiſsimo; in quod etiam denique per Sanctum Cardinalem Archiepiſcopumquè Carolum Borromæum tranſlata fuit Præpoſituræ dignitas, quæ antea illic D
extiterat. Sic etiam Ripamontius Militem illum ſtrenuiſſimum aſſeruit occiſum ad Brebiam; contra verò diſertiſsimè Arnulphus, ad Lecum, Caſtrum quidem ac Oppidum hodiequè celeberrimum. De Oppido autem Caſtroquè ipſo Brebia, ſiue Brebio, legi poteſt Bonauentura Caſtillioneus in Libro, *Gallorum Inſubrum antiqua Sedes* inſcripto.

## *CAPVT XXXVI.* A

*Moritur Alexander Papa Secundus , ſanctitate ac miraculis inclytus : eiquè ſubſtituitur Hildebrandus , Gregorij Septimi nomine appellatus.*

I. D*VM hæc taliter agerentur (* Arnulphus proſequitur Libri Quarti Capite ſecundo *) defungitur Apoſtolicus : cui paruo dierum interuallo ſuccedit Hildeprandus , mutato nomine dictus Gregorius .* Et hæc paucula nobis nunc ex Arnulpho ſufficiant , vt propoſita rerum geſtarum ſeries apertiùs dignoſcatur . De ipſomet enim Alexandro Pontifice cæte- B
roqui par eſt vt paulò vberiùs , & è fideliſſimo quidem Teſte, dicamus .

II. Eiuſmodi verò Teſtis in præſenti nobis ſit Baronius ad Annum 1073. quo Pontifex ipſe Alexander occubuit : ſuiſquè verbis commonſtret , quàm ſanctus ille fuerit . Sic igitur de illo habet Articulo 12. *De eodem Alexandro Papa , antequàm ex hac vita migraret , quæ ab eo miracula ſunt edita , deſcribenda ſe offerunt . Voluit Deus Vicarium ſuum ante obitum illuſtrare miraculis , quibus , ſigillo velut diuinitùs impreſſo , ſicut ab Eccleſia in Terra re-
ceptum , ita in Cælo probatum legitimum Succeſſorem Petri ſignifi- C
caret .*

III. *Hæc autem ab Auctore huius Sæculi , Leone Oſtienſi , in Caſſinate Chronico* ( Libro 3. Capite 35. ſicut eſt in margine adnotatum ) *ita ſcribuntur : Sequenti tempore memoratus Papa Alexander , Vrbe egrediens , venit ad Monaſterium . Qui à Deſiderio honorificè ſuſceptus , dum Abbatis habitationem , quæ iuxta Sancti Nicolai Eccleſiam conſtructa eſt , ingreſſus fuiſſet ; Dæmoniacus quidam , qui illò tunc venerat , ei factus eſt obuius . Quem Sanctus Pontifex vt vidit ; orationem fundens ad Dominum , dixit ad Dæmonem : Præ-
cipio tibi , immunde Spiritus , vt exeas ab hoc homine ; & vadas in D
illum locum , vbi nec auis volat , nec vox hominum reſonat ; ſiſque ibi vſque ad diem Iudicij . Mirabilis Deus in Sanctis ſuis : qui & innocentes , & de ſua miſericordia præſumentes , velociter exaudire dignatur . Dæmon ad Pontificis imperium exijt : cunctiquè qui aderant , cæperunt benedicere Deum .*

IV. *Neque hoc tacendum videtur , quod Omnipotens Deus per eumdem famulum ſuum operari dignatus eſt . Nam cùm pertranſiſſet Aqui-*

*num ;*

*num; claudam quamdam in itinere iacentem inuenit: cuius infir-* A
*mitati compatiens, aquam eamdem, qua poſt Miſſarum ſolemnia*
*manus ſuas abluerat, ei ad bibendum dedit. Quam illa vbi ſor-*
*buit; ſanitati reddita, Deo gratias maximas reddere cœpit.*

V. Talia Baronius ex Leone Oſtienſi, ſicut ipſe arbitrabatur; ſed ve-
riùs ex Petro Diacono Caſſinenſi, qui Chronicum illud Caſſi-
nenſe poſt obitum Leonis proſecutus eſt à Libri Tertij Capite
33. vſque ad eiuſdem Chronici finem. Hoc enim bené fuit ob-
ſeruatum à Matthæo Laureto in ſua eiuſdem Chronici editione,
Neapoli Anno 1616. per Tarquinium Longhum Typogra-
phum elaborata; & in ſua ad Caput illud 33. Adnotatione. Qua B
quidem in editione ſuperiora Pontificis Alexandri miracula Ca-
pite, non 35. ſed 36. enarrantur.

VI. Dehinc verò Baronius hæc item ſubdit: *Mortuus eſt igitur Ale-*
*xander Papa Romæ decimo Kalendas Maij, cùm ſediſſet Annos*
*vndecim, menſes ſex, & dies vigintiduos.*

VII. Cæterùm eiſdem Alexandri Papæ miraculis iam ſubſcripſerat
etiam Carolus Sigonius *De Regno Italiæ* ad Annum 1072. his
verbis: *Alexander, Caſſinum reuerſus, hominem Dæmoniacum*
*poſt precationem diuinam verbo imperioſo ſanauit: & Aquinum*
*prætergrediens, pede captam mulierem nactus, maxima cum adſtan-* C
*tium admiratione curauit aqua, qua poſt Sacrificium manus ablue-*
*rat, potui miniſtrata: &, Tarracinæ Oppido Abbati Caſsinati do-*
*nato, Romam reuerſus, proximo Anno (1073.) Paſchate celebrato,*
*decimo Kalendas Maij ad Cæleſtia Regna migrauit.* Et hactenùs
quidem notum ſit, qualis quantuſquè Pontifex Alexander Arial-
do pariter ac Herlembaldo eorumquè cauſæ ad extremum vſ-
que ſpiritum conſtantiſſimè fauerit.

VIII. *Defuncto Alexandro Papa* (ſic enim ſe habent Acta Vaticana de
Rebus geſtis Gregorij Papæ Septimi, prout à Baronio ad Annum
Chriſti 1073. Art. 20. recitantur) *& in Lateranenſi Eccleſia ho-* D
*norificè tumulato, dum Hildeprandus Archidiaconus eſſet in eius ob-*
*ſequijs* (vel potiùs *exequijs*) *occupatus, repentè factus eſt in ipſa Ec-*
*cleſia maximus Cleri & Populi Romani concurſus, clamantium &*
*dicentium: Hildebrandum Archidiaconum Beatus Petrus elegit.*
*Quo audito, idem Archidiaconus nimis expauit: & quaſi extra ſe*
*raptus cucurrit ad pulpitum, cupiens Populum ipſum frequentem*
*ſedare, & à ſua intentione recedere & retrahere. Sed prædictus*

Mm 2 *Hugo*

*Hugo Candidus, Cardinalis, vbi omnium vota in Archidiaconum* A
*conueniſſe indubitanter cognouit; citiùs præcucurrit, & Populum ipſum in hunc modum allocutus eſt, dicens: Ecce chariſſimi fratres ſcitis, & indubitanter cognoſcitis, quòd à diebus Beati Leonis Papæ hic Archidiaconus, tamquàm vir prudens atquè probatus, hanc Sacroſanctam Romanam Eccleſiam plurimùm exaltauit, & Ciuitatem ipſam ab imminentibus periculis liberauit. Vnde, quia idoneiorem ad Eccleſiæ regimen inuenire nequimus; nos Epiſcopi Cardinales vnanimiter ipſum nobis & vobis in Paſtorem & Epiſcopum animarum noſtrarum eligimus. Et continuò vniuerſitate Populi & Cleri acclamante, Dominum Gregorium Papam Sanctus Petrus* B
*elegit; indutus rubea chlamyde (ſicut eſt mos) & Papali mitra inſignitus, inuitus & mœrens in Beati Petri Cathedram fuit inthronizatus.* Talia ex ijs Actis Baronius de Pontificis huius, Alexandro Secundo ſubſtituti, electione; ſicut & alia multa, quæ nos Lectori reſeruamus apud ipſum lectitanda, & ab aduerſariorum calumnijs vindicanda; à quibus etiam illum ſatis ſuperquè vindicauit Robertus Cardinalis Bellarminus Libro 4. de Romano Pontifice, Capite 13.

## CAPVT XXXVII. C

*Atho, iam electus in Archiepiſcopum, & à Sede item Apoſtolica comprobatus, Romam pergit ad Gregorium Papam.*

I. HAC de re teſtimonium nobis illud nos reſumimus, è quo ſuperius Caput ordiebamur. Sic ergo Arnulphus illic narrabat: *Dum hæc taliter aguntur, defungitur Apoſtolicus* (Alexander Secundus) *cui paruo dierum interuallo ſuccedit Hildeprandus, mutato nomine dictus Gregorius:* D
*in quo reuixit Athonis illicò ſpiritus; adeò vt, Romam pergens, illius ſeſe ſubderet contubernio. Ipſe autem cùm in priori radicitùs inhæreret propoſito; indicta Romæ generaliter Synodo, cum ſuis ſectatoribus Gothofredum excommunicauit.* Sed hæc tamen Synodus nonniſi Anno ſequenti celebrata fuit; proindequè tunc ego de ipſa prolixiùs & ex inſtituto agam. Nunc Chalci & Ripamontij licentia inſpiciatur.

II. Sic enim Chalcus: *Inter hæc Alexander, cùm Romano Pontificatui*

*præſediſſet*

*præſediſſet Annos vndecim, & eo ampliùs menſes ſex., moritur.* A *Cui confeſtim ſufficitur Hildebrandus, vnus ille cunctorum Romanæ Vrbis negotiorum adminiſtrator, & ante re quàm nomine Pontifex, decimo Calendas Maias Anni Milleſimi & ſeptuageſimi-tertij. Gregorium Septimum nuncupauere.* AD QVEM SINE MORA ATTO CONVOLAVIT : *exceptuſquè perbenignè, ac publicè à Pontifice ipſo laudatus, in penitiorem familiaritatem admittitur, ſpequè amplioris fortunæ oneratur.*

III. Vtrùm verò Ripamontij hac in re dicacitas nomen fortaſsè aliud quàm licentiæ mereatur, Lector ipſe pro ſua prudentia dijudicet: ego nuda ipſius propono verba, quæ ſunt huiuſmodi: *Verùm enim verò tempus iam appetebat, quo tragici ſceleris exempla* B *ingruerent Eccleſiæ Mediolanenſi, vulgoquè ſpectarentur ea, quæ memorare animus horret. Alexandro Pontifice Maximo per eos fortè dies extincto, Ildebrandus (ille fautor Attonis & Erembaldi, ille Mediolanenſium inimicus) vti florebat apud Patres gratia & authoritate, ſummum honorem adipiſcitur: quo ſucceſſu contremuerunt, vt quiſque acerrimè puerilem* (nempe Attonis) *Pontificatum oppugnarat: Atto & Erembaldus, & quiſquis illarum partium erat, immodicè ſuſtulerunt animos: ac veniſſe tempus rati, quo diem illum infeliciter tentati honoris vlciſcerentur, ſeſe totos in eam* C *rem intenderunt. Ipſe in primis Atto* Romam *proficiſcitur, non tam ſpe præmiorum & largioris fortunæ, quàm expoſtulaturus iniuriam, & promptum ſibi Pontificem in damna Mediolanenſium inſtigaturus. Atque ſecundas nactus aures ipſe quidem Romæ ſubſtitit; cæterùm Erembaldo tantum ex illo Pontificio fauore temeritatis & audaciæ tranſmiſit, vt nihil reliqui faceret, quominùs Ambroſiana Sacra & eorum Antiſtites propè ad extremum inſectaretur. Quantùm olim ante Attonis tempora pro Eccleſia & Epiſcopo, tantùm nunc pro Attonis dolore, & ignominia ſua nitebatur ac pugnabat. Nec ferè quiſquam ibat obuiam, vulgata fama & rumore, fauere cœptis* D *eiuſmodi Pontificem Maximum: &, ſi reſiſtendo & aduerſando Summa Poteſtas irritaretur; maiora pericula, fœdiores ignominias imminere. Quinetiam eò proceſſit, patientiâ Ciuium & ſuis artibus, vt vulgò Dominus & Patriæ Pater appellaretur: aliaquè porrò cumularentur in eum honoris vocabula, quæ reperire ſolet adulatio, vbi nimirùm in blandimenta odium exceſſit. In hunc modum exercebatur Ciuitas vnius hominis violentiâ, cùm grauis inſuper caſus*

*eam afflixit, excitato iterùm incendio, quo priuata & publica ædificia miſerandam ad vaſtitatem conflagrauere.* De incendio autem illo Ripamontius loquitur, quod Anno Chriſti contigit Milleſimo ſeptuageſimo-quinto, quodquè ipſiuſmet Arnulphi verbis ego deſcribebam in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis Numero 276. A

IV. Dum verò Romam proficiſcitur ibiquè diu moratur Atho, & ipſimet quidem Pontifici Gregorio familiaris ac domeſticus (quemadmodùm ab ipſomet etiam indicabatur ijs verbis, quæ ſuperiore Capite 32. Num. 12. ego recitabam) certè tantò minùs ab ipſo diſsimulari poterat eius infantia, ætaſquè tenera, & B muneris Epiſcopalis incapax, ſi talis ea ſecundùm veritatem fuiſſet; certeque præterea tantò minùs ille poterat ab ipſo publicè laudari, vt Chalcus paulò ante affirmabat. Athonem igitur interea nobis etiam ſummoperè placet in Vrbe morari Roma, tantiquè Pontificis contubernio & fauore frui; eodemquè tam manifeſto, vt vel inde dignoſci ſatis poſſit, quantoperè Athonis electio Pontificia præualere debeat Cæſareæ Gothofredi electioni.

## CAPVT XXXVIII.

*Gregorius Papa Septimus Beatricem, Tuſciæ ac Liguriæ Dominam, eiuſquè filiam Mathildem, admonet, vt à communione illorum abſtineant Epiſcoporum, à quibus Gothofredus in Archiepiſcopum conſecratus fuit.* C

I. GOthofredum, poſteaquàm in Archiepiſcopum Mediolanenſem fuiſſet electus, mox Synodaliter à Sede Apoſtolica percuſſum anathemate fuiſſe; ſed eumdem nihilominùs poſtea Regis Henrici iuſſu fuiſſe conſecratū ab Epiſcopis huius Metropoleos Suffraganeis: hæc iam vidimus D Capite 34. & 35. Gregorius nunc Pontifex Romanus, inter primas regiminis ſui curas, Beatricem, Tuſciæ ac Liguriæ Dominam (de qua legi poteſt Baronius ad Annum 1070. Articulo 35.) eiuſquè filiam Mathildem, Sedi Apoſtolicæ addictiſſimas, admonet, vt ab eorum Epiſcoporum communione abſtineant.

II. Hac autem de re illas ipſe admonet Epiſtolarum ſuarum Libro Primo, Epiſtola vndecima, his verbis: *Gregorius, in Romanum Pon-*

*tificem electus, Beatrici, & eius filiæ Mathildi, Salutem in Domino* A
*Ieſu Chriſto*. Et pauca præfatus: *Noſtis* (inquit) *Dilectiſſimæ Sancti Petri filiæ, quam apertè Longobardorum Epiſcopi Simoniacam hæreſim defendere ac fouere præſumpſerint, cùm Gotefredum, Simoniacum, & ob hoc excommunicatum atque damnatum, ſub ſpecie benedictionis maledixerint, & ſub vmbra Ordinationis execratum hæreticum conſtituerint. Nempe qui hactenùs lapides & ſagittas latenter contra Dominum iactauerunt, iam nunc, ad ſubuertendam religionem, & immobilem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ petram concutiendam, non dubiè præcurſores Antichriſti, & antiqui Hoſtis ſatellites, in apertum furoris ſui campum proſilierunt. Quibus fauere vel con-* B
*ſentire quàm periculoſum ſit, prudentia veſtra inde perpendat, quòd Beatus Gregorius dicit: Talibus non ſummoperè obuiare, quid aliud eſt, niſi Fidem negare? Vnde Nobilitatem veſtram hortamur, & valde rogamus, vt communionem illorum euitare & declinare ſtudeat, nec factionibus eorum conſilia vel adiumenta præbeat. Neque verò hac in re aliqua huius Mundi ratio (quæ quidem vana tranſitoria & deceptiua eſt) vos commoueat; quoniam, per miſericordiam Dei & Sancti Petri, nulla vos inimicorum verſutia lædere poterit, ſi mentem veſtram libera conſcientia defendit*. Et rurſùs ad extremum: *Va-* C
*lete in Chriſto Chariſſimæ: & in noſtra dilectione corde tenùs vos annexas eſſe ſcitote. Dat. Romæ octauo Kalendas Iunij* (ſed, ſi ordinem inter huius Libri Primi Epiſtolas ſeruatum attendamus, legendum eſt *Iulij*) *Indictione vndecima*. Quippe huius Anni ſupra Milleſimum ſeptuageſimi-tertij menſe Iunio (pariterquè Iulio) vndecima excurrebat Indictio, ex Anni nempe ſuperioris Septembri menſe inchoata. I

## CAPVT XXXIX.

*Gregorius Papa Gulielmo, Epiſcopo Papienſi, Mediolanenſem commendat Cauſam contra Gothofredum Pſeudoarchiepiſcopum, eiuſquè fautores.* D

I. INtegra eius ad ipſum Epiſtola continetur eodem Libro Primo, & eſt numero duodecima, & his concepta verbis: *Gregorius, in Romanum Pontificem electus, Gulielmo, Papienſi Epiſcopo, Salutem in Domino Ieſu Chriſto. Nonnulla nobis, frater, de te antehac relata ſunt, è quibus animus*

*mus noſter non immeritò turbari debuit ; ſed in Epiſtola tua longè* A
*alia cognoſcentes, ad meliorem opinionem & ſpem gaudij adducti ſu-*
*mus ; cupientes, & illa vana fuiſſe, & fidem eorum, quæ tua dilectio*
*ſpondet, operum atteſtatione percipere ; cuius rei præſens & copioſa*
*tibi materia ſuppetit ; vt & his, quæ de te credenda ſuades, excluſa*
*dubitatione credamus ; & fraternitatem tuam integra charitate no-*
*bis, immò Sanctæ* Romanæ *Eccleſiæ, aſtrictam fore comprobemus.*
*Fiat itaque nobis iudicium, quàm vnanimi ſtudio eadem nobiſcum*
*velle, & pro libertate Sanctæ Eccleſiæ, quibus nos repugnamus, toto*
*niſu reſiſtere paratus exiſtas : videlicet, vt his, qui Catholicam Fi-*
*dem & Eccleſiaſticæ* Religionis *regulas conantur euertere, non ſolùm* B
*non conſentire, ſed ea parte, quæ pro reuerentia huius Sanctæ Sedis*
*& debito percepta Fidei cultu illis contraire decreuit, tuis conſilijs*
*adiutorioquè ſuffulta, pro tuis viribus te quoque repugnare oſtendas.*

II. *Hoc autem indubitanter ſcias, quoniam ſi Mediolanenſes Catholici*
(quorum Anteſignanus erat Herlembaldus) *huius rei teſtimonium*
*de te nobis dederint, vt Gotefredo excommunicato, & Epiſcopis,*
*qui eius cauſa excommunicationis periculum incurrerunt, prudenter*
*obſiſtas : & eis, qui in certamine Chriſti ſunt, fideliter ſolatium*
*præbeas ; non aurum vel argentum, nec aliqua fraternitatis tuæ*
*ſtudia vel obſequia, noſtræ & totius Romanæ Eccleſiæ charitati* C
*æquè te & cauſas tuas commendare & indiſſolubili cura annecte-*
*re poterunt. In hoc etenim chariſſimum filium, & fidum coope-*
*ratorem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ potiſſimùm te demonſtrare pote-*
*ris ; ſi eius Statuta, quæ à tramite Sanctorum Patrum non rece-*
*dit, amplexando fortiter & defendendo tenueris.*

III. *Quod quidem præ cæteris Longobardorum Epiſcopis te oportet agere ;*
*vt, ſicut Apoſtolica & Vniuerſalis Eccleſia eam, cui Deo volente*
*præeſſe dinoſceris, ſpeciali gratia & honore ſublimauit* (eam videli-
cet eximens à Metropolitana Mediolanenſis Archiepiſcopi iu-
riſdictione ; ſic enim ego interpretor) *ita, cùm neceſſitas & cau-*D
*ſarum labor exegerit, in ſolicitudine Matris deſudet acriùs, quæ*
*charitatis eius & vicariæ diſpenſationis munus ſortitur opimius.*
*Dat. Romæ tertio Kalendas Iulij, Indictione vndecima.*

*CAPVT,*

## *CAPVT XXXX.* A

*Gregorius Papa eamdem Cauſam Mediolanenſem contra Gothofredum Pſeudoarchiepiſcopum commendat omnibus Sancti Petri Fidelibus, in Longobardia commorantibus.*

I. IN hunc verò finem ille ſcripſit Epiſtolam, quæ Libri eiuſdem Primi decima-quinta eſt, & luculentiſsimum pro Metropolitana Mediolanenſis Eccleſiæ prærogatiua teſtimonium continet, atque per omnes ſui partes ita prorsùs ſe habet: B

II. GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei, omnibus Fidelibus Sancti Petri Apoſtolorum Principis, in Longobardia commorantibus, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Scire vos volo, fratres chariſſimi, quod & multi veſtrum ſciunt, quia in eo loco poſiti ſumus, vt (velimus, nolimus) omnibus gentibus, maximè Chriſtianis, veritatem & iuſtitiam annunciare compellamur. Dicente Domino: Clama, ne ceſſes: quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia Populo meo ſcelera eorum. Et alibi: Si non annunciaueris iniquo iniquitatem ſuam; animam eius de manu tua requiram. Item Propheta: Maledictus (inquit) homo, qui prohibet gladium ſuum* C *à ſanguine, id eſt, verbum prædicationis à carnalium increpatione.*

III. *Hæc ideò prælibauimus; quia inter multa mala, quæ vbique terrarum fiunt, quidam Miniſtri Satanæ & Præcones Antichriſti in Longobardia etiam Fidem Chriſtianam conantur confundere, & iram Dei ſuper ſe prouocare. Nam, ſicut ſcitis, Gotefredus, viuente Guidone, dicto Archiepiſcopo Mediolanenſi, eamdem Eccleſiam,* QVÆ QVONDAM MERITIS GLORIOSISSIMÆ VIRGINIS ET GENITRICIS DEI MARIÆ (cuiquidem ipſamet etiam Baſilica Metropolitana eſt nuncupata) NECNON AVCTORITATE CLARISSIMI DOCTORIS BEATI AMBRO- D SII, INTER CÆTERAS LONGOBARDORVM ECCLESIAS RELIGIONE LIBERTATE AC SPECIALI GLORIA ENITVIT, *nunc quaſi vilem ancillam præſumpſit emere, Sponſam videlicet Chriſti Diabolo proſtituere: & à Catholica Fide temptans eam ſeparare, niſus eſt Simoniaca hæreſis ſcelere maculare.*

IV. *Quod audiens Sancta Romana Eccleſia, Mater veſtra, & totius Chriſtianitatis (ſicut ſcitis) Magiſtra, congregato è diuerſis partibus Conci-*

*lio*(de quo quidem Concilio nos iam diximus Cap. 34.)*multorum* A
*Sacerdotum & diuerſorum ordinum conſenſu, fulta Beati Petri Apoſtolorum Principis auctoritate, Goteſredum, Fidei Catholicæ & Legis Chriſtianæ inimicum, excommunicauit, & anathematis vinculo vnà cum omnibus ſibi conſentientibus transfixit. Quam excommunicationem (quod etiam inimici Sanctæ Eccleſiæ negare non poſſunt) Sancti Patres antiquitùs cenſuere, & per omnes Sanctas Eccleſias totius Orbis Catholici viri confirmant, & confirmauerunt.*

V.*Quapropter ex parte Dei Omnipotentis, Patris & Filij & Spiritus Sancti, & Beatorum Petri & Pauli, Apoſtolorum Principum, monemus vos, fratres chariſſimi, hortamur atque præcipimus, vt nullo modo prædicto* B *hæretico, Goteſredo conſentiatis (quia illi in hoc ſcelere conſentire, Fidem Chriſti eſt negare) ſed, quibus modis poteſtis, vt filij Dei ei reſiſtite; & Fidem Chriſtianam, qua ſaluandi eſtis, omninò defendite.*

VI.*Neque vos deterreat humana ſuperbia; quia, qui nobiſcum eſt, maior eſt omnibus, & ſemper inuictus; qui vult, nos pro ſe laborare, & coronam legitimè certantibus (vt Apoſtolus promittit) tribuere. Solet enim Dux noſter paucis & humilibus multos & ſuperbos conterere: & per ea, quæ ſunt infirma Mundi, fortia quæque confundere. Sic enim placuit, & ſic decet Cæleſtem & Inuictum Principem.*

VII.*Omnipotens Deus, qui Beato Petro Oues ſuas ſpecialiter commiſit, &* C *totius Eccleſiæ regimen dedit, vos in eius dilectione corroboret; vt, eius auctoritate à peccatis veſtris abſoluti, mereamini inimicos Domini comprimere, & corda illorum ad pænitentiam prouocare. Dat. Romæ Kalendis Iulij, Indictione vndecima.*

## *CAPVT XXXXI.*

*Henricus Rex à Gregorio Papa veniam ſuppliciter petit, quòd res inuaſerit Eccleſiaſticas, & Eccleſias vendiderit. Rogat, vt auctoritate ille ſua Simoniacam extirpet labem ab omnibus Eccleſijs, & à Mediolanenſi præſertim: ſemetipſum autem illi obſecuturum in omnibus promittit.* D

I. QVæ præſenti Capite à nobis Epiſtola Regis Henrici producitur, nullo quidem certo tempore conſignata eſt; ſed eam tamen priùs eſſe datam, quàm ſubſequens Gregorij Papæ ad Herlembaldum Epiſtola ſcriberetur, benè Baronius hoc Anno 1073. Articulo 44. collegit ex eius

mentione,

mentione, quæ in altera illa ſubſequenti facta eſt, vt nos etiam A videbimus. Sic enim de hac ipſa Henrici Epiſtola Baronius illic ſentiebat: *Hucuſque Henrici Regis Litteræ ad Gregorium Papam. Quæ etſi nota temporis, quo datæ ſint, careant; tamen, cùm quòd inter Gregorij Epiſtolas hoc Anno datas poſitæ inueniuntur; tum etiam (quod maioris eſt argumenti) in eis de corrigendo errore, cuius fuerat accuſatus, agitur, & de cura Mediolanenſis Eccleſiæ, de qua hoc Anno Litteras dedit idem Gregorius; hoc pariter Anno ſcriptas eſſe, opus eſt affirmare. His adde, quòd meminit harum Litterarum Henrici idem Papa in Litteris ſuis, hoc Anno, quinto Kalendas Octobris datis ad Herlembaldum Militem (* Libro 1. B Epiſtola 25.) *in quibus iſta leguntur: Henricum* Regem, *præterea ſcias, dulcedinis & obedientiæ plena ad nos verba miſiſſe, & talia, qualia neque ipſum, neque Anteceſſores ſuos recordamur* Romanis *Pontificibus miſiſſe.*

II. Epiſtola porrò ipſa, præſenti conferenda Capiti, hæc eſt: *Vigilantiſſimo & Deſiderantiſſimo Domino Papæ Gregorio, Apoſtolica dignitate cælitùs inſignito, Henricus,* Romanorum *Dei gratia Rex, debiti famulatus fideliſſimam exhibitionem. Cùm enim* Regnum *& Sacerdotium, vt in Chriſto ritè adminiſtrata ſubſiſtant, vicaria ſui ope ſemper indigeant; oportet nimirùm, Domine mi & Pater amantiſſime, quatenus abinuicem minimè diſſentiant; verùm potiùs Chriſti* C *glutino coniunctiſſima indiſſolubiliter ſibi cohæreant. Namque ſic, & non aliter, conſeruatur in vinculo perfectæ charitatis & pacis, & Chriſtianæ concordia vnitatis, & Eccleſiaſticæ ſimul ſtatus religionis.*

III. *Sed nos, qui, Deo annuente,* Regni *aliquandiu iam ſortimur miniſterium, Sacerdotio (vt oportuit) per omnia ius & honorem non exhibuimus legitimum. Quippe nobis à Deo datæ poteſtatis vindicem non ſine cauſa gladium portauimus; nec tamen in reos, vt iuſtum fuit, iudiciaria illum ſemper cenſura euaginauimus.*

IV. *Nunc autem, diuina miſeratione aliquantulùm compuncti, & in nos* D *reuerſi, peccata noſtra priores veſtræ indulgentiſſimæ Paternitati nos accuſando confitemur: ſperantes de vobis in Domino, vt Apoſtolica veſtra auctoritate abſoluti iuſtificari mereamur. Heu criminoſi nos & infelices, partim pueritiæ blandientis inſtinctione, partim poteſtatiuæ noſtræ & imperioſæ potentiæ libertate, partim etiam eorum, quorum ſeductiles nimirum ſecuti ſumus conſilia, ſeductoria deceptione peccauimus in Cælum, & coram Vobis: & iam digni non ſumus vocatione veſtræ filiationis.*

V. *Non ſolùm enim nos res Eccleſiaſticas inuaſimus, verùm quoque indi-* A
*gnis quibuslibet, & Simoniaco felle amaricatis, & non per oſtium*
*ſed aliunde ingredientibus, Eccleſias ipſas vendidimus; & non eas,*
*vt oportuit, defendimus.*

VI. *At nunc, quia ſoli abſque veſtra auctoritate Eccleſias corrigere non*
*poſſumus; ſuper his (vt etiam de noſtris omnibus) veſtrum vnà*
*& conſilium & auxilium obnixè quærimus, veſtrum ſtudioſiſſimè*
*præceptum ſeruaturi in omnibus.*

VII. ET NVNC IN PRIMIS PRO ECCLESIA MEDIOLANEN-
SI, QVÆ NOSTRA CVLPA EST IN ERRORE, ROGA-
MVS, VT VESTRA APOSTOLICA DISTRICTIONE CA- B
NONICE CORRIGATVR, ET EXINDE AD CÆTERAS
CORRIGENDAS AVCTORITATIS VESTRÆ SENTEN-
TIA PROGREDIATVR.

VIII. *Nos ergo Vobis in omnibus (Deo volente) non defuerimus: rogantes*
*idipſum ſuppliciter Paternitatem veſtram, vt nobis alacris adſit cle-*
*menter in omnibus. Litteras noſtras non poſt longum tempus cum*
*Fideliſſimis noſtris habebitis: ex quibus noſtra, quæ adhuc dicenda*
*reſtant (Deo dante) pleniùs audietis.*

IX. Hactenùs Henrici Regis Epiſtola, pœnitentiam continens eorum,
quæ ipſe pro Gothofredo Pſeudoarchiepiſcopo antehac geſſe- C
rat. Cuius pœnitentiæ mentionem nobis etiam faciebat Arnul-
phus ſuperiori Capite 35. Num. 2. Vtinam verò deinceps ille
pœnitenti hunc in modum animo perſeueraſſet?

## *CAPVT XXXXII.*

*Gregorius Papa Herlembaldo noſtro ſcribit humaniſſimè: ipſumque tandem ad perſeuerantiam in ſuſcepta Cauſa defenſione hortatur.*

I. TEmpeſtiua ſimul & optatiſſima ſe nobis ea nunc
offert ad Herlembaldum Epiſtola, quam ſu- D
perioris initio Capitis innuebamus. Inter alias
verò temporis huius Gregorianas vigeſima-
quinta eſt Libri Primi, & ad verbum ita prorſùs ſe habet:

II. GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei, Herlembaldo,*
*Mediolanenſi Militi, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Sciat*
*prudentia tua, nos, Deo miſerante, ſanos & lætos non ſine magna*

*Sancta*

*Sanctæ Eccleſiæ vtilitate apud Capuam demorari. Nam Norman-* A
*ni, qui ad confuſionem & periculum Reipublicæ & Sanctæ Eccleſiæ*
*vnum fieri meditabantur, in perturbatione, in qua eos inuenimus,*
*nimis obſtinatè perſeuerant, nullo modo, niſi nobis volentibus, pacem*
*habituri. Si enim diſcretio noſtra Sanctæ Eccleſiæ vtile approba-*
*ret; ipſi iam ſe nobis humiliter ſubdidiſſent; &, quam ſolent, reue-*
*rentiam exhibuiſſent.*

III. *Henricum Regem præterea ſcias dulcedinis & obedientiæ plena nobis*
*verba miſiſſe, & talia, qualia neque ipſum neque Anteceſſores ſuos*
*recordamur Romanis Pontificibus miſiſſe. Quidam etiam ex maiori-*
*bus Fidelibus ſuis promittunt nobis ex parte ſui, eum de Cauſa Me-* B
*diolanenſis Eccleſiæ ſine dubio conſilio noſtro obedire. Quantùm enim*
*ſibi poſſimus prodeſſe; vel quantùm, ſi adiutorij manum ſubtraxeri-*
*mus, obeſſe: citò te ſperamus apertiſſimè cogniturum & Deum nobiſ-*
*cum eſſe, & nobiſcum operari euidenter probaturum.*

IV. *De Comitiſſa Beatrice nullo modo dubitandum putamus, quin & ipſa*
*& filia eius Mathildis in his, quæ ad Deum pertinent, & religio-*
*nem Sanctæ Eccleſiæ, fideliter ſe erga nos habeant.*

V. *Tu igitur, omninò confidens in Domino & in Matre tua Romana Ec-*
*cleſia, viriliter age, confortatus in Domino, & in potentia virtutis*
*eius: ſciens, quia, quantò vobis grauior nunc inſurgit perturbationis* C
*tempeſtas, tantò poſtmodùm (Deo fauente) iucundiùs arridebit ſe-*
*renitas. Dat. Capuæ, quinto Kalendas Octobris* (hoc eſt, vigeſi-
ma-ſeptima Septembris die) *Indictione duodecima*. Hæc ipſa
namque Indictio nuper erat hoc ipſo Septembris menſe inchoa-
ta; videlicet vſque ad alterum ſequentis Anni Septembrem du-
ratura.

## *CAPVT XXXXIII.*

*Gregorius Papa eumdem Herlembaldum per Litteras hortatur, vt cum ex-*
*communicatis reſipiſcentibus agat benignè, vtquè viriliter in defenſione*
*Cauſæ pro Eccleſia ſuſcepta perſeueret.* D

I. SEquitur nunc altera Pontificis eiuſdem Epiſto-
la, eumdem ad Herlembaldum ſcripta, Libri-
què pariter Primi vigeſima-ſexta: GREGO-
RIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei*,
*Herlembaldo, Mediolanenſi Militi, Salutem*
*& Apoſtolicam Benedictionem. Pia ſollicitu-*
*dinis*

*dinis ſtudio in defenſione Fidei, Sanctaquè Religionis reſtauratione,* A
*donec occupatus fueris, Legationes tuas libenter audire, tequè abunde adiuuare voluntas non deerit.*

II. *Multiplici quidem veſtræ interrogationi* ( quippecùm ab eius iudicio penderet; ipſumquè proptereà; non modò per Litteras, ſed etiam per Legatos conſuleret Herlembaldus ) *alijs quia intenti ſumus, paucis reſpondere diſponimus.*

III. *De ſocijs itaque illius excommunicati, qui accepta pecunia ad vos redire volunt; & de filijs, quorum patres; aut de patribus, quorum filij ipſi Gotefredo anathematizato adhærent; atque de ijs, quorum correctionem ſine pecuniæ attributione fieri non vultis (erga quos tamen clementes vos exiſtere monemus, ſi qui veſtræ parti ſe applicare cupiunt) veſtræ prudentiæ, vt meliùs ſcitis & valetis, diſponendum committimus.* B

IV. *Quicumque autem horum, erroris ſui pœnitentes, ad vos venire remedij gratiâ deſiderauerint; benignè ſe ſuſcipi, atque miſericorditer tractari, nouerint.*

V. *Epiſcopos præterea, inimicum veſtrum* ( Gotefredum ego intelligo) *fulcire conantes, non multùm metuatis; cùm Beatrix ac filia eius Mathildis; Romanæ Eccleſiæ penitùs fauentes, cum quibuſdam maximis Regni Proceribus laborent noſtrum atque Regis animum firmiter vnire; contra quem quidem nullum odium neque debemus neque volumus exercere; niſi (quod abſit) Diuinæ Religioni contrarius voluerit exiſtere. Quem nimirùm Regem omninò confidunt voluntati noſtræ de cæteris Eccleſiaſticis negotijs ſatisfacere; præſertim de veſtro noſtræ diſpoſitioni aſſenſum præbere.* C

VI. *Denique Gregorium, Vercellenſem Epiſcopum* ( hic erat Regius Italiæ Cancellarius, de quo Baronius ad Annum 1062. Articulo 17.) *quoquo honeſto pacto vales, ſtude tibi conciliare; quia noſtra ex toto iuſsioni ſe profitetur parère.*

VII. *De cætero itaque confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius, precibus & eleemoſynis ac puritate cordis indulgentiam illius poſtulantes, quatenùs votum noſtrum ac veſtrum ad perfectum perducere dignetur. Dat. Capuæ, ſeptimo Idus Octobris, Indictione duodecima.* D

CAPVT

## CAPVT XXXXIV. A

*Gregorius Papa Albertum, ad Albenſis Eccleſiæ regimen electum, hortatur, vt Simoniacos & Nicolaitas oppugnet, ac Herlembaldo noſtro auxilium præſtet.*

I. QVàm ſolicitus pro Eccleſiæ Mediolanenſis & Herlembaldi Cauſa eſſet vigilantiſſimus hic Pontifex, Gregorius, è proximis etiam duabus ipſius Epiſtolis (vigeſima-ſeptima & vigeſima-octaua Libri Primi) perſpicuum eſt; quippe datis vna eademquè die decima-tertia Octo- B bris, poſteaquàm ille nona Epiſtolam ſuperiorem ad Herlembaldum ſcripſiſſet.

II. Ac vigeſima-ſeptima quidem eſt huiuſmodi: GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei, Alberto, Albenſis Eccleſiæ Electo, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Peruenit ad aures noſtras, vnde aliquantulùm de religione tua dubitauimus, te videlicet illius excommunicati Gotefredi interfuiſſe Ordinationi. Sed poſtquàm teſtimonia eorum, qui nobis verum ſolent dicere, fideli relatione te excuſare ſtuduerunt; non ſolùm de te non dubitauimus; ſed ad reparandum Mediolanenſis Eccleſiæ, Matris tuæ, honorem* C *zelum habere intelleximus. Quæ in re quantùm nobis religio tua placeat, euidentibus indicijs probabitur, in quibuſcumque Romanæ Eccleſiæ neceſſitas tua auxilium requiſierit. In nullo ſiquidem magis debitorem Sanctum Petrum & nos religio tua poteſt ſibi facere; quàm ſi contrà Simonem Magum, qui Eccleſiam Beati Ambroſij venalitatis ſuæ miſerabiliter veneno infecit, ſcuto fidei & galea ſalutis armatus, nobiſcum prælieris; & ſi Herlembaldo, ſtrenuiſsimo Chriſti Militi, in his, quæ ad Dei cultum & ad religionem Sanctæ Eccleſiæ pertinent, manum auxilij præſtiteris.*

III. *Eſt etiam quod prudentiam tuam Sanctæ Apoſtolicæ Sedi nihilò mi-* D *nùs commendabit; ſi ipſam Simoniacam hæreſim (ſicut laudabiliter iam cœpit) vſquequò de Eccleſia ſua omninò euacuetur, ſtuduerit oppugnare, & Clericos à turpis vitæ conuerſatione ad caſtitatis munditiam reuocare.*

IV. *Hæc itaque ſanctitatis ſtudia mens tua quotidie meditetur; quatenùs, quod fama de te nobis innotuit, ex operum tuorum conſideratione probetur. Age igitur, vt Vniuerſalis Mater, Sancta Romana Eccleſiæ,*

*cleſia, in te, quaſi fideliſſimo filio, conſoletur, & vinctis catenis* A
*mortis liberationis manus porrigatur. Dat. Capuę, tertio Idus Octobris, Indictione duodecima.*

## *CAPVT XXXXV.*

*Gregorius Papa Gulielmo, Epiſcopo Papienſi, Cauſam Eccleſię Mediolanenſis & Herlembaldi rursùs commendat.*

I. SEquitur nunc altera eiuſdem Pontificis Epiſtola,
eiuſdem Libri Primi vigeſima-octaua, eodem
pariter Octobris die decimo-tertio data, & in B
eamdem fermè ſententiam, his verbis: GRE-
GORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei,*
*Gulielmo, Papienſi Epiſcopo, Salutem & Apoſ-*
*tolicam Benedictionem. Litterę fraternitatis tuę nobis directę, ſi-*
*mulquè Herlembaldi Mediolanenſis verba euidenter oſtendunt,*
*quòd tu Sanctę Apoſtolicę Sedi eam, quam debes, velis obedien-*
*tiam fideliter exhibere, & exhortationibus noſtris, ſicut decet, parê-*
*re. Sed nihil eſt, quod fraternitati tuę promptiùs iniungamus: ni-*
*hil eſt, quod te libentiùs facere velimus, quàm ſi Eccleſiam tuam,*
*Gregemquè tibi commiſſum, ab hęreſibus, quę in Sancta Eccleſia* C
*peſtiferè videntur pullulare, paſtorali vigilantia ſtudeas defendere;*
*& contra eas omni adniſu totiſquè viribus, Sanctorum Patrum*
*munitus auctoritate, ardentiùs inſurgere, & Clericos à turpis vitę*
*conuerſatione ad caſtitatem reuocare.*

II. *Hoc etiam ſcias te admodùm Matri tuę, Romanę Eccleſię, com-*
*mendabilem facere; ſi prefato Herlembaldo in his, quę noſtro con-*
*ſilio immò Omnipotentis Dei timore operatur (* quemadmodùm
ille ſcilicet in ſuſcepta Mediolanenſis Eccleſiæ Cauſa operari ſo-
lebat) *manum adiutorij pręſtiteris; & inimicis Sanctę Eccleſię,*
*bellum Dei ſecum pręliaturus, viriliter reſtiteris. Studeat igitur* D
*prudentia tua ſic ſe, in huius ſollicitudinis partem, fortem vigilan-*
*temquè impendere, vt, quod ex promiſſionibus tuis accepimus, cer-*
*tis rerum exequutionibus implendum fore probemus. Dat. Capuę,*
*tertio Idus Octobris, Indictione duodecima.*

✠

*CAPVT*

## CAPVT XXXXVI. A

*Gregorius Papa in Concilio Romano Pſeudoarchiepiſcopum anathematizat Gothofredum, & eos Epiſcopos, à quibus ille fuerat conſecratus; Athonem verò collaudat. Sic etiam in eo contra Clericorum incontinentiam decernit.*

I. PRæſenti Capite Annum à Chriſti Domini Natiuitate ingredimur Milleſimum ſeptuageſimum-quartum: primoquè ſtatim ingreſſu opportunè ad inſtituti noſtri rationem incidimus in Concilium, quod à Gregorio Papa Septimo B celebratum eſt in Vrbe Roma intra primam Quadrageſimæ Maioris hebdomadam. In hanc enim hebdomadam illud ipſe iam indixerat eiuſdem Anni menſe Ianuario, cùm ad illud ſuo tempore conuenire iuberet etiam Sicardum Aquileienſem Patriarcham vnà cum ſuis Suffraganeis, necnon etiam Mediolanenſis Eccleſiæ Suffraganeos. Libri enim Primi Epiſtola 42. data Romæ nono Kalendas Februarias, Indictione duodecima, ſic ad Sicardum illum ſcripſerat: *Quapropter, confidentes in miſericordia Dei, Concilium in prima hebdomada Quadrageſimæ adunare diſpoſuimus, quatenùs huic tanto periculo, ſuffragante Diuina Clementia, cum communi conſilio fratrum aliquod* C *ſolatium & remedium inuenire valeamus* &c. Et in altera rurſùs Epiſtola, poſtridie data (ſiue quadrageſima tertia) ſic item: *Gregorius Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei, omnibus Epiſcopis Mediolanenſis Eccleſiæ Suffraganeis, videlicet Brixienſi, Cremonenſi, Bergomenſi, Laudenſi, Nouarienſi, Hyporegienſi, Taurinenſi, Albenſi, Aſtenſi, Aquenſi, Terdonenſi, & cæteris quibuſdam, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem: quibuſdam pro meritis. Non incognitum vobis eſſe credimus, in Romana Eccleſia iamdudùm conſtitutum eſſe, vt per ſingulos Annos, ad decorem & vtili-* D *tatem Sanctæ Eccleſiæ, Generale Concilium apud Sedem Apoſtolicam ſit tenendum. Nos itaque, huius celebritatis hoc in tempore cauſam valde neceſſariam conſiderantes, in prima hebdomada Quadrageſimæ Synodum (annuente Deo) Romæ celebrare diſpoſuimus. Ad quam omnes vos, & Apoſtolica auctoritate, præſentiam veſtram exhibere commonemus, atque præcipimus; quatenùs vnà vobiſcum, & cum alia frequentia veſtri ordinis, officij noſtri debitam ſollicitu-*

*dinem in Diuinis & Eccleſiaſticis cauſis, ſuffragante Superna Clementia, commodè ac reuerenter exercere valeamus.* Et paulò pòſt: *Sub eadem etiam auctoritate & determinatione omnes Abbates Longobardiæ ad præfatum Concilium inuitamus: nullamquè in hac obedientia fictitiam excuſationem prætendere admonemus atque præcipimus.* Benè autem Baronius eodem Anno 1074. Articulo 36. ad ſuperiorem illam Concilij Generalis mentionem ſic addidit: *Generale appellat, quòd ex omnibus Italiæ Epiſcopis colligeretur; cùm alioqui contingeret, ex Suffraganeis tantùm circa Vrbem poſitis Epiſcopis frequentiùs Romæ Concilia celebrari.* Qua de re legi poteſt etiam Bellarminus Libro 1. *De Concilijs & Eccleſia*, Capite 4. B

II. De multis verò & granibus in hoc Concilio actum eſt rebus, quas ibidem Baronius diligenter in vnum collegit; ſed ego duas tantùm hic proferam, quæ noſtro propriè inſtituto deſeruiunt.

III. Ac prima quidem illa eſt, quam ſolitus ille noſter & Herlembaldi hoſtis, Arnulphus, Libri Quarti Capite ſecundo recenſuit, quamquè nos Capite 37. Numero 1. ex parte attigimus. De Gregorio enim recenter ad Pontificatum euecto locutus, ſic ille ibi narrando ſubſequebatur, & abſque dubio Romanum præſentis Anni Concilium illud Generale deſignans: *Ipſe autem cùm in priori radicitùs inhæreret propoſito;* INDICTA ROMÆ GENERALITER SYNODO, CVM SVIS SACRATORIBVS GOTHOFREDVM ANATHEMATIZAVIT. *Cumquè ad libitum conſueuiſſet multa diſponere; coram omni Cætu præſentem laudauit Attonem, abſque nutu Regio; abſente quoque Ambroſiano Clero ac Populo; vnde inter ipſum & Cæſarem videtur ortum hac lite manente diſsidium; non illius quidem damnatione, ſed nouæ huius, & abſque dato Regis conſenſu, electione.* C

IV. In eodem quoque Concilio tale contra Clericorum incontinentiam pronunciatum eſt Decretum, quale prorsùs ad hunc Annum à Lamberto Schaffnaburgenſi deſcribitur his verbis: *Hildebrandus Papa, cum Epiſcopis Italiæ conueniens, iam frequentibus Synodis decreuerat, vt ſecundùm inſtituta antiquorum Canonum Presbyteri vxores non habeant; habentes, aut dimittant, aut deponantur. Nec quiſquam omninò ad Sacerdotium admittatur, qui non in perpetuum continentiam vitamquè cælibem profiteatur.* Cuius Decreti occaſione quales quantiquè tumultus excitati fuerint, idem mox Lambertus ibidem ſic explicat: *Hoc Decreto* D

*per*

*per totam Italiam promulgato, crebras Litteras ad Epiſcopos Galliarum tranſmittebat: præcipiens, vt ipſi quoque in ſuis Eccleſijs ſimiliter facerent, atque à contubernio Sacerdotum omnes omninò fœminas perpetuo anathemate reſecarent. Aduersùs hoc Decretum protinùs vehementer infremuit tota factio Clericorum: Hominem planè hæreticum & veſani dogmatis eſſe clamitans, qui oblitus ſermonis Domini, quo ait (*Matthæi 19.*) Non omnes capiunt hoc verbum; qui poteſt capere, capiat: & Apoſtolus (*1. Corinth. 7.*) Qui ſe non continet, nubat; melius eſt enim nubere, quàm vri; violenta exactione homines viuere cogeret ritu Angelorum; &, dum conſuetum curſum naturæ negaret, fornicationi & immundiciei fræna laxaret.* A B

*Quòd ſi pergeret ſententiam confirmare; malle ſe Sacerdotium, quam Coniugium, deſerere; & tunc viſurum eum, cui homines ſorderent, vnde gubernandis per Eccleſiam Dei plebibus Angelos comparaturus eſſet. Nihilominùs ille inſtabat, & aſſiduis Legationibus Epiſcopos omnes ſocordiæ ac deſidiæ arguebat: &, niſi ocyùs iniunctum ſibi negotium exequerentur, Apoſtolica ſe cenſura in eos animaduerſurum comminabatur.* Clericorum igitur pertinaciter incontinentiæ addictorum tales erant de Gregorio Papa querelæ, atque in ipſum contumeliæ ſimul & calumniæ. Sed non hic earum finis. C

V. In eodem enim Concilio renouatum eſt etiam ſuperiorum Pontificum Decretum, cuius mentionem nos etiam fecimus Capite 19. Num. 5. ne quis nempe Miſſas vxoratorum Sacerdotum audiret: Decretum profectò probatis quibuſque Scriptoribus probatiſſimum; ſed Sigeberto tamen Gemblacenſi, cùm Henrici Regis partibus nimiùm faueret, improbatum; quaſi verò Pontifex eo Decreto ſignificaſſet, Sacramenta verè ac validè per improbos non confici Sacerdotes; quod vtique falſiſſimum eſt, & à Catholica Fide alienum. Sigeberti verba in Chronico ad Annum 1074. ſunt huiuſmodi: *Gregorius Papa, celebrata Synodo* (eâ nimirùm, de qua nos in præſenti Capite agimus) *Simoniacos anathematizauit, & vxoratos Sacerdotes à Diuino Officio remouit, & Laicis Miſſam eorum audire interdixit, nouo exemplo, &, vt multis viſum eſt, inconſiderato præiudicio contra Sanctorum Patrum ſententiam: qui ſcripſerunt, quòd Sacramenta, quæ in Eccleſia fiunt (Baptiſmus ſcilicet, & Chriſma, Corpus & Sanguis Chriſti) Spiritu Sancto latenter operante eorumdem Sacramento-* D

*rum effectum, ſeu per bonos ſeu per malos intra Dei Eccleſiam diſ-* A
*penſentur; tamen, quia Spiritus Sanctus myſticè illa viuificat, nec*
*bonorum meritis diſpenſatorum amplificantur, nec malorum peccatis*
*attenuantur. Vnde eſt: Hic eſt, qui baptizat. Ex qua re tam gra-*
*ue oritur ſcandalum, vt nullius hæreſis tempore Sancta Eccleſia*
*grauiori ſchiſmate diſciſſa ſit* &c. Talia Sigebertus, & qui cum
eo prauè pro Henrico Rege contra Gregorium Papam, à quo il-
le fuerat anathemate percuſſus, ſentiebant: quæ propterea me-
ræ calumniæ titulo communiter à Doctoribus benè doctis &
Catholicis refelluntur. Quamobrem Aubertus etiam Miræus
in ſua eius Chronici editione ſic ad ea verba obſeruauit in ora B
marginali: *Calumniam Sigiberti, nimis addicti Henrico Quarto,*
*Baronius refellit Anno* 1074. §. 36. *& ſequentibus.*

VI. Sic enim Baronius illic habet §. ſiue Articulo 40. *De eadem Syno-*
*do, & Gregorij Papæ Litteris, his de rebus in Germaniam miſſis,*
*quæ deſiderantur, meminit Marianus Scotus, ea tunc ſcribens.*
*Agit & de iiſdem Sigebertus hoc Anno: & inuehitur refractarius*
*ipſe in eiuſdem Gregorij renouatum Decretum Prædeceſſorum; quo*
*iubetur, ne coniugatorum Sacerdotum quis Miſſas audire præſume-*
*ret; quaſi negaret ipſe Gregorius, vel alij qui hoc ſtatuiſſent, per*
*improbos Sacerdotes non confici Sacramenta. Nunquàm iſtud di-* C
*xit aliquis Romanorum Pontificum; ſed tantùm, quòd ea ratione*
*ſtatuiſſent, vt, ſi fornicarius Sacerdos ſic ſe contemni videret, ab-*
*ſtineret ab infami conſortio fœminarum. Sed nec ſic parentibus iſtis,*
*Laicis in opprobrium redditis; vt ſal infatuatum, non ſolùm ab ho-*
*minibus ipſi conculcati ſunt; ſed eò progreſſum aſſerit (quod dici ne-*
*fas) vt etiam confecta per eos Sacramenta eorumdem pedibus tere-*
*rentur.* Hactenùs Baronius.

VII. Sed quid item Bellarminus? *Habemus igitur* (concludit ille Libro
4. De Romano Pontifice, Capite 13.) *innocentiam Gregorij pro-*
*batam tripliciter: teſtimonio Scriptorum* (quos ille multos & Ger- D
manos produxerat) *teſtimonio aduerſarij morientis* (hoc eſt, Gu-
lielmi Epiſcopi Traiectenſis, qui vnà cum Bennone Cardinali
maledicentiſſimo Gregorium hunc Papam oppugnauerat) *&*
*teſtimonio Dei, à Pontifice inuocati. Vna ſolùm ſupereſt calumnia*
*Sigeberti: qui in Chronico ſcribit, Gregorium Septimum ſenſiſſe,*
*Presbyterum concubinarium, ſi fortè Sacrum facere velit, non poſſe*
*re vera conſecrare; & idcircò interdixiſſe Chriſtianis, ne concubi-*

*n ariorum*

*nariorum Presbyterorum Sacris intereſſent.* Reſpondeo, *Sigebertum* A
*fuiſſe ex ſectatoribus Henrici Quarti, vt Trithemius refert in Catalogo Scriptorum; & ideò ſiniſtrè interpretatum interdictum Gregorij. Quid autem Gregorius iuſſerit, longè meliùs & fideliùs refert Beatus Anſelmus, Sigeberto antiquior & ſanctior. Qui in Epiſtola 8. ad Gulielmum Abbatem ſic ait. De Presbyteris (inquit) qui ſe apertè reprobos, & libidinis commercio Deo execrabiles exhibent, omninò tenendum eſt, quod Apoſtolica prouidentia Eccleſiaſtico iuſtoquè rigore conſtituit. Nempe nullatenùs conuenit, vt ibi reuerenter aſtetur, vbi pertinaciter, aperta & impudenti libidine fœtentes, Dei & Sanctorum prohibitionem contemnendo Sacris Altaribus de-* B
*ſeruiunt; immò non deſeruiunt; ſed, quantùm ad ipſos pertinet, turpiter commaculant. Non quò quis ea, quæ tractant, contemnenda; ſed ipſos potiùs tractantes contemnendos exiſtimet; vt, qui Dei & Angelorum præſentiam non reuerentur, vel hominum deteſtatione repulſi, Sacra contaminare deſiſtant. Hæc ille. Qui rectiſſimè Decretum Gregorij, tempore ſuo editum, explicauit.* Sic igitur Bellarminus eiuſmodi calumniam ibi refellebat. Similiterquè refellit etiam ipſam Libro *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, in Sigeberto Hiſtorico, ad Annum 1101. vbi breuiter eam Sancti Anſelmi ſententiam his etiam verbis perſtringit: *Neque vetuerat* C
*Gregorius, Miſſas eiuſmodi concubinariorum audiri; quòd exiſtimaret, illas non eſſe veras Miſſas; ſed quòd iudicaret, concubinarios indignos eſſe, qui Miſſam celebrarent, & qui à Fidelibus Populis frequentarentur.* Eiuſdem verò Bellarmini opinione, ſicut etiam eodem illo Capite 13. paulò pòſt ſignificauit expreſſius, (necnon etiam Baronij ad Annum 1099. Art. 36.) Beatus ille Anſelmus, cuius teſtimonio ſuam eiuſmodi reſponſionem confirmabat, non alius fuit, quàm celeberrimus ille Cantuarienſium Archiepiſcopus, qui eodem Bellarmino teſte in Libro *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* florebat Anno 1081. ac feliciter obijt ætatis D
ſuæ Anno 76. Salutis autem Humanæ 1109. vel 1106. Itaque illi pariter adſcripta, & ad Vvilhelmum Abbatem Hirſauugienſem miſſa, recitatur ea Epiſtola in Opere illo, quod Sebaſtianus Tengnagel Anno 1612. edendum Ingolſtadij curauit, inſcriptum *Vetera Monumenta, contra Schiſmaticos tam olim pro Gregorio Septimo alijſquè nonnullis Pontificibus Romanis conſcripta, ac nunc primùm in lucem vendicata.* In ipſius tamen Anſelmi Ar-

chiepiſcopi Operibus, quæ tandem Coloniæ Agrippinæ Anno A
pariter 1612. edita fuerunt ſtudio & opera Ioannis Picardi; talem illam Epiſtolam ego non reperi; ac propterea nonnihil etiam ſuſpicatus fui, Anſelmo potiùs Epiſcopo Lucenſi, Alexandri Papæ Secundi nepoti, Ciuiquè noſtro Mediolanenſi (de quo nos etiam infra) tribuendam eſſe. Certè autem Hirſauugienſis ille Abbas, ad quem illa ſine dubio ſcripta ſupponitur, nihil ego ambigo, quin vnus idemquè ſit cum eo, de quo Ioannes Trithemius in Chronico, de Conciliabulo ſcribens Vvormatienſi, Anno 1076. ab Henrico Rege contra Gregorium Papam conuocato, ſic tradebat: *Ad hoc Concilium Malignantium Gulielmus Abbas* B
*Hirſaugienſis vocatus ire contempſit; quippequi Vicarium Chriſti* (Gregorium) *ſanctum & innocentem nouerat*. Sed hinc ad refellendam illam Sigoberti calumniam reuertamur.

VIII. Leonardus quidem Coquæus, Pater ille mihi dilectiſſimus, quem Operis huius Libro 1. Capite 23. producebam teſtem, ſic ipſe Antimornæi ſui Tomo Primo, pag. 528. columna 2. diſſerebat: *Gregorius Pontifex, Decreto de Clericorum Cælibatu edito, Litteras quidem ad omnes Epiſcopos miſit: præcipiens, vt fœminas ab ipſorum contubernio reuocarent. Et Prædeceſſor eius Alexander* C
*prius ediderat illud Decretum, vt nullus Miſſam audiat Presbyteri, quem ſcit concubinam habere indubitanter, vel ſubintroductam mulierem. Quod, non dubium, ab ipſo renouatum; prout etiam teſtatur Marianus Scotus Anno 1075. & Trithemius in Chronico Hirſaugienſi Anno 1073. Numquam tamen docuit, huiuſmodi non eſſe Sacerdotes, neque ſacrificare: & hic error illi à Sigeberto, ſchiſmatico fautore Henrici, imponitur; prout oſtendit Sanderus Libro 7. De Viſibili Monarchia Eccleſiæ, Num. 737. Neque vlli Scriptores fide digni referunt (nullo enim loco Auentinum habemus) Sacroſanctam Hoſtiam, à Sacerdotibus, qui coniuges habebant, conſecratam, occaſione huius doctrinæ à Populis in lutum* D
*abiectam aut pedibus conculcatam fuiſſe. Sed quid mirum, ſi id de Gregorio Septimo confinxerunt? quem aliquando accuſarunt velut hæreticum; vt qui Catholicam & Apoſtolicam Fidem de Corpore & Sanguine Domini in quæſtionem vertiſſet, tamquam Berengarij hæretici diſcipulus*. Qua de re quidem copioſè iam ego diſſerui in eiuſdem Vita Berengarij, ad Catholicam denique Fidem ſeriò conuerſi: quæ Vita, vt ſpero, iam tandem ſine mora in lucem præſenti Operi ſuccedet.

IX. Sed

IX. Sed ipſummet etiam Pontificem Gregorium Septimum audiamus. Libro enim 4. Epiſtola 10. quarto Idus Nouembris, Indictione decima-quinta, proindequè Anno Domini Milleſimo ſeptuageſimo-ſexto, ex Vrbe Roma ſic ille ſcripſit Adilæ, Flandrenſi Comitiſſæ: *Peruenit ad aures noſtras, quòd quidam veſtrum dubitant, vtrùm nunc Sacerdotes ac Leuitæ, ſeu cæteri qui Sacris Altaribus adminiſtrant, in fornicatione perſiſtentes Miſſæ debeant celebrare officium. Quibus ex auctoritate Sanctorum Patrum reſpondemus, nullo modo Miniſtros Sacri Altaris, in fornicatione exiſtentes, Miſſæ debere celebrare officium; quinetiam extra Choros eſſe pellendos, quouſque pœnitentiæ dignos fructus exhibeant. Vnde Apoſtolica tibi auctoritate præcipimus, quatenùs nullos eorum, qui in ſcelere perdurant, ad Sacrum Myſterium celebrandum ſuſcipiatis; ſed, vndecumque poteritis, tales ad Miſſas celebrandas acquiratis, qui caſtè Deo deſeruiant; his talibus prorsùs ab omnibus Eccleſiæ Beneficijs procul expulſis.* Similiter verò etiam in Epiſtola ſubſequenti, eodem die ad Robertum, Comitem Flandrenſem, data: *Peruenit ad Apoſtolicam Sedem, quòd in Terra tuæ Dominationis, qui vocantur Sacerdotes in fornicatione poſiti, non erubeſcant, cantando Miſſam, tractare Corpus & Sanguinem Chriſti; non attendentes, quæ inſania quoduè ſcelus eſt, vno eodemquè tempore corpus meretricis & Corpus attrectare Chriſti. Quapropter ex parte Omnipotentis Dei, & auctoritate Beati Petri Apoſtolorum Principis, te rogamus, ac tibi omninò præcipimus, vt, vbicumque potes huic ſceleri reſiſtere, & Simoniacis contradicere, nullius ratio vel gratia te poſſit retorquere.* Talia Gregorius ipſe Papa Septimus.

X. Ecce verò nobis præterea, quemadmodùm ſimiliter ipſius hac de re mentem interpretatus poſtea fuerit proximus eius Succeſſor, Vrbanus Secundus. Lucio enim, Ticinenſis Eccleſiæ Sancti Iuuentij Præpoſito, Epiſtolam ſcribens illam, quam Baronius Anno 1099. ab Articulo 28. vſque ad 36. primus edidit in lucem, poſteaquàm diſertiſſimè aſſeruiſſet, ac Sancti Auguſtini doctrina comprobaſſet, talium Sacerdotum Sacramenta re vera eſſe ſancta & veneranda; tum verò ſic adiecit: *Attamen Deceſſores noſtri Nicolaus & Gregorius, à Miſſis Sacerdotum, quos tales re vera eſſe conſtiterit, Fideles abſtinere decreuerunt; vt & peccandi licentiam cæteris auferrent, & huiuſmodi ad vera pœnitentiæ lamenta reuocarent. Scribit hoc Prædeceſſor noſter Gregorius* (ipſe-

met

met nimirùm Septimus) *Rodulpho & Bertholdo Ducibus* (Libri A
nempe Secundi Epiſtola 45. quam ego quoque recitabo infra, Cap. 60.) *inter cætera: Officium Simoniacorum, & in fornicatione iacentium, ſcientes nullo modo recipiatis: & quantùm poteſtis, tales ſanctis deſeruire Myſterijs, vi, ſi oportuerit, prohibeatis* &c. Et hæc quidem nobis in præſenti ſatis ſint pro Synodi eius Romanæ Decretis, ad inſtitutum noſtrum pertinentibus.

XI. E pertinacia tamen Clericorum, Pontificijs ac Synodalibus eiuſmodi Decretis obtemperare recuſantium, tantum mali ſubortum eſt, vt Ioannes Nauclerus in Secundo Chronologiæ ſuæ Volumine, Generatione 36. in Gregorio Papa Septimo, veraci- B
ter ita demùm ſcripſerit: *Hanc diſceptationem horrenda Eccleſia Occidentalis peſtis ſecuta eſt; adeò vt & Laici in hoc Sacerdotum diſsidio Sacra tractarent, baptizarent, inungerent ſordibus pro vero pietatis oleo, tantiſper donec Diuinâ Prouidentiâ rebus illis conſultum eſt;* qua nimirùm animi Clericorum ad obtemperandum flexi ſunt. Quocirca etiam iure merito Bellarminus Libro 1. *De Clericis*, Cap. 19. multa numerans impedimenta, quæ Coniugium afferret Clericis, ne munera ſua Eccleſiaſtica ritè exequantur, id etiam commemorat: *Sexto impediret Sacramentorum adminiſtrationem. Tunc enim vix diſtinguerentur* C
*Clerici à Laicis; & eſſet ſicut Populus* (Iſaiæ 24.) *ſic Sacerdos; quod experientia teſtatur. Nam tempore Gregorij Septimi, cùm in Germania cœpiſſent Sacerdotes vxores ducere, tantus contemptus Sacramentorum ſecutus eſt, vt paſſim Laici Sacramenta adminiſtrarent; vt Ioannes Nauclerus & alij referunt. Itaque meritò Diuus Epiphanius Hæreſi 59. dicit, propter honorem Sacerdotij neceſſariam eſſe continentiam.* Quod quidem Naucleri teſtimonium, & argumenti genus ex eo deductum, Gregorio etiam de Valentia placuit in Libro *De Cælibatu*, Capite D
5. propè finem.

CAPVT

## *CAPVT XXXXVII.* A

*Gregorius Papa Duciſſæ Beatrici & eius filiæ Mathildi mandat, vt liberum ac ſolutum ad Herlembaldum noſtrum mittant Epiſcopum Argentinenſem, quem iniuſtè detinuerant, cùm ex Vrbe Roma reuerteretur.*

I. ANNO Domini Milleſimo ſeptuageſimo-quarto Synodus præcedens celebrata fuit intra primam Quadrageſimæ hebdomadam, vti iam diximus; intra poſtremam verò data eſt Epiſtola ſubſequens. Hæc enim data eſt decimo- B
ſeptimo Calendas Maij (hoc eſt, quinto-decimo Aprilis die) cùm alioqui Dominicæ Reſurrectionis Paſcha eodem Anno in vigeſimum Aprilis diem inciderit. Eſt autem Libri Primi Epiſtola 77. & à Baronio etiam pro Beatrice ac Mathilde clementer ad Annum eumdem 1074. Art. 71. interpretata: necnon etiam nobis manifeſtè ſignificans, quanti Maximus hic Pontifex noſtrum faceret Herlembaldum.

II. GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei, Duci Beatrici & eius filiæ Mathildi Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Cùm Propheta teſtetur* (Pſalmo 50.) *quòd Omnipotens Deus, quem* C
*imitari iubemur, cor contritum & humiliatum non ſpernat; nos quidem, qui peccatores ſumus, etſi contritionem cordium in alijs non ſatis plenè reſpicimus; cognita tamen diſſimulare & quaſi pro nihilo computare non debemus.*

III. *Guarnerius, Argentinenſis Epiſcopus, poſtquàm peccatis facientibus decorem ſui Ordinis indignè tractauit, vocatus ad correctionem à Domino noſtro veneranda memoriæ Alexandro Papa, ſolus inter omnes Teutonicæ Terræ Epiſcopos (quorum multi, non ſolùm carnali ſcelere ſed etiam Simoniaca labe fœdati, itidem vocati ſunt)* D
*Apoſtolorum Limina petijt: locum iudicij in humilitatis forma præuenit: & veritus Apoſtolicam virgam, annunciando & cogitando pro peccatis ſuis in faciem procidit.*

IV. *Apoſtolica igitur tum cenſura correptus iam nunc Apoſtolicam venit experiri clementiam: & cum tanta fatigatione (ſicut audiuimus) ieiunando pariter, & plerumque pedes eundo, compunctionem ſuam & obedientiam demonſtrauit, vt Confratres noſtri, pro competentia horum temporum, miſerendum ſibi fore, dignum æſtimarent, & decernerent.*

*cernerent. Cui quamquàm Epiſcopalis officij redintegrationem ad vota ſua non conceſſimus; exercere tamen in illo rigorem Canonicum hoc in tempore quid referret? cùm fortaſsè, hoc amoto, locum eius non alius poſſideret, niſi qui plurimum pecuniæ dare poſſet.* A

V. *Cæterùm, quod vos feciſtis in eum, quàm inhoneſtum vobis, quàm mihi verecundum, quamquè Beato Petro & Apoſtolicæ Sedi contumelioſum ſit, quæſo, cum animis veſtris reputate; vt, in quibus peregrinorum his in partibus tutiſſima debet eſſe defenſio, inopinata pericula lateant; & noſtra, qui hoc alijs Principibus prohibemus, in hac re quaſi conſentanea pro familiaritate veſtræ dilectionis voluntas arguatur; præſertim, cùm eumdem fratrem per Litteras noſtras non ſine magna fiducia vobis commendauerimus.* B

VI. *Quamobrem Nobilitatem veſtram multùm rogamus & admonemus, vt iniurias eius, quantùm poteſtis, demulcentes, cum omni beneuolentia & manifeſta charitatis exhibitione eum abire dimittatis: & ſicut in ſupra memoratis rogauimus Litteris,* TVTVM SIBI VSQVE AD DOMNVM ERLEMBALDVM MEDIOLANENSEM DVCATVM PRÆBEATIS: *ſcientes, eum per Epiſtolam noſtram eſſe commonitum, vt nullatenùs ſuper hac re contra vos aut veſtros aliquid moliatur aduerſi.*

VII. *Dionyſio verò Placentino, & alijs Epiſcopis Longobardiæ, qui ad nos venerant, nihil de Epiſcopali officio, niſi confirmari pueros pro neceſſitate, conceſſimus; ſed totius negotij fræna ita retinemus in manu, vt aut correctis de venia, aut pertinacibus non ſit deſperandum de pœna.* C

VIII. *Quia verò ex charitate, & pro reuerentia Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, vos de talibus aduersùm nos murmuraſſe credimus; memores Domni & Patris noſtri Beati Petri, Apoſtolorum Principis, qui murmurantibus aduersùm ſe Diſcipulis ſatisfacere non dedignatus eſt; vobis quoque rationem de factis noſtris non inuiti reddimus; in eodemquè, quanta vis dilectionis, qua vobis aſtringimur, non alia vobis adhuc certiora ſigna dedimus.* D

IX. *Neque verò nos fugit, quàm diuerſa de nobis hominum opinio ſit, & iudicium; dum in eiſdem cauſis & actibus alij nos crudeles, alij nimiùm mites eſſe dicunt. Quibus profectò nil verius nil rectius reſpondendum videtur, quàm quod ait Apoſtolus* (1. Corinth. 4.) *Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.*

X. *Deus autem Omnipotens, qui verus inſpector eſt cordium, doceat nos &*

*& vos facere voluntatem ſuam: & ponat legem ſuam in medio cor-* A
*dis noſtri.. Dat. Romæ, decimo-ſeptimo Kalendas May, Indictione*
*duodecima.*

## *CAPVT XXXXVIII.*

*Quo conſilio Herlembaldus non permiſerit, ab vllo Epiſcopo excommunicato miniſtrari Baptiſmum; nec ab alijs adhiberi Chriſma, quod eſſet ab ipſo conſecratum..*

I. HAC de re nobis ante omnia proferendæ ſunt Arnulphi hoſtis & Hiſtorici quiritationes, Libro B
eius Quarto & poſtremo intextæ: necnon ab ijs incipiendum, quæ ad præſentem pertinent Annum Chriſti Domini Milleſimum ſeptuageſimum-quartum, & ad eius Sacratiſſimam Pentecoſtes celebritatem.

II. Poſt illa enim verba, quæ tandem nos Capite 46. Num. 5. ex ipſo recitauimus, ſic ille narrando progrediebatur Capite 3. *Præterea, dum Gothofredus Brebiæ ſolius immoraretur præſidio; Atho, propria neglecta domo ac Patria, Romæ degebat, tantummodò aſſiduis Papæ mancipatus obſequijs. Cui Herlembaldus apud Mediolanum* C
*totis fauebat viribus, die noctuquè laborans, datis etiam ac promiſſis muneribus. Inſuper omne Collegium Gothofredi flammis ac ferro perſequebatur, interdùm nihil intemptatum, iuxta poſſe, relinquens; præſertim, cùm nec Regiæ poteſtati, nec ſuorum partium aliorumquè multorum cederet vllo modo voluntati, Romana tantùm fretus atque contentus fiducia; ad hoc etiam prorumpens, vt Ambroſianæ Conſecrationis Epiſcopos blaſphemaret;* ASSERENS APOSTOLICE EXCOMMVNICATOS, QVORVM OMNE REPROBAT OFFICIVM. *Vnde fuit, quòd Sancto Pentecoſtes Sabbato fieri prohibuit in Vrbe Baptiſma.* Et hæc quidem in Annum cadunt D
Chriſti Domini præſentem, ac Milleſimum ſeptuageſimum-quartum.

III. Quod ibidem proximè ſequitur, in Annum cadit ſubſequentem, hiſquè deſcriptum eſt verbis: *Poſtea verò Chriſma Sacrum, quod vnus illorum* (videlicet Epiſcoporum; à Sede Apoſtolica excommunicatorum) *Dominicæ Cœnæ myſterio Metropolitanæ direxit Eccleſiæ (ſicut mos eſt, deficiente Pontifice) profuſum humi*

*coram omni Populo calcibus proculcauit , ſuum producens in medium ; à quo confectum, vel vnde venerit, incognitum.; ac ſic, poſtpoſita Sabbati illius authentici apparatibus tradita prærogatiua, ſexta in Albis feria ſuum fecit celebrari Baptiſma ; cùm Scriptura prohibeat tranſgrediendos, quos poſuerunt Patres, terminos. Vnde contigit, vt Paſchale gaudium ſuum neſciret Lauacrum, ac multo pòſt tempore plures Catechumeni Baptiſmi carerent gratia. Quo errore inuoluitur plurima Populi multitudo, partim ſimplici oculo, partim ſeducta pretio, partim impunitate, quæ patrauerat, ſcelerum. Ab ipſo enim excidio quicumque ſceleſtus illius adhærebat conſortio, charus & inſons habebatur ab illo. Quamobrem Patarinorum in tantum excreuit numerus atque virtus in Pagis, & Oppidis, ac quibuſdam duce ipſo in Vrbibus, vt ſuorum omnium videretur dominari Conciuium.* A B

IV. Denique verò ſic etiam in Annum Domini Milleſimum ſeptuageſimum-ſextum conquerebatur Arnulphus Capite 5. *Igitur inter tot anguſtias tantoſquè dolores* (ex altero nimirùm incendio, quod Vrbem noſtram fœdarat Anno ſuperiore Milleſimo ſeptuageſimo-quinto, feria ſecunda Sanctioris Hebdomadæ, vt infra nos etiam indicabimus) *cùm tota foret in Vrbe luctus, omnis ordinis & ætatis vtriuſque ſexus; ſolius Herlembaldi intrepidus perſeuerabat & inflexibilis animus. Siquidem inſtantibus Paſchalibus Albis Baptiſmi ſatagebat, ſicut præterito fecerat Anno, ignoto Chriſmate inchoare myſterium. Cumquè Cardinales Eccleſiæ, quorum intererat ſacrare Fontes, nollent contra ſolitum agere; aſtat illicò Luitprandus quidam Presbyter nuncupatus, à progenitoribus vernula. Qui, iuſſu ac virtute illius, Ordinariorum vſurpauit officium, venientes inconſultè baptizans. Et hæc quidem violentia, recenti iuncta Ciuitatis incenſæ memoriæ, quamplurimos offendit grauiter Ciues, præcipuè milites, præ oculis habentes, quòd quidam Romanus ait Tyronibus: Serui, empti ære, dura ferre non poſſunt Dominorum imperia, nedùm vos, Quirites.* Tales igitur erant huius generis querelæ, quas Arnulphus tunc in Herlembaldum noſtrum rabidus effundebat. Benè autem interim ſe res habet, quòd, vt iam vidimus Capite 26. Num. 3. ipſemet faſſus iam fuerat, non modò Gothofredum, ſed etiam Epiſcopos, à quibus fuerat conſecratus, anathematizatos in Synodo fuiſſe Romana; eoſdemque propterea excommunicatos eſſe Chriſtifidelibus vitandos; C D

in

in quos eæ cadant regulæ, quas mox Herlembaldi conſilio præmunire aggrediemur; & è ſapientiſſimi quidem Franciſci Suarez Tomo Quinto in Tertiam Sancti Thomæ Aquinaris Partem, qui Tomus eſt *De Cenſuris*. A

V. *Sit ergo* (inquit ille Diſputatione 11. Sectione 2.) *hæc generalis regula: Omnia Sacramenta, præter Pœnitentiam, ab excommunicato collata ſeruato Eccleſiaſtico ritu, itaut nullus alius intercedat defectus niſi cenſura ipſius Miniſtri, rata ſunt & valida: &, per ſe loquendo, conferunt totum effectum proprium, niſi aliunde intercedat obex ex parte recipientium. Hæc aſſertio eſt certa iuxta principia Fidei, quæ de Sacramentis in genere in Tertio Tomo tradidimus Diſputatione 14. Sectione 4. Ratio verò eſt; quia nec Sacramentum nec effectus eius poteſt vel propter iniquitatem Miniſtri vel propter Eccleſiæ prohibitionem impediri, ſi applicetur debita materia & forma cum debita intentione circa ſubiectum capax. Illis enim tribus Sacramentum perficitur ex inſtitutione Chriſti, vt Concilium Florentinum dixit. Præterea declaratur breuiter diſcurrendo per ſingula* &c. B

VI. De Sacramentalibus autem (cuiuſmodi eſt etiam Chriſmatis Conſecratio) ſic etiam ille aliquantò pòſt in eadem Sectione proſequitur: *Tertia difficultas eſt circa Matrimonium; non quidem quoad ſubſtantiam eius (iam enim diximus, huic nihil obſtare, quòd Parochus excommunicatus ſit) ſed quoad ſolemnem benedictionem, quæ in Templo dari ſolet coniugatis; quod etiam quæri poſſet de ſolemni ritu Baptiſmi, ſi ab excommunicato fiat; & in vniuerſum de omnibus his Sacramentalibus, ſeu Conſecrationibus & Benedictionibus ab Eccleſia introductis; an facta ab excommunicato rata ſint; eſto, excommunicatus peccet ea munera exercendo. In qua re generalis & communis ſententia eſt: hæc omnia, quæ iuriſdictionem non requirunt, ſed ſolùm Sacerdotalem vel Epiſcopalem Ordinem, valida eſſe, ſi Miniſter talem Ordinem habeat, & in reliquis debitum ritum ſeruet, etiamſi excommunicatus ſit. Ita Syluester Verbo Conſecratio 2. in 6. & Angelus eodem Verbo & Numero: & Tabiena Num. 8. Et ratio eſt; quia excommunicatio nihil aufert, quod ſit de neceſſitate huiuſmodi effectuum, vel actionum, etiamſi illas prohibeat; quia non ſunt actiones, quæ à iuriſdictione pendeant, neque ex bonitate operantis, aut honeſtate ſuæ actionis. Hac enim ratione ſupra oſtendimus, valida eſſe Sacramenta, collata ab excommunicato,* C D

*municato, quando iuriſdictionem non requirunt. Propter quod ſen-* A
*tentia hæc communis eſt, vt ſtatim referam.* Et paulò pòſt: *Ni-*
*hilominùs grauiter peccat Sacerdos excommunicatus exercendo hu-*
*iuſmodi actus. Nam, licet illa in rigore non ſit collatio Sacramen-*
*ti; eſt tamen Communicatio quædam in Diuinis, & in quodam ſa-*
*cro miniſterio ſolemni & publico; vnde ſine dubio eſt materia ſuffi-*
*ciens grauis culpæ.*

VII. Deinde verò idem Suarez Sectione 4. ſeparatim quærens de reci-
pientibus Sacramentum ab excommunicato, hæc habet: *Se-*
*cundò principaliter dicendum eſt, peccare grauiter eum, qui Sacra-*
*mentum aliquod ab huiuſmodi excommunicato ſuſcipit; non verò* B
*propterea incurrere aliam Eccleſiaſticam pœnam, præter excommu-*
*nicationem minorem, generaliter loquendo; nam ſpecialiter de illo,*
*qui Ordines ſuſcipit, eſt ſpecialis difficultas, infra tractanda. Pri-*
*ma pars certa eſt, & communis apud Theologos in Quarto, Diſ-*
*tinctione* 18. *vbi ſpecialiter Diuus Thomas Quæſt.* 2. *Art.* 4. *Et*
*ratio eſt; quia per cenſuram excommunicationis non ſolùm ipſi ex-*
*communicato prohibitum eſt communicare cum alijs; ſed etiam alijs*
*directè prohibitum eſt communicare cum ipſo; ergo tranſgreſſio huius*
*prohibitionis in materia graui mortale peccatum eſt. Sed hæc mate-*
*ria & communicatio in receptione Sacramentorum valde grauis eſt;* C
*ergo illa tranſgreſſio peccatum mortale eſt. Maior certiſſima eſt, &*
*multis Iuribus continetur* &c. *ergo hæc prohibitio directè cadit, non*
*ſolùm in talem excommunicatum, ſed etiam in alios.* Et aliquot
alijs interpoſitis: *Iam verò, quòd materia huius prohibitionis gra-*
*uis ſit, & ad mortale peccatum ſufficiens, docet Diuus Thomas ſu-*
*pra, Quæſtione* 3. *& in ſolutione ad Primum ita exponit Caput Sa-*
*cris, de ijs, qui vi metuſuè cauſa, ibi, Cùm pro nullo metu debeat*
*quis mortale peccatum incurrere. Nam eſt ibi ſermo de peccato,*
*quod committit communicando cum excommunicato; quamuis in-*
*telligentia illius textus plura requirat, de quibus ſupra dictum eſt,* D
*tractando de Cenſuris in communi. Rationem attingit Diuus Tho-*
*mas ibidem ad Secundum; quia directa intentio Eccleſiæ in hac pro-*
*hibitione præcipuè eſt propter ſpiritualia. Vnde ipſe concludit, om-*
*nem Communicationem in Diuinis eſſe peccatum mortale. Eſt ergo*
*hoc multò certius in hac adminiſtratione Sacramentorum. Nam*
*inter ipſa ſpiritualia valde grauis materia eſt.*

VIII. Denique verò illud etiam huc addamus, quod idem Suarez Diſ-

putatione

putatione 12. Sectione 2. hunc in modum expreſſit: *Primò enim declarandum eſt, quid nomine Diuinorum Officiorum intelligendum ſit: & quod miniſterium circa illa prohibitum ſit ipſi excommunicato. Ad quod breuiter reſpondetur (ſecluſo Officio Miſſæ, de quo iam dictum eſt) in primis ſub eo nomine comprehendi Canonicum Officium ſeptem Horarum, quæ in Eccleſia publicè recitantur. Deinde publica Proceſſio, ad quam Populus Fidelis concurrit. Omnis item publica Oratio, aut Benedictio, aut ſimilis Cæremonia Eccleſiaſtica, quæ ex eius vel Chriſti inſtitutione ſolemniter fit, & ſemper eſt adnexa alicui Ordini Clericali, vt eſt Euangelium vel Epiſtolam ſolemniter cantare, aut proprium munus cuiuſuis inferioris* B *Ordinis ſolemniter & ex officio exercere. Item aquam, oliuas, aut candelas ſolemniter benedicere*: ET MVLTO MAGIS CHRISMA CONFICERE, VEL OLEVM SANCTVM BENEDICERE: *ET SIMILIA. Quæ probantur partim ex conſuetudine & communi ſenſu Eccleſiæ: partim ex communi interpretatione Doctorum, qui hæc omnia ſub Diuinis Officijs comprehendunt, cùm de hac materia loquuntur: partim etiam ex Iuribus, quæ omnia illa Officia Diuina, quæ ſunt propria alicuius Ordinis Clericalis, & ita inſtituta ſunt, vt à Miniſtro publico Eccleſiæ, ad illud opus conſecrato, fieri ſolemniter debeant, ſub hac voce in præſenti materia* C *comprehendunt; vt colligitur ex Capite Si quis Epiſcopus, 4. cum alijs 11. Quæſtione 3. & Cap. 1. & Cap. Is cui, de Sententia Excommunicationis in 6. & Cap. 1. De Sententia & re iudic. in 6. & ex particularibus exemplis, ſtatim tractandis, id magis conſtabit*. Hactenùs ex Franciſco Suarez. Qui quidem in hoc rerum genere, partim è Catholica Fide partim è Sacris Canonibus hauſto, & communibus Doctorum votis & iudicijs firmato, nobis inſtar omnium eſſe poteſt.

IX. Quocirca talibus etiam hiſce regulis, ex ipſo in medium allatis, ſicuti nullum nobis eſt dubium, quin Herlembaldi etiam tempore communiter inter Catholicos eæ fuerint compertæ pariter ac vſitatæ, nec ipſi etiam Herlembaldo, Sedem Apoſtolicam de his præcipuè rebus conſulere ſolito, ignoratæ; ſic etiam inde nobis facillimum iam tandem videtur ad ſuperiores Arnulphi querelas reſpondere. D

X. Non igitur Herlembaldus ignorabat, vel diffitebatur, miniſtrari poſſe Baptiſmum validum, valideque confici Chriſma poſſe ab Epiſcopo,

Epiſcopo, per Apoſtolicam Sedem Synodaliter excommunica- A
to; ſed hoc vtrumque computabat ab ipſo fieri non poſſe licitè ac ſine peccato; vìcequè verſa ne Fideles quidem poſſe licitè ac ſine peccato in Diuinis eiuſmodi Officijs cum ipſo communicare. Quocirca etiam ex officio illo ſuo, per Apoſtolicam ſibi Sedem demandato, ſæpequè ac ſæpiùs commendato, tot ac talibus occurrere malis conſtantiſſimè ſemel iterùm ac tertiò intra tres illos annos conatus eſt.

XI. An verò Chriſma etiam illud Sacrum, ab Epiſcopo illo excommunicato Metropolitanæ directum Eccleſiæ, profuderit humi coram omni Populo Herlembaldus, calcibuſquè proculcarit, vt B
Arnulphus aſſerebat; id quidem nihilo minorem videtur mereri fidem, quàm illud, quod poſtmodùm non ſine manifeſto mendacio & calumnia adiecit; quemcumque videlicet ſceleſtum, qui conſortio Herlembaldi adhæreret, charum ab ipſo inſontemquè habitum eſſe. Quod ſi fortè id etiam credere velimus; quidni pariter idipſum exiſtimemus pia ſimul & rationabili factum eſſe cauſa, quæ tunc temporis ita exigeret ad præcauendum, quod ex eius olei vſu imminebat peccatum, & ad eludendam aduerſariorum pertinaciam, qui Gothofredo Pſeudoarchiepiſcopo adhærebant, oleoquè nihilominùs illo vtendum eſ- C
ſe contendebant?

## C A P V T IL.

*Gregorius Papa Henrico Regi, tametſi ea non executo, quæ pro Eccleſia Mediolanenſi promiſerat, nouum tamen pollicetur eiuſdem Cauſæ, ſemel iam iterumquè iudicatæ, examen.*

I. QVæ pro Eccleſia Mediolanenſi promiſerit Henricus Rex, hæc iam vidimus Capite 41. Quemadmodùm ille nihilominùs adhuc ea non impleuerit, & tamen Gregorius Papa nouum illi D
offerat eius Cauſæ examen (hoc eſt, de Gothofredi ad Mediolanenſem Archiepiſcopatum promotione) hæc habemus ex ipſius Libro 2. Epiſtola 30. hoc ipſo Anno Domini Milleſimo ſeptuageſimo-quarto intra Decembris menſem data: qua nimirùm hæc etiam continentur:

II. GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei*, *Henrico Regi*

*Salutem*

*Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Quamquàm, Fili Chariſſime, Cauſam Mediolanenſis Eccleſiæ non ita compoſueris, quemadmodùm Litterarum ad nos miſſarum ſeries pollicitatioquè continebat; tamen, quia Legatis noſtris te beneuolum tractabilemquè præbuiſti, eorumquè interuentu quaſdam res Eccleſiaſticas laudabiliter correxiſti, nobis quoque per eos congruæ ſalutationis & deuotæ ſeruitutis exhibitionem tranſmiſiſti; gratanter accepimus. Sed & illud, quod piæ memoriæ Agnes, Mater tua Imperatrix Auguſta, apud nos conſtanter teſtificata eſt, ijdemquè Legati Epiſcopi atteſtati ſunt, Simoniacam ſcilicet hæreſim funditùs de Regno tuo extirpare, & inueteratum morbum fornicationis Clericorum toto adnixu corrigere velle, vehementer nos hilarauit.* A B

III. Et paulò pòſt: *Moneo autem te, Fili Excellentiſſime, & ſincera charitate hortor, vt in his rebus tales tibi conſiliarios adhibeas, qui non tua ſed te diligant, & ſaluti tuæ non lucro ſuo conſulant: quibus ſi obtemperaueris; Dominum Deum, cuius cauſam tibi ſuggerunt, protectorem propitiumquè habebis.*

IV. *Porrò de Cauſa Mediolanenſi, ſi viros religioſos & prudentes ad nos miſeris, quorum ratione & auctoritate clareſcat, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ bis Synodali iudicio firmatum poſſe aut debere mutari Decretum; iuſtis eorum conſilijs non grauabimur acquieſcere, & animum ad rectiora inclinare. Sin autem impoſſibile eſſe conſliterit; rogabo & obſecrabo Sublimitatem tuam, vt pro amore Dei & reuerentia Sancti Petri eidem Eccleſiæ ſuum ius liberè reſtituas; & tunc demùm regiam poteſtatem rectè te obtinere cognoſcas, ſi Regi Regum Chriſto ad reſtaurationem defenſionemquè Eccleſiarum ſuarum faciendam dominationis tuæ altitudinem inclinas, & verba ipſius dicentis cum timore recogitas: Ego diligentes me diligo, & honorificantes me honorifico: qui autem me contemnunt, erunt ignobiles.* C

V. Deniquè verò, alijs rurſùm interpoſitis, ad extremum Epiſtolæ ſic habetur: *Datum Romæ ſeptimo* ( hic addendum videtur *Idus* ) *Decembris, Indictione decima-tertia*. Quota nimirùm Indictio Septembri menſe proximo incœperat. D

✠

## CAPVT L. A

*Gregorius Papa in Concilio Romano Nicolaitas denuò & Simoniacos exagitat: Eccleſiarum quoque reprobat inueſtituras, quæ per Laicos fiant.*

I. PRO Concilij huius Actis, quæ ſingillatim conſcripta non extant, Baronius hinc inde multa collegit ad Annum Domini Milleſimum ſeptuageſimum-quintum, ab Articulo 10. in aliquot ſubinde alios. Celebratum autem illud fuit hebdomada prima Quadrageſimæ, à vigeſima-quinta vſque ad vigeſimam-octauam Februarij diem. B

II. Inter cætera verò deliberatum in eo rursùs fuiſſe pro Clericorum præſertim continentia, & contra Simoniacam prauitatem, præcipuo nobis teſtimonio ſit ſubſequens Gregorij Papæ Septimi Epiſtola 62. Libri 2. hunc in modum ſe habens: *Gregorius Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei, Sychardo fratri, Coepiſcopo Aquilegienſi, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Fraternitatis tuæ prudentiam latere non debet, neque Ordinis tui dignitatem ignorare oportet, quæ Statuta quæquè Decreta in peracto Concilio præterita Quadrageſima, conſilio Confratrum noſtrorum, ac totius Conuentus aſſenſu, ſequentes Sanctorum Patrum auctoritatem, ſtatuimus.* C

III. *Decreuimus enim, quòd, ſi quis eorum Ordinum, qui Sacris Altaribus adminiſtrant (Presbyter ſcilicet, Diaconus, & Subdiaconus) vxorem vel concubinam habet, niſi illis omninò dimiſſis dignam pœnitentiam agant; Sacris Altaribus penitùs adminiſtrare deſiſtant; nec aliquo Eccleſiæ Beneficio vlteriùs potiantur, ſiue potiùs fruantur.*

IV. *Qui verò Simoniacè, videlicet per interuentum pecuniæ, ſunt promoti; vt abſque vlla ſpe recuperationis deponantur, Apoſtolica cenſura ſtatuimus.* D

V. *Monemus itaque te, Dilectiſsime Frater & Coepiſcope, immò Apoſtolica tibi auctoritate præcipiendo mandamus, vt tu in Diœceſi tua Simoniacos omninò deponas: & fornicatoribus Clericis, niſi à fornicatione abſtinuerint, præfata conditione Officium & Beneficium penitùs interdicas: & Suffraganeos tuos, ſiue Litteris tuis ſiue viua voce ad te conuocatos, vt idem faciant, ſumma cum diligentia moneas. Dat. Romæ, decimo Kalendas Aprilis, Indictione decima-tertia.*

VI. Bina

VI. Bina hæc præſentis Concilij Decreta recitauerat è ſuperiori Epiſ- A
tola Baronius ad Annum eumdem 1075. cùm Articulo 16. ſic
inſuper obſeruauit: *Quæ ſancita in Synodo curauit idem Grego-
rius per vniuerſum Occidentalem Orbem promulganda: de his ſcri-
bens (vt dictum eſt) ad eumdem Aquileienſem Patriarcham, ad
Colonienſem Archiepiſcopum Sanctum Annonem Epiſtola 67. ad
Burchardum Halberſtadenſem Epiſcopum Epiſtola 66. inſuper ad
VveZelinum Archiepiſcopum Magdeburgenſem Epiſtola 68. Ipſos
verò primarios Germaniæ Archiepiſcopos, nempe Colonienſem ac
Moguntinum, ad eoſdem ſcribens* (nimirùm eodem Libro 2.
Epiſt. 67. & Libro 3. Epiſt. 4.) *mandat, ob eamdem cauſam vnà* B
*cum ſubiectis ſibi Epiſcopis Synodos congregare: &, quæ Romæ ſta-
tuta ſunt, de continentia Clericorum potiſsimùm agere, ac de cor-
rigenda Simoniaca prauitate.*

VII. Quæ cùm ita ſe habeant; ne minùs quidem ſolicitus fuiſſe cre-
dendus eſt hic ipſe Pontifex in curando, vt eadem Decreta in
Metropoli quoque Mediolanenſi ſeruarentur, & vt Herlembal-
dus nominatim omni ope hoc ipſum contenderet.

VIII. In eodem verò etiam Concilio vetitæ fuerunt Eccleſiarum inue-
ſtituræ, quæ per Laicos fiant. Cuius rei teſtis luculentiſsimus
nobis eſt Arnulphus Libro 4. Capite 3. his verbis: *Præterea Cæ-* C
*ſar Henricus, adoleſcens iam factus, vt vidit, ſuæ florem potentiæ
hoc modo paulatim areſcere; cum ſuis conſilio ſtudet huius* (Her-
lembaldi nempe) *ac Romani Præſidis obſtare conatibus. Domi-
nabatur tunc temporis Apuliæ Princeps Magnus Robertus ille Nor-
manıæ. Inter hunc & Regem dum ſub hac re diſcurrerent Nun-
cij; præfatus Papa, habita Romæ Synodo, palàm interdicit Regi
ius deinde habere aliquod in dandis Epiſcopatibus; omneſquè lai-
cas ab inueſtituris Eccleſiarum ſummouet perſonas; inſuper facto
anathemate cunctos Regis clamat Conſiliarios; idipſum Regi com-
minatus, niſi in proximo huic obediat Conſtituto.* Et hæc Arnul- D
phus proximè ante, quàm incendium deſcriberet alterum, quo
Ciuitas noſtra conflictata fuit Anno Dominicæ Natiuitatis Mil-
leſimo ſeptuageſimo-quinto, de quo mox dicetur. Hoc ipſum
verò Concilij Decretum mihi ſanè videtur à Gregorio etiam Pa-
pa indicatum in Epiſtola, quam poſtea Capite 64. Num. 6. in
medium producam.

## *CAPVT LI.* A

*Mediolanum altero rurſus incendio corripitur : & quàm præpoſterè Ioſephus Ripamontius in tempus hoc incendio poſterius conijciat Petri Damiani, Cardinalis Oſtienſis, Legationem ad noſtros Mediolanenſes.*

I. SIcut incendium illud, cuius ego mentionem faciebam Capite 31. Num. 2. Vrbem noſtram miſerandum afflixit in modum Anno Domini Milleſimo ſeptuageſimo-primo, primoquè Quadrageſimæ Sabbato; ita nihilò mitius hoc B alterum fuit, de quo nunc agimus, quodquè contigit Anno Milleſimo ſeptuageſimo-quinto, Feria Secunda Hebdomadis Authenticæ, ſiue poſtremæ Quadrageſimalis Hebdomadæ. Idipſum verò etiam luculenter ab Arnulpho Hiſtorico deſcriptum eſt Libri Quarti Capite 4. taliquè propterea eius ad verbum deſcriptione vtebar ego item in Ambroſianæ Baſilicæ ac Monaſterij Monumentis Numero 276.

II. Ibidem verò poſteritati quoque conſignabam Inſcriptionem quandam, quæ tunc in Baſilicæ Stephanianæ limine veteri, iam iamquè (vt nouæ ſtructuræ cederet) diruendo, duabus è marmore C tabulis, ad inuicem ſibi cohærentibus, ac velut vnam conflantibus, inſculpta extabat, ad eiuſdem incendij memoriam. Limen illud porrò dirutum poſtea fuit: quodquè Viris doctis & antiquitatum ſtudioſis bilem adhuc mouet, eædem illæ tabulæ (quas alioqui ſumma cura in perpetuum conſeruari, & in conſpicuo collocari oportebat loco) ita demùm neglectæ fuerunt, vt nullibi hodie appareant. Inde igitur nunc etiam mihi maior eſſe videtur neceſſitas eiuſdem Inſcriptionis hoc item loco recitandæ. Sic autem illa ſe habet:

*Flamma vorax priſci conſumpſit culmina Templi,* D
*Quod ſpecie formæ nulli cedebat in Orbe;*
*Temporibus multis fuerat decus iſtius Vrbis.*
*Omne manufactum recipit poſt tempora caſum.*
*Corruit omninò. Collapſum ſurgit ab imo;*
*Sed primi cultum nequit æquiperare ſecundum.*
*Plebs ſpectando time. Peccatum cauſa ruinæ.*
*Te prius ædifices: tunc materiale reformes.*

Sis

*Sis Templum Domini; placet illi fabrica Templi.* A
*Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo ſeptuageſimo-quinto, Indictione decima-tertia, tertio Kalendas Aprilis, Feria Secunda.* Certè autem (ſicut ego pariter eodem Num. 276. obſeruabam) Feria hæc Secunda non alia eſt, quàm quæ ab Arnulpho nominata fuit *Secunda Hebdomadis Authenticæ Feria.* Quæ quidem Anno illo ſeptuageſimo-quinto tam certò cadebat in tertium ante Kalendas Aprilis, hoc eſt in trigeſimum Martij diem, quàm certum è Paſchalibus hodiequè receptiſſimis Tabulis eſt, Dominicæ Reſurrectionis diem illo eodem Anno in Aprilis quintam incidiſſe diem. Quocirca tempus hoc ijs Verſibus ſubnotatum haud dubiè demonſtrat, quandonam Baſilica illa ſic incenſa corruerit; non autem, quando per reſtaurationem ſurrexerit ab imo. B

III. Hic autem mirari ſatis non poſſum, qua ratione Ripamontius in tempus hoc ipſo incendio poſterius coniecerit illam Petri Damiani ad noſtros Mediolanenſes Legationem, quam nos iam Capite 10. recenſuimus, iamquè factam recoluimus Capite 26. Num. 9. quamquè communi Chronographorum conſenſu conſtat Anno peractam eſſe Milleſimo quinquageſimo-nono, ſub Nicolao Papa Secundo. Id ipſum incendium ille Libro 10. C Hiſtoriarum Eccleſiæ Mediolanenſis innuerat ab ijs verbis, quæ demùm ego recitabam Capite 37. Num 3. Sic etiam pro ſuo arbitraru factum Herlembaldi deſcripſerat illud, quod Capite 48. Num. 3. deſcriptum vidimus ab Arnulpho; cùm talem illam Petri Damiani Legationem ſubtexuit non ſine pudenda veritatis hiſtoricæ perturbatione. Non enim hoc tempore (ſi Baronio credimus) viuebat Petrus ipſe Damiani; certè autem non eius in ea Legatione Collega Anſelmus, Epiſcopus tunc Lucenſis, & poſtea Pontifex Romanus, Alexander Secundus; non Nicolaus pariter Secundus; non Guido Archiepiſcopus noſter; ac D ne Hildebrandus quidem tunc erat ſolummodò Cardinalis, ſed iamdudùm Pontifex euaſerat Romanus, ac nomine Gregorius Septimus. Quid, quòd etiam ſimiliter Ripamontius poſt eiuſmodi Legationem ſuppoſuit adhuc ſuperſtitem Arialdum, qui tamen Anno Milleſimo ſexageſimo-ſexto citra omnem dubitationem necatus iam fuerat? Quid, quòd etiam inſuper huc ſubinde congeſſit Simoniacam Celſiani Abbatis Conſecratio-

nem,

nem, de qua dictum eſt Libro 2. Cap. 17. & Libro 3. Cap. 19. cui Arialdus & Herlembaldus ſeſe oppoſuerant? Sed æquum profectò erat, vt in præſenti præcipuè Cauſa hæc & alia multa contra ſuam Hiſtoriographi dignitatem peccaret Ripamontius in pœnam quoque licentiæ ac temeritatis, qua Sanctos Arialdum & Herlembaldum multis contumelijs & calumnijs iniquè onerauit. A

## CAPVT LII.

*Gregorius Papa Thedaldo, recenter ab Henrico Rege in Archiepiſcopum Mediolanenſem electo, mandat, vt ad ſe pergat Romam, electionis ſuæ rationem redditurus; interim verò Sacros Ordines non ſuſcipiat.* B

I. AN Henricus Rex tales illos Viros, religioſos & prudentes, miſerit ad Gregorium Papam, quales ipſe Capite 49. Num. 4. præſcribebat in id, vt Cauſa illa Mediolanenſis, hoc eſt Gothofredi, ad Archiepiſcopalem hanc Sedem ab ipſomet Rege iamdudùm electi, rursùm dijudicaretur: & an illa rursùm dijudicata fuerit; id mihi non ſatis exploratum videtur. Si tamen aliquid coniecturæ ſatis interim eſſe poſſit; ego quidem affirmatiuæ potiùs parti adhærerem; ac præterea, reprobatum denique tunc & reiectum eſſe Gothofredum, idcircò crederem, quia Rex alterum ei poſtea ſubſtituit, perinde ac ſi Cauſa eius iam planè deſperata eſſet; eumdemquè ſubſtituit, contraquàm per Litteras & Legatos ipſimet Pontifici paulò ante promiſiſſet; vt ſequenti Capite videbimus. Hæc enim noua Regis promiſſio ſicuti nouam ſine dubio ſupponit ſui cauſam; ita nouum ſupponere mihi quidem videtur examen, quo tandem Gothofredi Cauſa recenter coram Pontifice Romano diſcuſſa fuerit, & omninò damnata. C D

II. Sed ſiue Viros illos Henricus miſerit, ſiue ſecùs; ſanè quidem hoc ipſo Anno Milleſimo ſeptuageſimo-quinto, priuſquàm Herlembaldus interficeretur (licet alijs Rerum Scriptoribus aliter viſum fuerit, vt alio poſtea in loco dicemus) Thedaldum Gothofredo ſubintruſit. Hoc enim apertè conſtat è proxima Gregorij Papæ ad eumdem Thedaldum Epiſtola; cuius etiam occaſione recolendum

A lendum planè nobis eſt probatiſſimum illud Baronij pronunciatum ad Annum 1074. Art. 61. cùm pariter de Pontificis huius Gregorij Epiſtolis loqueretur. *Epiſtolaris auctoritas* (inquit) *in his præſertim, quæ ad conſignanda certa tempora ſpectant, ſententiâ omnium, omnibus eſt præferenda.* A

III. Eiuſmodi verò Epiſtola hæc eſt, & Libri Tertij octaua: GREGORIVS EPISCOPVS, *Seruus Seruorum Dei, Tedaldo, Mediolanenſi Clerico, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem, ſi obedierit. Nunciatum nobis eſt à quibuſdam noſtris fidelibus, & tuis amicis, te amicitiam noſtram cupere & expetere: quam nos quidem, etiam non quæſitam, gratìs offerimus: quæſitam verò, promptiſſimè damus; ſi in his, quæ Dei ſunt, noſtris monitis, immò diuinæ voluntati, ad iuſtitiam te acquieſcere velle cognouerimus. In Cauſa etenim, quam ſuſcepiſſe videris, & noſtræ ſolicitudini neceſsitatem grauioris ſarcinæ ſuperaddidiſti; & te ipſum, quibus non oportuit, implicuiſti; in qua nimirùm Cauſa, ſicut periculoſum nobis eſſet aliquid vltra limitem æquitatis proſequi; ita etiam iuſtitiæ regulas declinare, & ſub ſilentio diſſimulare, putamus.* B

IV. *Non autem prudentiam tuam ignorare credimus, quòd ad Epiſcopalem Cathedram, in qua poſitus es, ante te alia, quæ adhuc ſuperſtes eſt, fuerit aſſignata perſona: quæ niſi iuſtis rationibus priùs excepta fuerit; legitimum in ea tibi, aut cuiquam, patere locum, nec Canonica nec Apoſtolica Cenſura permittit. Nam de illo quid dicendum nobis eſt, qui, dum honorem eiuſdem Sedis nefandis affectaret deſiderijs, quod iuſtitia ſibi denegauit, ſacrilega vi & armis inuadere ac diripere non pepercit* (& hic tacitè carpitur Gothofredus) *quem ambitionis culpa, quam deſerere noluit, vſque ad iuſtam damnationis ſuæ perniciem traxit? De eo nobis eſt ſermo, qui nobiſcum eſt* (videlicet de Athone) *quem electum in eadem Eccleſia certè cognouimus; ſed, cur reprobari debeat, nulla adhuc deprehendere potuimus ratione.* C D

V. *Quapropter (teſte conſcientia noſtra) ſincero charitatis affectu te admonemus: vt, ſi Eccleſiam diligis, & te pariter atque illam à periculo confuſionis eripere cupis; ad proximam Synodum, quam in prima hebdomada venturæ Quadrageſimæ (Deo annuente) celebrare diſpoſuimus; vel, ſi malles, ante Synodum, Apoſtolica Limina & noſtram requiras præſentiam; quatenùs de introitu tuo, priuſquàm te grauiùs præcipites, æqua (opitulante Deo) examinatione peracta,*

*quod*

*quod tu ipſe tutum tibi fore cognoueris, abſque omni impedimento* A
*& periculo animæ tuæ ſequi ac tenere poſſis.*

VI. *Nec dubitandum tibi credas, ſi huic, qui nobiſcum eſt* (nempe Athoni) *dictante iuſtitia ceſſandum eſſe perſpexerimus, quin in promotione tua beniuola conceſſione, ad honorem Omnipotentis Dei & Beati Ambroſij, aſſenſum pariter præbeamus & ſtudium.*

VII. *Ad tollendam verò totius periculi ſuſpicionem, ſecuritatem tibi per manus filiarum noſtrarum, Beatricis & eius filiæ Mathildis, promittimus, & indubitanter damus; vt nihil tibi, vel his qui in tuo comitatu fuerint, contrarietatis à nobis vel noſtris inferatur; ſed in*
*rebus & perſonis veſtris, tam in veniendo quàm redeundo, tuti pe-* B
*nitùs & illæſi (Deo cuſtodiente) maneatis; oſtenſa ſolummodò & confirmata eâ, quæ in Cauſa tua fuerit tenenda, ſententiâ.*

VIII. *Interim quoque ex parte Dei Omnipotentis, & Apoſtolicâ Beati Petri auctoritate, tibi præcipimus, vt nullum de Sacris Ordinibus gradum recipere præſumas: ſciens, quoniam, ſi non obediens nobis modò non credideris, pœnitebit te quandoque; cùm tuamet præcipitatione te eò merſum videbis, vnde, cùm volueris, ſaluum te eripere non poſſis.*

IX. *Si qui igitur, non percipientes ea quæ Dei ſunt, aliter tibi ſuggerere*
*& perſuadere incipiant, oſtentantes, quanta tibi ſint in Rege præ-* C
*ſidia, quanta in tua nobilitate potentia, quanta etiam in Ciuibus tuis adiutoria; tutum tibi illis credere non exiſtimes; conſiderans, quid Scriptura dicat: Maledictus homo, qui ſpem ſuam ponit in homine. Atque hoc in animo gerens, quòd Regum & Imperatorum virtus, & vniuerſa mortalium conamina, contra Apoſtolica iura & omnipotentiam Summi Dei, quaſi fauilla computentur & palea; nullius vnquàm inſtinctu vel fiducia, aduersùs Diuinam & Apoſtolicam auctoritatem obſtinata temeritate te rebellem & pertinacem fieri libeat.*

X. *Dat. Romæ, ſeptimo Idus Septembris* (aliter *Decembris*, vt editio Se- D
uerini Binij habet in ora marginali) *Indictione decima-quarta*. E qua ſcilicet Indictione perſpicuum eſt, hanc Epiſtolam non alio Chriſti datam eſſe Anno, quàm ſeptuageſimo-quinto ſupra Milleſimum; cuius vtique Anni menſe Septembri eadem Indictio cœpta fuit.

XI. Quod igitur ad veram huius Anni ſupputationem attinet; nihil profectò intereſt, quòd legamus *ſeptimo Idus Septembris*, vel

*Decembris.*

*Decembris*. Atqui, quòd attinet ad veritatem menſis, quo eadem data fuit Epiſtola; ego ſanè contendo legendum eſſe, non *Decembris*, ſed *Septembris*; & hac ducor ratione; quia ſubſequens Epiſtola, quam proximo Capite producam, ſine omni ambiguitate legitur data *ſexto Idus Octobris, Indictione decimaquarta*; & tamen abſque dubio data fuit poſt Epiſtolam præſentem, vt ex ipſius textu liquidiſſimè mox dignoſcemus. Niſi fortè coniectare potiùs velimus, præſentem fuiſſe datam *ſeptimo Idus Octobris*, hoc eſt pridie quàm ſubſequens illa daretur. Poſteaquàm enim Tedaldus à Pontifice hunc in modum monitus fuiſſet; certè neceſſarium videbatur, vt Epiſcopi quoque illi Suffraganei quantocyùs in eum monerentur modum, quem mox videbimus; & ad eum præſertim finem, ne Tedaldus ab ipſis conſecraretur; quemadmodùm eiuſdem Regis Henrici mandato conſecratus olim fuerat Gothofredus. Sic igitur è certitudine temporis, quo moniti ſupponuntur ij Epiſcopi, colligere fortaſsè licet, quemadmodùm Tedaldus item, non ante menſem fermè integrum, ſed præcedenti tantùm die monitus fuiſſet. A B

## *CAPVT LIII.* C

*Gregorius Papa nonnullis Epiſcopis, Eccleſiæ Mediolanenſis Suffraganeis, ſignificat, quæ proximè ſcripſerit ad Thedaldum: eiſquè præcipit, ne ipſum ad Sacros Ordines promoueant.*

I. Eiuſdem Regiſtri Gregoriani Libro Tertio hæc etiam continetur Epiſtola, numeroquè nona eſt, & ita prorsùs ſe habens: *Gregorius Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei, Fratribus & Epiſcopis Corpiſcopis, Gregorio Vercellenſi, Cuniberto Taurinenſi, Ingoni Aſtenſi, Ogerio Iporegienſi,* D *Opizoni Laudenſi, & cæteris Suffraganeis Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ, obedientibus Apoſtolicæ Sedi, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Notum vobis eſſe volumus de Tedaldo, Mediolanenſi Clerico (quèm Rex, præterquam nobis Litteris ac Legatorum verbis promiſerit, in Mediolanenſem Eccleſiam poſuit) quòd Epiſcopalem Sedem, ad quam alia priùs, quæ adhuc ſuperſtes eſt, fuerit aſſignata perſona* (nempe Atho) *non ſatis ordinatè ſuſcepiſſe videtur.*

*detur. Quod cùm per quoſdam fideles noſtros noſtram requireret* A
*amicitiam; ſcripſimus ei, hoc nos multùm velle & cupere; atque*
*eo pacto facillimùm conuenire poſſe, ſi, requiſitis Apoſtolorum Liminibus & noſtra præſentia, cauſam promotionis ſuæ puram atque probabilem oſtendere vellet & poſſet. Ad quod exequendum amicabiliter eum vocauimus: & præfixo ſibi termino ad proximam Synodum venturæ Quadrageſimæ, aut, ſi malit, ante Synodum, firmam ſecuritatem veniendi ad nos & redeundi ex noſtra parte promiſimus, & dare parati ſumus.*

II. *Inſuper etiam, ne interim aliquem de Sacris Ordinibus gradum recipiat, Apoſtolica ei auctoritate interdiximus. Quod item & vobis,* B
*per eam quam Beato Petro Apoſtolorum Principi debetis obedientiam, & ex noſtra quam per illum licet indigni ſuſcepimus Apoſtolica auctoritate, interdicimus; vt nullus veſtrum ad promotionem alicuius Ordinis manum ei præſumat imponere, donec, oblata nobis ſua præſentia, quid de introitu eius iudicandum & ſtatuendum ſit, ſincera (Deo adiuuante) poſſimus examinatione diſcernere. Quod quidem cum communi conſilio & coniuncta omnium veſtrum diſcretione ac iudicio fieri permaximè cupimus; ſi vel illius Eccleſiæ cura, vel reſpectus Apoſtolicæ reuerentiæ, aut noſtra charitas vos ad hoc negotium conuocare poterit.* C

III. *Videte igitur, ne quis veſtrum, contempto hoc interdictu, ad illius pariter & ſui periculum manum extendat. Quoniam ſi quis (quod non credimus) in ea præſumptione ſe occupare proruperit; continuò ſe à gratia Beati Petri, & noſtra dilectione, necnon à communione Sacri Corporis & Sanguinis Domini ſequeſtratum eſſe cognoſcat. Verùm id agite: id, ſi Dominum diligitis, efficere procurate, vt frater ille, dum poteſt, dum locum habet, ſibi & Eccleſiæ conſulat, paci veſtræ & ſaluti tantæ multitudinis hominum penè periclitantium prouideat; nec, ſuamet præcipitatione caſum petens, multos ſecum ad commune periculum trahat. In quo nunc apparebit,* D
*quis ſit Paſtor in vobis, iniquitati apertè reſiſtens; quis ſit fur, ſimulationem faciens; quis latro, manifeſtè iuſtitiæ contradicens. Conſiderate ergo, quomodo cautè ambuletis. Quia, ſicut durum eſt contra ſtimulum calcitrare; ſic aſperum eſt Sanctæ* Romanæ *Eccleſiæ contraire; cui vni, tamquàm Matri, ſemper oportet obedire.* **Dat.** *Romæ, ſexto Idus Octobris, Indictione decima-quarta.*

CAPVT.

## *CAPVT LIV.* A

*Thedaldus ab ijs conſecratur Epiſcopis , aduersùs Apoſtolicam Sedem contumacibus ; à quibus conſecratus olim fuerat Gothofredus .*

I. HOC habemus ex Arnulphi Libro 4. Cap. 9. *Prædictis igitur rebus* ( inquit ille de rebus,ad controuerſiam inter Herlembaldum eiuſquè aduerſarios pertinentibus ) *non planè compoſitis, ſed inuolutis , vtcumque ſæpè iamdicti Mediolanenſes pro petendo Epiſcopo vltra Montes Hen-* B *rico Regi Legationem dirigunt, mandantes Herlembaldicæ interfectionis triumphum* ( qua tamen in re fallitur Arnulphus , vt Capite 52. Num. 2. innuebam , & vt apertiùs oſtendam infra Cap. 58.) *Quo cognito, lætatus eſt Rex ille ſupra modum; quemcumque vellent, ſe daturum promittens Epiſcopum.*

II. Et paulò pòſt : *Interea Legatis Mediolanenſium ex Clero & Populo re præfata Regem adeuntibus , Tedaldus quidam, Mediolanenſis Eccleſiæ Subdiaconus, Cappella militabat in regia . Cui Rex, multa voluens ac reuoluens conſilia, proprio tandem indulgens arbitrio, Ambroſianum tradidit Præſulatum ; poſthabita Gothofredi illius ,* C *adhuc viuentis, inueſtitura & vnctione ; Athonis quoque , Romæ tunc degentis , electione . Quid plura ? Suſceptus eſt Præſul ille à Clero & Populo , vtpote nouarum rerum vſu ............ auido . Cui etiam Suffraganei ijdem ipſi, qui Gothofredum conſecrauerant , manum benedictionis imponunt . Res quidem mira , & cunctis retrò temporibus inaudita ; vt , Vrbis vnius vno electo Antiſtite , ſacrato altero , vno eodemquè tempore tertius erumpat .* Hactenùs Arnulphus : & hæc ab ipſo narrata priùs , quàm ſceleſtiſſimum illud facinus Centij ( aliter Cincij , vel Cinthij, aut Quintij) Præfecti Romani , facinus contra Pontificem ip- D ſum Gregorium , ipſamet Dominicæ Natiuitatis nocte inter Miſſarum ſolemnia perpetratum : quod ad finem huius Anni Milleſimi ſeptuageſimi-quinti perpetratum eſſe conſtat , vt benè Baronius obſeruauit ad eumdem Annum Articulo 33.

## *CAPVT LV.* A

*Gregorius Papa de Rege conqueritur Henrico, quod promiſſa pro Mediolanenſi Eccleſia non impleuerit.*

I. A Calendis Ianuarij nos Annum nunc ingredimur
Chriſti Milleſimum ſeptuageſimum-ſextum:
primoquè ſtatim ingreſſu varias nanciſcimur
Gregorij Papæ de Rege Henrico querelas, Libri
Tertij Epiſtola decima comprehenſas: &
eam nominatim, quam præſenti præfiximus
Capiti. B

II. Epiſtola ipſa hunc in modum eſt inſcripta: *Gregorius Epiſcopus,
Seruus Seruorum Dei, Henrico Regi Salutem & Apoſtolicam
Benedictionem; ſi tamen Apoſtolicæ Sedi, vt Chriſtianum decet
Regem, obedierit.* In primis verò illum arguit, quòd ſcienter
cum hominibus à Sede Apoſtolica Synodaliter excommunicatis,
atque adeò vitandis, communicare dicatur. Tum verò
ſic etiam conqueritur: *De cætero mirum nobis valde videtur,
quòd totiens nobis tam deuotas Epiſtolas & tantam humilitatem
tuæ Celſitudinis per Legatorum tuorum verba tranſmittis: filium te
Sanctæ Matris Eccleſiæ & noſtrum vocas, in fide ſubiectum, in* C
*dilectione vnicum, in deuotione præcipuum: poſtremò cum omni
affectu dulcedinis & reuerentiæ te commendas; re tamen & factis
aſperrimum, Canonicis atque Apoſtolicis Decretis, in his quæ Eccleſiaſtica
religio maximè poſcit, te contrarium oſtendis. Nam, vt
de reliquis taceamus, quod de Cauſa Mediolanenſi per Matrem
tuam, per Confratres noſtros Epiſcopos, quos ad te miſimus, nobis
promiſeras, qualiter attenderis, aut quo animo promiſeris, ipſa res
indicat* (quippecùm abdicato Pſeudoarchiepiſcopo Gothofredo
Henricus alterum ei, nempe Tedaldum, recenter ſubſtituiſſet;
eumquè pariter ab Epiſcopis contra Sedem Apoſtolicam D
contumacibus conſecrari mandaſſet) *& nunc quidem, vt vulnus
vulneri infligeres, contra Statuta Apoſtolicæ Sedis tradidiſti
Firmanam & Spoletanam Eccleſiam (ſi tamen ab homine tradi
Eccleſia aut donari poteſt) quibuſdam perſonis, nobis etiam ignotis;
quibus non licet, niſi probatis & ante benè cognitis, regulariter manum
imponere.* En igitur etiam, quanti Sapientiſſimus & Sanctiſſimus
hic Pontifex eam æſtimaret Eccleſiæ Mediolanenſis

Cauſam;

Cauſam; in qua,tradendum ei,non ab Imperatore, ſed ab Apoſtolica Sede Archiepiſcopum eſſe contendebat. Tanti nimirùm eam æſtimauit; vt, quiſquis ei aduerſaretur, ſimul etiam cenſendus eſſet Canonicis atque Apoſtolicis aduerſari Decretis; & in re quidem tanti ponderis & momenti, quanta debet ac ſolet eſſe illa, quam religio & diſciplina Eccleſiaſtica maximè depoſcit. A

III. Quocirca etiam veriſsimè aptiſsimeque in eamdem Cauſam, tam ex parte Sedis Apoſtolicæ à qua ſemel iterùm ac tertiò iudicata iam fuerat, quàm ex parte promiſſionis regiæ pro ea factæ, argumenta congruunt illa, quæ mox ibidem adijciuntur. *Decuerat* (ſubdit Gregorius) *regiam dignitatem tuam, cùm te filium Eccleſiæ confiteris, honorabiliùs Magiſtrum Eccleſiæ, hoc eſt Beatum Petrum Apoſtolorum Principem, intueri: cui (ſi de Dominicis Ouibus es) Dominica voce & poteſtate ad paſcendum traditus es; dicente ſibi Chriſto, Petre paſce Oues meas; & iterùm, Tibi traditæ ſunt claues Regni Cælorum; & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis; & Quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis. In cuius Sede & Apoſtolica adminiſtratione dum nos, qualeſcumque peccatores & indigni, diuina diſpoſitione vicem ſuæ poteſtatis gerimus; profectò, quicquid ad nos vel per ſcripta aut nudis verbis miſeris, ipſe recipit; & dum nos aut elementa percurrimus, aut loquentium voces auſcultamus, ipſe, ex quo corde mandata prodierint, ſubtili inſpectione diſcernit. Quapropter prouidendum eſſet tuæ Celſitudini, ne erga Sedem Apoſtolicam in verbis & Legationibus tuis aliqua inueniretur diſcrepantia voluntatis: & in his, per quæ Chriſtiana Fides & ſtatus Eccleſiæ ad æternam ſalutem maximè proficit, non nobis ſed Deo Omnipotenti debitam non denegares reuerentiam; quamquàm Apoſtolis eorumque Succeſſoribus Dominus dicere dignatus ſit: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Scimus enim, quoniam, qui fidelem Deo obedientiam exhibere non renuit, in his quæ Sanctorum Patrum Statuta ſequentes dixerimus, veluti ſi ab ore ipſius Apoſtoli accepiſſet, noſtra monita ſeruare non ſpernit: Nam ſi propter reuerentiam Cathedræ Moyſi Dominus præcepit Apoſtolis, vt, quæcumque Scribæ & Phariſæi ſuper eam ſedentes dicerent, obſeruarent; non dubium eſt, quin Apoſtolica & Euangelica doctrina, cuius ſedes & fundamentum Chriſtus eſt, cum omni*

ni

*ni veneratione à Fidelibus, per eos qui in miniſterium prædicationis* A
*electi ſunt, ſuſcipienda & tenenda ſit.*

IV. Reliquum Epiſtolæ totum eſt in conquerendo prætereà, quòd Henricus ſuperioris contempſerit Synodi Romanæ Decreta, quibus Simoniaca labes & Clericorum incontinentia denuò vetabatur: & in exhortando eum ad pœnitentiam, & ad obedientiam Sedi Apoſtolicæ debitam. Denique verò ſic etiam concluditur: *Dat. Romæ, ſexto Idus Ianuarij, Indictione decimaquarta*; ſuperiori nempe Septembris menſe inchoata; & proinde Anno Domini Milleſimo ſeptuageſimo-ſexto; ſi tamen eum computemus à vigeſima-quinta Decembris die, Domini- B
cæ Natiuitati ſacra; vel à Calendis Ianuarijs. Etenim à vigeſima-quinta Martij die, qua Chriſti recolitur Incarnatio, Annus adhuc ſeptuageſimus-quintus perſeuerabat vſque ad vigeſimam-quintam ſubſequentis Martij diem.

## *CAPVT LVI.*

*Thedaldus Pſeudoarchiepiſcopus, ab officio Epiſcopali per Gregorium Papam ſuſpenſus, contra ipſum coniurat vnà cum Guiberto Rauennate Archiepiſcopo, & aliquot alijs Epiſcopis.*

C

I. Teſtimonio in primis Baronij Cardinalis id confirmari placet. Anno enim 1075. Art. 33. ſic ille ſummatim narrabat: *Anni huius parte poſtrema, nempe Natali die Redemptoris ( à quo aliqui Chronographorum auſpicantur Annum) contigit, Gregorium, Romanum Pontificem, aggreſſione ſacrilegi hominis, Cincij, Romani Præfecti, inuadi, dum Sacra ageret: captiuumquè duci, in carcereque teneri, quouſque per Populum tumultuantem, & tam immane ſcelus vlciſci paratum, eriperetur,* D
*atque priſtinæ redderetur libertati. Hæc autem quomodo ſe habuerint, à Lamberto ſic accipe.* Ipſamet igitur Lamberti Schafnaburgenſis verba hoc inſerit loco, ex ipſius Hiſtorijs ad Annum 1076. deprompta. Tum verò ſic inſuper addit: *Hucuſque Lambertus. Eadem Guillelmus Bibliothecarius in Vita Gregorij. Vbi ait, omnia iſta Guiberti, antiqui Schiſmatici, poſtea verò Epiſcopi Rauennatis, eſſe artibus concinnata. Quippe qui Romæ cum cæteris Epiſcopis in Concilio* ( ſuperiori nempe Quadrageſima celebrato)

*ſederit;*

*ſederit ; nec , Synodo abſoluta , ab Vrbe diſceſſerit ; ſed , Papatus cu-* A
*pidus , inde remouere Gregorium niſus fuerit ; atque ad rem perfi-*
*ciendam eumdem Cincium , ſiue Quintium , vel Cinthium , Stepha-*
*ni Præfecti filium , ſollicitauerit* ( per ſacrilegum nempe facinus
illud , quod proximè vidimus ) *ſed cùm , Romano Populo vindi-*
*ce , tantum ſcelus irritum redditum eſſet ; eumdem Guibertum, ac-*
*cepta à Papa licentia , Rauennam iſſe ; ibiquè conſpirationem re-*
*bellium Pontificum Longobardorum , Thedaldi Mediolanenſis Ar-*
*chiepiſcopi , à Gregorio Papa ſuſpenſi , & aliorum eadem ſententia*
*mulctatorum , machinatum eſſe , quos ſemper idem Gregorius eſt*
*paſſus infeſtos , & Sedi Apoſtolicæ contumaces . Inſuper , opera eiuſ-* B
*dem Guiberti Hugonem Candidum , Cardinalem , eumquè collegam*
*olim in ſchiſmate Cadaloico , receptum verò ab Eccleſia miſericor-*
*diter , rursùm ab eodem Gregorio diuulſiſſe , atque Regi Henrico*
*aduersùs Pontificem coniungere ſtuduiſſe . Iſta omnia hoc Anno*
*Guibertum , Rauennatem Antiſtitem , machinatum eſſe, eadem Ac-*
*ta Pontificia Guillelmi ſignificant .* Hactenùs Baronius .

II. Ad eamdem verò coniurationem illa etiam pertinent , quæ Gregorius ipſe Pontifex Libro 3 . Epiſtola 14 . itidemquè decima-quarta Indictione , ab Vrbe Roma ſcripſit Dominico Patriarchæ Gradenſi . Paulò poſt initium enim hæc ibi ſcribebat : *Quoniam* C
*verò mirari ac nimiùm te dolere dixiſti , quòd Longobardi atque non-*
*nulli Teutonicorum Epiſcopi in nos inſaniendo tam vehementi odio in-*
*ardeſcunt ; nullius culpæ conſcientia inde redarguit . Sed ſcimus, ob nil*
*aliud eos illo conamine niti ; niſi quòd , ex præcepto Dei atque San-*
*ctorum Prædeceſſorum noſtrorum , illorum peruerſitatibus obuiamus ;*
*eoſquè ad rectum tramitem iuſtitiæ , ſi poſſibile eſſet , ex debito ſol-*
*licitudinis , diuina diſpenſatione nobis ſuperimpoſitæ , procuramus .*

## *CAPVT LVII.*

*Thedaldus Pſeudoarchiepiſcopus , vnà cum Henrico Rege ipſiuſquè fautoribus , contra Gregorium Papam coniuratis , ab eodem Papa in Synodo Romana excommunicatur .* D

I. SVperioris coniurationis præcox & primarius fœtus hoc monſtrum fuit , vt Henricus Rex , vnà cum pluribus fautoribus ſuis , in Pſeudo-ſynodo VVormatienſi hanc auſus fuerit Sententiam contra Gregorium Papam promulgare : *Quòd Papa eſſe non poſſit : nec vllam ,*
*iuxta*

*iuxta priuilegium Romanæ Sedis, ligandi aut ſoluendi poteſtatem* A
*habeat, vel aliquando habuerit.*

II. Henricus nimirùm, propter victoriam de Saxonibus Anno ſupe-
riori reportatam factus audacior, eò apertiùs detrectabat ea exe-
qui, quæ Legatis Apoſtolicis promiſerat: eoquè licentiùs reci-
piebat ac fouebat à Sede Apoſtolica excommunicatos. Cùm
igitur talem ac tantum eiuſmodi contemptum Gregorius non
vltra tolerandum eſſe iudicaret; id conſilij cepit, vt eumdem
Regem, ad cauſam dicendam, euocaret Romam, & ad Syno-
dum illic in proxima Quadrageſima conuocandam.

III. Quæ porrò ſubſecuta inde fuerint, fideliſſimus eius Sæculi Scrip- B
tor, Lambertus Schafnaburgenſis in hunc ipſum Annum 1076.
nobis enarret. A Pontificijs enim exorſus Legatis, ad Regem
miſſis, hæc habet: *Aderant præterea Hildebrandi Papæ Legati,*
*denunciantes Regi, vt ſecunda feria ſecundæ hebdomadæ in Qua-*
*drageſima ad Synodum Romæ occurreret, de criminibus, quæ obij-*
*cerentur, cauſam dicturus: alioquin ſciret, ſe abſque omni procra-*
*ſtinatione eodem die de Corpore Sanctæ Eccleſiæ Apoſtolico anathe-*
*mate abſcindendum eſſe.*

IV. Dehinc verò: *Legatio Papæ ſcilicet vehementer Regem permouit:*
*ſtatimquè abiectis cum graui contumelia Legatis, omnes, qui in* C
*Regno ſuo eſſent, Epiſcopos & Abbates Vvormatiæ Dominica Sep-*
*tuageſimæ conuenire præcipit, tractare cum eis volens ad deponen-*
*dum Romanum Pontificem; ſi qua ſibi via, ſi qua ratio pateret;*
*in hoc cardine totam verti ratus ſalutem ſuam, & Regni ſtabilita-*
*tem, ſi is non eſſet Epiſcopus.*

V. Ad hæc: *Rex ſtatuta die venit Vvormatiam: venerunt etiam Epiſ-*
*copi & Abbates ampliſſimo numero. Commodè quoque conficien-*
*dis tantis rebus interuenit quidam ex Cardinalibus Romanis Hugo,*
*cognomento Blancus* (aliter Candidus, ille ſcilicet, quem ſibi ſo-
cium coniurationis aſciuerat Guibertus Archiepiſcopus Rauen- D
nas, vt proximo Capite dictum eſt) *quem ante paucos dies, prop-*
*ter ineptiam eius & mores inconditos, Papa de ſtatione ſua amo-*
*uerat: deferens ſecum de Vita & inſtitutione Papæ ſcenicis figmen-*
*tis conſimilem tragœdiam: ſcilicet, vnde oriundus, qualiter ab ine-*
*unte ætate conuerſatus, quàm peruerſo ordine Sedem Apoſtolicam*
*occupauerit: quæ ante Epiſcopatum, quæ poſt acceptum Epiſcopa-*
*tum, memoratu quoque incredibilia, flagitia commiſerit. Huius*
*auctoritatem,*

*auctoritatem, tamquàm diuinitùs ſibi deſtinatam, gratiſſimè amplexati, & promptiſſimè ſecuti, ſententiam promulgarunt: Quòd Papa eſſe non poſſit: nec vllam, iuxta priuilegium Romanæ Sedis, ligandi aut ſoluendi poteſtatem habeat, vel aliquando habuerit, qui tantis vitam probris ac criminibus commaculauerit.* A

VI. Et paulò pòſt ita denique concludit: *Igitur ex nomine omnium, qui conuenerant, Epiſcoporum & Abbatum, plenæ contumeliarum Litteræ Romam deſtinantur: quibus denuncietur Romano Pontifici, vt Pontificatu, quem contra Eccleſiaſticas leges vſurpaſſet, ſe abdicet: ſciatquè, poſt eam diem, quidquid agat iubeat decernat, irritum haberi.* Talia de hoc Conciliabulo Lambertùs. B

VII. Quoniam verò pluſculum aliquid, & ad inſtituti præſentis rationem propriè ſpectans, habemus è Sancti Anſelmi, Lucenſis Epiſcopi, Ciuiſquè noſtri, Vita, quam eius Pœnitentiarius litterarum monimentis conſignauit; propterea illud item hoc loco adijciamus. Eſt autem huiuſmodi: *Inaudita deinde audacia, & admirabili ſuperbia, ſui facinoris compotes, nec dicendos, colligit* (Henricus Rex) *Epiſcopos in Ciuitatem Vvormatiam: habitoquè Conciliabulo proſcripſerunt Primæ Sedis Epiſcopum: quod à Sæculis non eſt auditum. Fecit deinceps Legationem in Italiam* (quæ nimirùm Legatio propriè ad noſtrum Pſeudoarchiepiſcopum Thedaldum, & ad reliquos Epiſcopos Longobardos, cum ipſo coniuratos, pertinet) *eamdem affirmans præſumptionem per Schiſmaticos ſibi Complices Epiſcopos. Huius Legationis lator fuit quidam Eberardus* (aliter Rolandus) *nomine, Teutonicus natione, filius ſæculi, hamus Diaboli, inuentor omnis ferè mendacij. Hic circuiuit & ambulauit terram, vt ſchiſmatica omnes inficeret contagione. Multos certè, qui propter interdictum Domini Papæ Diuino ab Officio ceſſauerant, ipſe interdictus, & vinculo perditionis ligatus, inaudita temeritate ac ſuperbia reconciliauit: & ex parte domini ſui Regis, vt Officium more priori celebrarent, indixit.* Et hæc nobis in præſenti de Conciliabulo illo ſufficiant. C D

VIII. Nunc ex aduerſo videamus, quomodo Gregorius in tanto Pontificatus ſui diſcrimine ſe geſſerit. Ac Lambertus quidem ſuperiori eo loco ita proſequebatur: *Legati, vt iuſſum fuerat* (ab eo Conciliabulo) *ſummo conatu iter accelerantes, pridie quàm à Papa Romæ Synodus indicta celebraretur* (indicta verò erat in Feriam ſecundam Quadrageſimalis Hebdomadæ ſecundæ, vt

idemmet Lambertus ſuperiore Numero 3. nobis affirmabat) *Romam ingreſsi, Litteras tradunt. Tunc cæteram Legationem, ſicut in mandatis habebant, verbo non minùs contumelioſo quàm ſcripto, exequuntur. Papa, nihil permotus atrocitate nuncij, poſtera die, cùm Clerus & Populus ad Synodum frequens confluxiſſet; in auribus omnium Litteras recitari fecit; & ſic cunctis, qui conuenerant, Epiſcopis id fieri decernentibus, Regem excommunicat, & cum eo Archiepiſcopum Maguntinum Sigefridum, Epiſcopum Traiectenſem Vuilelmum, Epiſcopum Babenbergenſem Robertum. Cæteris, qui conſpirationis huius participes extiterant* (inter quos Thedaldum item Pſeudoarchiepiſcopum noſtrum computari par eſt) *diem ſtatuit, qua, niſi Romam præſentati cauſam dicerent noua huius & inuſitata contra Sedem Apoſtolicam rebellionis, ſimilem cæteris excommunicationis ſententiam ſortirentur.* A B

IX. Sed & Auctor ille, qui Sancti Anſelmi Lucenſis Epiſcopi Vitam ſcripſit, ſic etiam ipſe proſequebatur: *Cùm igitur diſſimulare ampliùs tanti facinoris malitiam non poſſet Apoſtolicus* (Gregorius) *excommunicauit tam ipſum* (Regem) *quàm omnes ipſius fautores; atque omnem ſibi regiam dignitatem interdixit; & obligatos ſibi ſacramentis ab omni debito fidelitatis abſoluit. Quia (quod verecundum etiam eſt dicere) præter hæreticam, quam prælibauimus, culpam, aderant in Sancto Concilio* (Romæ tunc congregato) *Nuncij illius* (nempe Regis) *ſic audentes latrare: Præcipit Dominus noſter Rex, vt Sedem Apoſtolicam, Papatum, vtpote ſuum, dimittas, nec locum hunc Sanctum vltra impedias. Proh nefas! & ò execrabilem hominis temeritatem! En ſuum eſſe dixit, quod ſolùm Apoſtolorum Principi Petro Chriſtus Dominus commiſit: nec ſubitò quidem commiſit; verùm tertiò, antequàm committeret, interrogauit: Simon* (inquiens) *amas me? Paſce Oues meas. Non Regem, non Imperatorem, aut aliquam Chriſtianæ profeſſionis conditionem excepit, præter eam, qui ſuam ſe eſſe Ouem negauerit. Igitur, quem ſui ſolius iudicio Dominus reſeruauit, hic non ſolùm iudicare, verùm etiam ſuum dicere, &, quantum in ſe eſt, audet damnare. Quam ob cauſam omnis illa Sancta Synodus, iure indignata, anathema illi conclamat, atque confirmat.* C D

X. Cæterùm inter Acta Concilij huius Romani ſeparatim extat etiam Excommunicatio Epiſcoporum Longobardiæ, his concepta verbis:

verbis: *Epiſcopos Longobardiæ, qui, ſpreta Canonica & Apoſtolica auctoritate, contra Beatum Petrum, Apoſtolorum Principem* (videlicet in Gregorio, eius Succeſſore) *ſacramento conſpirauerunt* (è quorum numero citra dubium erat Pſeudoarchiepiſcopus item noſter Thedaldus) *auctoritate eiuſdem Beati Petri ab omni Epiſcopali Officio ſuſpendimus, & à Communione Sanctæ Eccleſiæ ſeparamus.* A

XI. Placet autem huc etiam illud attexere, quod Baronius ad hunc pariter Annum 1076. his obſeruauit verbis Articulo 34. *Habet Guillelmus Bibliothecarius in Vita Gregorij Papæ, poſt anathema in Regem & ei inhærentes, in Synodo Romana hoc Anno prolatum, conueniſſe Papiæ Schiſmaticos Epiſcopos, & idem anathema in Romanum Pontificem retorſiſſe. Principes autem, quid facturi eſſent, ancipites, conſuluiſſe Peritos, num eſſet habendus pro excommunicato Pontifex. Reſponſum verò ab illis ſcitè atque prudenter: Romanum Pontificem à nemine iudicandum; ob idquè neque excommunicari ab aliquo poſſe: Excommunicatos eſſe, qui talia præſumpſiſſent. Quos re vera Gregorius ipſe, vt excommunicatos, indignos iudicauit, ad ipſos poſtea ſcribens, Apoſtolica Benedictione; vt ſuo loco dicetur.* Talia Baronius. B

XII. Ex his autem, quæ præſenti Capite adhuc collegimus, intellectu facillimum iam eſt, quemadmodùm Arnulphus etiam noſter Hiſtoriographus, ad ſaniorem denique mentem planè reuerſus, tacitè ac veluti per nùtus hoc ipſum Concilium Romanum approbarit, Vvormatienſe verò Conciliabulum reprobarit; ac propterea ſententiam diſertiſſimè pro Herlembaldo etiam ipſo contra Henricum Regem illiuſquè aſſeclas omnes pronunciarit. Libro enim 4. Capite 11. poſteaquàm ſuperiori Capite ſceleſtiſſimum illud Cincij Romani facinus deſcripſiſſet, Hiſtoriam ſuam hunc in modum proſequebatur: *Per idem tempus, quorumdam ſuorum hortatu, contra Papam Rex erexit ſeſe Gregorium; adeò vt nullam ſibi deferret obedientiam. Præſul verò Romanus, ſæpenumerò paratus ignoſcere, clementer vniuerſa tractabat, Regiam diu præſtolando ac multis monitis inuitando conuerſionem. Cumquè nihil omninò proficeret; illum cum ſuis fautoribus à Sanctæ Matris Eccleſiæ ſegregauit excommunicando liminibus, tenore tamen futuræ dignæquè conuerſionis propoſito. O infelicia tempora! in quibus, noſtris exigentibus culpis, contra ſe ipſam pugnare videtur Sancta* C D

 *Eccleſia,*

*Eccleſia, quam Veritas ſic ipſa laudando commendat: Vna eſt Co-* A
*lumba mea, Amica mea. Quæ ſi vna eſt, & amica; quomodo
ſciſſa ſibimet debeat inimicari, non inuenio. Ieſus Chriſtus duo ſunt
vnius perſonæ vocabula. Vnde liquidò comprobant, Reges ac Sa-
cerdotes, Chriſtos ſcilicet, Chriſti vniri vno debere conſenſu. Quid
ergo? Numquid errat vterque? Abſit. Romana certè numquam
erraſſe perhibetur Eccleſia, ex quo diuina voce dictum eſt Petro:
Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum.
Ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua. A Romana
ergo Eccleſia quicumque diſſentit, non eſt re vera Catholicus; quem-
admodum Beatus ait Ambroſius. Nonne ipſi hæc ipſa legerunt* B
*Epiſcopi? Et ſi legerunt; cur contra Romanum Præſulem adunati
Placentiæ de ore proprio coniurauerunt? Cur poſtea Papiæ conue-
nientes, iniuſtum anathema, immò inualidum ſibi conclamauerunt,
iuxta Prophetiam, non iuſtitiam ſed clamores facientes? vnde iuſ-
tiſſimè Apoſtolico ſunt mucrone perfoſſi. Reſpondeant, vt ſolent, Re-
gio ſe obediſſe mandato. Sed quid dicit Scriptura? Obedire opor-
tet Deo magis, quàm hominibus. Item: Reddite, quæ Cæſaris
ſunt, Cæſari: &, quæ ſunt Dei, Deo. Et alibi: Dominum ti-
mete, Regem honorificate. Non ergo debetur honor Regi, niſi præ-
cedente iuſto timore Dei.* Per hæc igitur Arnulphus, ad ſanio- C
rem, vt dicebam, mentem reuerſus, præſentis Cauſæ Mediola-
nenſis, inter Gregorium Papam & Henricum Imperatorem
controuerſæ, iuſtitiam, ſicut ipſimet Gregorio, ſic etiam Her-
lembaldo noſtro adiudicauit aduersùs Henricum, eiuſquè aſſe-
clas omnes; atque adeò aduersùs etiam Thedaldum, Sedis hu-
ius Archiepiſcopalis inuaſorem.

XIII. Pro præſentis autem Concilij Romani Sententia, iuſtiſsimè con-
tra Henricum Regem atque ipſius fautores pronunciata, ſi quis
plura voluerit; Baronium in primis conſulat ad hunc ipſum
Annum 1076. & præſertim ab Articulo 23. vſque ad 26. quibus D
recitata continetur ipſiuſmet Gregorij Pontificis Epiſtola, Libri
Tertij ſexta, tunc temporis poſt idem protinùs Concilium
ſcripta *Omnibus, qui cupiunt ſe annumerari inter Oues, quas
Chriſtus Beato Petro commiſit.*

✠

CAPVT

*CAPVT LVIII.* A

*Herlembaldus à ſuis & Apoſtolicæ Sedis aduerſarijs, Henrico Regi pertinaciter fauentibus, & propterea ſimul cum ipſo excommunicatis, interficitur, ſpoliatur, fuſtibus ac lapidibus tunditur, & ſine funeris comitatu ſepelitur; Liprandus verò Presbyter auribus & naſo mutilatur.*

I. HErlembaldus citra dubium non alio interfectus
eſt Anno Domini, quàm Milleſimo ſeptuage-
ſimo-ſexto. Sic enim diſertiſſimè Libro 2. Cap.
33. nobis teſtatus eſt Beatus Andreas in Arialdi B
Vita, quam eo ipſo Anno ſcribebat. Sic etiam
(vt alios in præſenti prætermittam) conſenſit
Arnulphus Hiſtoriographus Libro 4. Cap. 3. & ijs quidem ver-
bis, quæ nos præſenti Libro, Capite 48. Num. 4. recitabamus;
& ſimul ijs, quæ mox ex ipſius Capite 6. adijciemus; è quibus
præterea verbis conſtabit, ipſum poſt aliquot dies, à Dominicæ
Reſurrectionis Paſchate elapſos, interfectum eſſe.

II. Thedaldus altera ex parte in Archiepiſcopalem Mediolani Sedem
ab Henrico Rege iam fuerat intruſus Anno ſuperiore: ac non
multò ante, quàm Gregorius Papa Epiſtolam ipſi ſcriberet il- C
lam, quam nos Capite 52. recitauimus, quamquè Numero 10.
videbamus datam ſeptimo Idus Septembris.

III. Non igitur Thedaldus re vera in Archiepiſcopum electus fuit poſt
Herlembaldi cædem. Quamobrem hac in parte Arnulphus
etiam errauit, vt iam diximus Capite 54. Num. 1. & quidem
ſibimet etiam ipſi parùm conſtans; ſicut ex hiſtorica ipſius ſerie
dignoſci facilè poteſt. Vnà verò cum ipſo hac in re aberrarunt
etiam Triſtanus Chalcus Hiſtoriæ Patriæ ad finem Libri Sexti, &
initium Septimi: Carolus Sigonius de Regno Italiæ, ad Annum
1075. Ioſephus Ripamontius Hiſtoriarum Eccleſiæ Mediola- D
nenſis Libro 10. pag. 664. & 665.

IV. Nunc ad ea progredior Arnulphi è Capite ſexto verba, quæ paulò
ante pollicebar, & quorum perfecta intelligentia ex ijs pendet,
quæ Capite 48. Num. 4. recitaui. *Vnde factum eſt* (ille addit)
*vt ſimul diebus aliquot extra Vrbem exeuntes* (Milites illi Ciueſ-
que Mediolanenſes) *ſuam ſibi iurarent magna plebis cum parte
iuſtitiam, & Sancti Ambroſij honorem, ac dono Regis accepturos*

*ſeſe*

*ſeſe Paſtorem. Cumquè ingrederentur communiter Vrbem; Herlembaldus, vt ſemper conſortis impatiens, aſtantibus ſibi concionabatur more ſuo. Vt verò cohibere furorem vltra non valuit; facto cum ſuis impetu & clamore, feſtinanter arripit arma, Vexillum, quod Sancti Petri dicebat, dextra gerens. Econtra Ciues dum parte ſurgunt ab omni, armatus prorupit in medium. Quem in momento, ac prima fronte belli, tanta aduerſariorum oppreſſit incurſio, vt nihil memorabile poſſit ab illo fieri. Vbi verò circumuentus eſt vndique; illicò crebris configitur ictibus; dictoquè citiùs moriens corruit, comitatu eius exiguo circumquaque diſperſo. Cuius cadauer exanime, proſtratum humi, diſcerptis prorsùs exuitur indumentis,* B *nudatumquè fuſtibus vndique tunditur atque petris; vt, qui viuens multis terrori fuerat, multorum ſubiaceret luſibus moriens: & cùm geſtaretur humandus, nulla illum exequiarum eſt proſequuta deuotiò.*

V. *Poſthac Luitprandus ille ſupradictus Presbyter, dum fugeret iuuentus, auribus truncatur & naſo; vt, qui alienum præſumpſit officium, quod habere videbatur amitteret. Apparet igitur liquidò vera fore dicentis aſſertio: Difficile eſt, vt bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio.*

VI. *Eadem hora poſt hoc inſigne trophæum Ciues omnes triumphales perſonant hymnos Deo, & Patrono ſuo Ambroſio, armati adeuntes ipſius Eccleſiam. In craſtinum ſimul cum Clero Layci in Litanijs* C *& laudibus ad Sanctum denuò procedentes Ambroſium, reatus præteritos confitentur alterutrum. Abſolutione verò à Sacerdotibus, qui praſtò aderant, celebrata, reuerſus eſt in pace Populus vniuerſus ad propria.*

VII. *Hic iam apparet* (atque hinc Caput incipit ſeptimum) *Schiſmatis huiuſce terminus, decem-nouemquè per Annos ſemper ab ipſa radice pullulando protenſi, vnde Patarinum primò proceſſit vocabulum, non quidem induſtria, ſed caſu prolatum* &c.

VIII. Herlembaldi ergo cædem ac Liprandi mutilationem Arnulphus D hunc in modum deſcribebat eo tempore, quo nondùm reſipuerat, & quo aduersùs Gregorium Papam Regi Henrico, & Pſeudoarchiepiſcopo Thedaldo, eorumquè aſſeclis, excommunicatis fauebat, ac propterea ipſe pariter eodem anathematis vinculo irretitus erat. Quocirca etiam poſtea ſeſe pariter ab eo abſoluendum curauit; vt ſuo tempore, ſiue Capite 63. commonſtrabimus.

*CA-*

## *CAPVT LIX.* A

*Quàm pretioſas in conſpectu Domini Gregorius Papa iudicauerit Herlembaldi mortem, ac Liprandi Presbyteri mutilationem.*

I. Quale fuerit Gregorij Papæ iudicium de Militis huius Herlembaldi morte, dum pro Sede Apoſtolica eiuſquè Catholica doctrina contra tales eiuſdem aduerſarios generoſiſſimus hic Sancti Petri Vexillifer pugnaret, necati: & an ipſius cædem cenſuerit elogio martyrij dignam: id quidem ſatis apertè colligi poſſe mihi videtur ex eiuſdem Pon- B tificis Litteris, quas iam vidimus Capite 39. 40. 42. 43. 44. 45. & quas poſtea videbimus Capite 61. & 62. ſed hoc ipſum aliquantò luculentiùs conſtabit etiam ex ipſamet eius Epiſtola, qua Liprandi Presbyteri mutilationem commendauit ex inſtituto, & ad quam propterea Epiſtolam ego, moræ omnis impatiens, progredior.

II. Hanc ſuo Hiſtoriarum Vrbis Mediolanenſis Libro, Capite 6. conſignauit eiuſdem Liprandi ex matre nepos, Landulphus à Sancto Paulo, ſæpè à me in Ambroſianæ Baſilicæ ac Monaſterij Monumentis memoratus, ac veluti per tranſennam indicatus hu- C ius Operis Libro 1. Capite 2. Num. 3. necnon etiam in progreſſu poſtea præſentis Libri aliquoties producendus. Eademquè ad verbum ſic ſe habet: *Gregorius Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei, Liprando Sacerdoti Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Si Sanctorum memoriam veneramur, de quorum legimus morte & abſciſſione membrorum: ſi patientiam laudamus eorum, quos à Chriſti Fide gladius nec vlla pœna diuiſit; tu quoque abſciſſo naſo & auribus pro Chriſti nomine laudabilior es, qui ad eam gratiam pertingere meruiſti, quæ ab omnibus deſideranda eſt, qua a Sanctis (ſi perſeueraueris in finem) non diſcrepas.* D *Integritas quidem corporis tui diminuta eſt; ſed interior homo, qui renouatur de die in diem, magnum ſanctitatis ſuſcepit incrementum. Forma viſibilis turpior; ſed imago Dei, quæ eſt forma iuſtitiæ, facta eſt in diminutione iucundior, in turpitudine pulchrior. Vnde in Canticis Canticorum gloriatur Eccleſia, dicens: Nigra ſum, filia Ieruſalem. Quòd ſi interior ſpecies nihil paſſa eſt detrimenti ijs abſciſſionibus; non eſt abſciſſum à te Sacerdotale Officium, quod proprium*

*eſt*

*eſt ſanctitatis, & non tantùm conſideratur in integritate membrorum, quàm in integritate virtutum. Vnde Imperator Conſtantinus Ieroſolymitani Epiſcopi cuiuſdam oculum, pro Chriſti nomine erutum, ſæpè oſculabatur; & exemplo Patrum atque documento Maiorum didicimus non auferre Sacrum Officium Martyribus pro huiuſmodi caſura membrorum. Proinde Martyr Chriſti confortare in Domino. Magis credas, in te nunc eſſe Presbyteratus Officium, quod prius olei vnctione; nunc tui eſt ſanguinis tinctione commiſſum. Et quantò minus habes, quod poſſit auferri; tantò minùs timeas prædicare quæ vera ſunt, ſeminare quæ centuplicata reddentur. Scimus quidem, te ab inimicis Sanctæ Eccleſiæ* A *ſemper inimicari, & affligi; ſed tu ne eos timeas, neque perterrearis; quia nos tam te, quàm tua omnia, ſub noſtra & ſub Apoſtolicæ Sedis tutela cum magna charitate tenemus. Et ſi in aliquibus tibi neceſſarium fuerit Apoſtolicam Sedem appellare; concedimus: & ſi ad nos & ad Sedem noſtram veneris; cum gaudio & magno honore ſuſcipere parati ſumus.* Hæc ad Liprandum Sacerdotem Gregorius. Sicut autem Liprandus abſque dubio mutilatus & afflictus eum fuerat in modum, non ab alijs, quàm illis, quos Pontifex appellat Sanctæ Eccleſiæ inimicos: nec aliam ob cauſam, quàm quia vera prædicaret; ſic etiam eidem Pontifici perſuaſiſſimum erat, Herlembaldum itidem ab iiſdem inimicis & eamdem ob cauſam interfectum fuiſſe; ac propterea promeritum, vt præſtabiliore, quàm Liprandus, titulo inter Martyres Chriſti computaretur. B C

III. Beatus etiam profectò Andreas Monachus paulò poſt Herlembaldi necem ſcribebat Sancti Arialdi Vitam; & tamen, vt Libro 2. Cap. 16. iam vidimus, de ipſo iam tum ſcribere non dubitauit: *Nuper in defenſione iuſtitiæ martyrio eſt coronatus.* Quod ego quidem ab eo tam fidenter ſcriptum crediderim hanc ob rationem; quia ſciret, tale iam tum eſſe omnium rectè ſentientium, D & Supremi præſertim Pontificis Apoſtolicæquè Sedis, iudicium.

CAPVT

## *CAPVT LX.* A

*Quàm inconſultè Arnulphus Hiſtoriographus aliquandiu reprehenderit officium, Herlembaldo, homini Laico, à Pontifice Romano demandatum in præſenti Mediolanenſis Eccleſiæ perturbatione.*

I. TAlem tamquè inconſultam huius Hiſtoriographi opinionem tametſi iam ego Capite 13. ſatis confutaſſe mihi videor; eamdem nihilominùs hoc item loco refellam, nouo prouocatus irritamento, ac iteratis eiuſdem Arnulphi querelis. B

II. Libro enim 4. Capite 8. dum reſipiſcere ac verè ſapere inciperet, eamdem nihilominùs illam retinebat opinionem. Itaque ſic etiam reſipiſcens ac quiritabundus ſcribebat: *Quæcumque tamen ſunt à nobis re ſuper hac* (ſiue, vt initio ſeptimi Capitis ipſe loquebatur, ſuper ſchiſmate, decem-nouemquè per annos iam protenſo) *in præſenti recitata, nemo ſanæ mentis arbitretur, impugnando veritatem, aut repugnando iuſtitiæ, fore prolata; cùm neutrum liceat. Si qua enim ſunt aliorum benè dicta vel acta; non improbamus; nec vllo modo diſſentimus ab illis omnibus, qui venales reprobant Conſecrationes, & Sacrorum incontinentias Ordinum; ea tamen ratione, vt à Paulo non diſcrepemus auctore.* C
*Ait enim: Honeſtè, & ſecundùm ordinem fiant. Cui etiam conſonat lex illa Moſaica: Iuſtè, quod iuſtum eſt, proſequeris: quod nequit aliter omninò compleri, niſi ſua ſingulis quibuſcumque ſeruentur iura ordinibus, ac perſonis. Diſpartita enim ſunt Clericorum & Laicorum, eorumquè inter ſemetipſos officia; quemadmodùm in vno corpore multa ſunt quidem membra, non autem eumdem actum poſſident omnia; quæ ſi impediantur alterutro, corrumpitur omne corpus. In Sancta igitur Eccleſia, hoc eſt in Chriſti Corpore, neceſſe eſt, vt iuſto penſentur omnia moderamine. Clerus atque Populus ſuo quiſque fungatur officio, præfixo ſibi contentus limite; dicente Domino: Circumdedi mare terminis, & dixi: Huc uſque venies, & vltra non procedes. Cor humanum eſt mare. Ipſi verò Epiſcopi ſuis planè vacent negotijs, prouidentes bona, non tantùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus; ne dicam de illis: Ruina Populi, Sacerdotes mali. Quòd ſi negligentes extiterint; ſcandalizabitur Populus. Væ autem illi, per quem* D

*ſcandalum venit. Certiſſimè enim va va erit illis: va omnibus crudelibus, ſi eorum culpa Plebs in Clerum zelans inſurget vlterius.* A
En igitur nobis, quemadmodùm Arnulphus iam tandem fatebatur, exploſam iure merito fuiſſe Simoniacam labem, atque Clericorum incontinentiam, in quibus vitijs explodendis Arialdus & Herlembaldus omni contentione laborauerant; ſed in eo tamen adhuc errabat, quòd in eiuſmodi Cauſis Eccleſiaſticis operam Herlembaldi, hominis Laici, reprobaret; tametſi tale miniſterium illi eſſet à Supremo Pontifice iniunctum, & ad ipſius voluntatem ac nutum exerceretur.

III. Quando tamen ad mentem planè ſanam, Diuino fauente Numine, redactus eſt Arnulphus, tum verò hunc etiam errorem depoſuit. Quocirca ne Lector quidem beneuolus, veriquè amans, ea grauetur hoc loco recolere, quæ ſuperiori ego Capite 17. Numero 5. recitabam. Talis enim fuit palinodia, qua tandem Arnulphus noſter omnia ſua errata, in ſuis Hiſtoriæ Libris, & in Mediolanenſi præſertim Cauſa, per Sanctos Arialdum & Herlembaldum ac per ipſorum fautores agitata, ſeriò ac ſalubriter retractauit. Cui quidem palinodiæ illa item aptiſsimè congruunt, quæ ipſe poſtea Capite x1. profeſſus eſt pro infallibili Eccleſiæ Romanæ iudicio: & Capite 13. pro abſolutione ab excommunicatione, quam ipſe pariter ac Populus Mediolanenſis idcircò incurriſſent, quia cum Thedaldo Pſeudoarchiepiſcopo excommunicato communicaſſent: de qua quidem abſolutione nos etiam infra ſuo tempore dicemus. B C

IV. Cùm igitur Arnulphus in hunc denique modum reſipuerit; reliquum profectò nobis nunc ſolummodò eſt, vt oſtendamus, quàm inconſultè hac in re ille antehac erraſſet; idquè ſolo etiam Gregorij Papæ Septimi teſtimonio conuincamus. Libro enim Secundo, Epiſtola 45. ſuperiore Anno Milleſimo ſeptuageſimo-quinto, tertio Idus Ianuarij data, ſic ille ſcribebat: *Gregorius Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei, Rodulpho Duci Sueuia, atque Bertulpho* (aliter *Bertholdo*) *Duci Carentano, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Scimus, quoniam prudentia veſtra miſerabilem Chriſtiana Religionis deſolationem perſpicaci mente perpendit: qua pro peccatis noſtris in ea nunc extremitate eſt poſita, vt infeliciora tempora nemo viuentium viderit, nec à tempore Beati Sylueſtri, Patris noſtri, ſcripturarum traditione repererit. Verùm* D

*huius*

*huius tanti mali nos caput & cauſa ſumus, qui ad regendum Populum prælati, & pro lucrandis animabus Epiſcopi vocati & conſtituti ſumus. Ab eorum namque principatibus, velut à quibuſdam initijs, ſubditorum bona vel mala veniunt, qui aut mundanas dignitates, aut magiſterium ſpirituale ſuſceperunt: qui, dum nihil aliud niſi gloriam & voluptates ſæculi quærunt, ſine ſua & Populi confuſione viuere nequeunt; quoniam, in malefactis praua ſectantes deſideria, & ſuæ auctoritatis iura per culpam ligant, & alijs peccandi per exemplum fræna relaxant. Neque enim per ignorantiam aut improuidi delinquunt; ſed præſumptuoſa obſtinatione Spiritui Sancto reſiſtentes, diuinas quas cognouerunt leges abijciunt, & Apoſtolica Decreta contemnunt.* A B

V. *Sciunt namque Archiepiſcopi & Epiſcopi Terræ veſtræ (quod & omnibus Fidelibus notum eſſe debet) quoniam in Sacris Canonibus prohibitum eſt, vt hi, qui per Simoniacam hæreſim, hoc eſt interuentu pretij, ad aliquem Sacrorum Ordinum gradum vel officium promoti ſunt, nullum in Sancta Eccleſia vlterius miniſtrandi locum habeant: nec illi, qui in crimine fornicationis iacent, Miſſas celebrare, aut ſecundum inferiores Ordines miniſtrare Altari debeant. Quæ cùm eos Sancta & Apoſtolica Mater Eccleſia, iam à tempore Beati Leonis Papæ, ſæpè in Concilijs, tum per Legatos, tum per Epiſtolas in ſe & commiſſis ſibi Plebibus (vtpote ab antiquioribus neglecta) renouare & obſeruare commonuerit, rogauerit, & accepta per Petrum auctoritate iuſſerit; adhuc tamen inobedientes (exceptis perpaucis) tam execrandam conſuetudinem nulla ſtuduerunt prohibitione decidere, nulla diſtrictione punire. Non attendentes, quod ſcriptum eſt, quia ariolandi peccatum eſt repugnare, & quaſi crimen idololatriæ nolle acquieſcere.* C

VI. *Cùm igitur, illis Apoſtolica immò Sancti Spiritus mandata ſpernentibus, & ſcelera ſubditorum crimininoſa fouentibus patientia, diuina miniſteria indignè tractari, Populum ſeduci intelligimus; alio quolibet modo contra hæc vigilare nos conuenit, quibus cura Dominici Gregis præ cunctis incumbit. Multò enim melius nobis videtur iuſtitiam Dei vel nouis ædificare conſilijs, quàm animas hominum vnà cum legibus deperire neglectis.* D

VII. *Quapropter ad te, & ad omnes de quorum fide & deuotione confidimus, nunc conuertimur, rogantes vos, & Apoſtolica auctoritate admonentes, vt, quicquid Epiſcopi dehinc loquantur aut taceant,*

*vos officium eorum, quos aut Simoniacè promotos & ordinatos aut* A *in crimine fornicationis iacentes cognoueritis, nullatenùs recipiatis; & hæc eadem, aſtricti per obedientiam, tam in Curia Regis quàm per alia loca & conuentus Regni notificantes ac perſuadentes, quantùm poteſtis, tales ſacroſanctis deſeruire myſterijs*, ETIAM VI, SI OPORTVERIT, PROHIBEATIS.

VIII. *Si qui autem contra vos*, QVASI ISTVD OFFICII VESTRI NON ESSE, *aliquid garrire incipiant* (quemadmodùm antehac profectò Arnulphus etiam noſter garriebat) *hoc illis reſpondete;* VT, VESTRAM ET POPVLI SALVTEM NON IMPEDIENTES, DE INIVNCTA VOBIS OBEDIENTIA B AD NOS NOBISCVM DISPVTATVRI VENIANT.

IX. Eadem verò Epiſtola, pauculis alijs ſuperadditis, ita demùm concluditur: *Dat. Romæ, tertio Idus Ianuarij, Indictione decima-tertia.*

X. Peropportunè igitur hic habemus, quod planè ac perfectè conſentit doctrinæ, à nobis eo Capite 13. collaudatæ: quod item ſatisfaciat querelis illis, ab Arnulpho tunc denique renouatis: quodquè propterea ſatis ſuperquè ſimul etiam commendet miniſterium illud, Herlembaldo à Sede Apoſtolica demandatum, immò verò imperatum. In eamdem verò ſententiam ſane quidem Libro 4. ſuppetit etiam Epiſtola x1. qua pariter idem Pon- C tifex Idibus Nouembris, Indictione decima-quinta, proindequè Anno Domini Milleſimo ſeptuageſimo-ſexto, præcipit Roberto, Comiti Flandrenſi, vt Simoniacos Sacerdotes & fornicarios perſequatur.

## CAPVT LXI.

*Gregorius Papa Vuifredum, Herlembaldi Commilitonem, hortatur, vt in ſuſcepta Cauſa Mediolanenſis defenſione perſeueret; vtquè cæteros Sodales ſuos ad hoc ipſum cohortetur.*

D

I. OB tam funeſtam Herlembaldi cædem, tanto etiam cum applauſu gregatim ab eius hoſtibus tota paſſim Vrbe celebratam, exterritos admodùm fuiſſe, ac propemodùm animis concidiſſe ipſius Aſſeclas & Commilitones: id quidem creditu facillimum eſt; ſed prætereà etiam è ſequenti Pontificis Gregorij colligitur Epiſtola. Qua

quidem

quidem generoſiſſimum etiam ipſius Commilitonem digooſci- A
mus, nomine Vvifredum; ſed, è qua fuerit familia, ignoramus.

II. Ad hunc ille ſcripſit eodem hoc Anno Milleſimo ſeptuageſimo-ſexto, antequàm Septembri menſe inchoata eſſet Indictio decima-quinta: Epiſtolaquè continetur Libro 3. ac numero eſt decima-quinta, & hiſcè prorsùs verbis exarata: *Gregorius Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei, Vvifredo, Mediolanenſi Militi, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Quia ſollicitum te de honore Chriſtianæ Fidei Litteris tuis ſignificaſti; æquum duximus prudentiæ tuæ reſcribere.*

III. *Scias igitur, Normannos verba componendæ pacis nobiſcum habere:* B *quàm libentiſſimè iam feciſſent, & Beato Petro (quem ſolummodò Dominum & Imperatorem poſt Dominum habere deſiderant) humiliter ſatisfeciſſent; ſi voluntati eorum in quibuſdam annueremus. Sed (Deo auxiliante) hoc, non cum detrimento, ſed cum augmento Romanæ Eccleſiæ, in proximo ſperamus facere, & eos ad fidelitatem Beati Petri firmiter & ſtabiliter reuocare.*

IV. *Cum Rege quoque Alemaniæ de componenda pace multis iam vicibus quidam aures noſtras interpellauerunt: quibus nos reſpondimus, cum eo nos pacem velle habere; ſi ipſe cum Deo pacem ſtuduerit habere; & ea, quæ ad periculum Sanctæ Eccleſiæ & ad cumu-* C *lum perditionis ſuæ commiſit, iuxta quod ſæpè à nobis admonitus eſt, emendauerit.*

V. *Sed quia in potentia diuinæ virtutis magis, quàm in homine, fidem ſpem & omnes cogitatus noſtros collocauimus; volumus, vt tu etiam,* QVEM AD CONFORTANDOS CHRISTI MILITES ANIMVM ET FORTITVDINEM RESVMPSISSE INTELLIGIMVS, *firmiter in Deo confidas; & expecta eius auxilium & conſolationem, tibi & omnibus iuſtitiam & Legem Dei diligentibus adfuturam; & Diaboli membra, non niſi quantùm Deus permiſerit, innocentia noſtræ nocitura. Ecce Diabolus pa-* D *lam in Mundo dominatur: ecce omnia membra ſua ſe exaltaſſe lætatur. Sed qui dixit, Confidite, quia ego vici Mundum, det vobis certiſſimam fidem, feſtinanter ſe Eccleſiæ ſuæ ſuccurrere, & Diabolum & membra eius omninò confundere. Antiquas enim & noſtri temporis conſiderantes permutationes, probabiliter inuenimus, dominium Diaboli tantò minùs durauiſſe, quantò magis viſum fuit exaltari; & in Chriſtianam Religionem præualuiſſe.*

VI. *Tu*

VI. *Tu itaque, chariſſime fili, confortare in Domino, & in potentia virtutis eius: & eos conforta, quos in Chriſtiana Fide cognoueris permanere. Eos autem, qui Fidem Chriſtianam operibus negauere, vt reſipiſcant admone; vt erubeſcant in ſeruitute Diaboli viuere.* A

VII. *Quæ autem hic minùs ſcribimus; cùm locuti fuerimus cum Fidelibus Sancti Petri, pleniùs indicabimus; vobiſquè adiutorium (Deo fauente) dare curabimus.*

VIII. *Omnipotens Deus, meritis Summæ Dominæ & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, atque Beati Ambroſij precibus, mentes veſtras illuminet, & in Lege ſua vos ſemper ſtabiliat; vt mereamini cum his annumerari, qui Diabolum cum ſuis membris iudicabunt, & cum Chriſto ſemper regnabunt. Dat. Romæ, Indictione decima-quarta.* B

## *CAPVT LXII.*

*Gregorius Papa Vuifredum rurſùs, ſed & alios præterea duos Herlembaldi Commilitones, Henricum & Ardericum, in Domino excitat, ac benè ſperare iubet de Mediolanenſis exitu Cauſæ, quam ipſi contra Henricum Regem ac Thedaldum Pſeudo-archiepiſcopum eorumquè fautores tutabantur.*

C

I. ARgumenti huius Epiſtolam Gregorius Papa eodem pariter Anno Milleſimo ſeptuageſimo-ſexto ſub exitum menſis Octobris conſcripſit, cùm Indictio decima-quinta recens eſſet ab anteriori Septembre.

II. Eſt autem ſeptima Libri 4. & his concepta verbis: *Gregorius Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei, Henrico, Arderico, Vuifredo, Fidelibus Sanctæ Apoſtolicæ Sedis, legitimis filijs Mediolanenſis Eccleſiæ, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Manifeſta Apoſtoli ſententia eſt, quòd omnes, qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patiuntur. Quæ ſententia cum Apoſtolica Sede ad nos quaſi hæreditario iure peruenit; cùm hinc bona Eccleſiæ Normanni, multoties periuri, conantur auferre; ex altera parte Simoniaci, cum Henrico Rege eorum, Decreta Sanctorum Patrum cum omni religione moliuntur euertere.* D

III. *Sed confidimus in Domino, qui ſuperbiam Normannorum paulò ante ſub manu noſtra proſtrauit, quòd aduersùs Apoſtolicam Sedem*

non

*non diu prævalebunt. Nos tamen ſacrilegæ inuaſionis eorum numquàm erimus conſentiendo participes.* A

IV. *De conſpiratione autem hæreticorum & Regis, quomodo à Catholicis Epiſcopis & Ducibus & multis alijs in Teutonicis partibus apertè impugnetur, vos, qui illis propè eſtis, latere non credimus. Ad tantam enim numerum Fideles Romanæ Eccleſiæ peruenerunt, vt, niſi ad ſatisfactionem veniat Rex, alium Regem palàm dicant eligere: quibus nos fauere, ſeruata iuſtitia, promiſimus, promiſſumquè firmum tenebimus.*

V. *Vos itaque confortamini in Domino; quoniam per miſericordiam Dei propè eſt redemptio veſtra;* ET AD TERTIVM (nempe Thedaldum Pſeudoarchiepiſcopum) SVPERANDVM NON ADHVC VIRTVS PETRO DEFECIT; QVI DVOS ILLOS PRIORES, VVIDONEM ET GOTHIFREDVM, CONTRA ROMANAM ECCLESIAM CALCITRANTES, AB EPISCOPALI SEDE DEIECIT. *Dat. Romæ, ſecundo Calendas Nouembris, Indictione decima-quinta.* B

## CAPVT LXIII.

*Mediolanenſes illi, qui Henrico Regi ac Thedaldo Pſeudoarchiepiſcopo fauerant, quiquè propterea excommunicationis vinculo aſtricti tenebantur, nunc, errores deteſtati ſuos, abſolutionem à Gregorio Pontifice ſupplices precantur & obtinent, Thedaldo ipſo in contrarium fruſtra tumultuante.* C

I. Millesimo ſeptuageſimo-ſeptimo Chriſti Domini Anno (cuius Anni geſta narrare nunc aggredimur) Mediolanenſes illi, qui ob communionem cum Henrico Rege ac Thedaldo Pſeudoarchiepiſcopo fuerant excommunicati, Legatione nunc ad Gregorium Papam miſſa veniam & remiſſionem precantur; indequè quantocyus etiam Rex ipſe, iacturam Regni ſibi timens, Pontificem adit, veniamquè prior aſſequitur. Regis autem pœnitentiam & abſolutionem copiosè deſcripſit Lambertus Scafnaburgenſis, eius temporis Chronologus, & ex ipſo poſtea inter alios recentiores Carolus Sigonius De Regno Italiæ, ac Baronius Cardinalis ad eumdem Annum 1077. Nos Arnulphum tantummodò proferemus D

noſtrum;

VI. *Tu itaque, chariſſime fili, confortare in Domino, & in potentia vir-* A
*tutis eius: & eos conforta, quos in Chriſtiana Fide cognoueris per-*
*manere. Eos autem, qui Fidem Chriſtianam operibus negauere, vt*
*reſipiſcant admone; vt erubeſcant in ſeruitute Diaboli viuere.*

VII. *Quæ autem hic minùs ſcribimus; cùm locuti fuerimus cum Fideli-*
*bus Sancti Petri, pleniùs indicabimus; vobiſquè adiutorium (Deo*
*fauente) dare curabimus.*

VIII. *Omnipotens Deus, meritis Summæ Dominæ & Beatorum Apoſto-*
*lorum Petri & Pauli, atque Beati Ambroſij precibus, mentes veſ-*
*tras illuminet, & in Lege ſua vos ſemper ſtabiliat; vt mereamini*
*cum his annumerari, qui Diabolum cum ſuis membris iudicabunt,* B
*& cum Chriſto ſemper regnabunt. Dat. Romæ, Indictione deci-*
*ma-quarta.*

## *CAPVT LXII.*

*Gregorius Papa Vvifredum rursùs, ſed & alios præterea duos Herlem-*
*baldi Commilitones, Henricum & Ardericum, in Domino excitat,*
*ac benè ſperare iubet de Mediolanenſis exitu Cauſæ, quam*
*ipſi contra Henricum Regem ac Thedaldum Pſeudo-*
*archiepiſcopum eorumquè fautores tuitabantur.*

C

I. ARgumenti huius Epiſtolam Gregorius Papa eo-
dem pariter Anno Milleſimo ſeptuageſimo-
ſexto ſub exitum menſis Octobris conſcripſit,
cùm Indictio decima-quinta recens eſſet ab
anteriori Septembre.

II. Eſt autem ſeptima Libri 4. & his concepta ver-
bis: *Gregorius Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei, Henrico, Arde-*
*rico, Vvifredo, Fidelibus Sanctæ Apoſtolicæ Sedis, legitimis filijs*
*Mediolanenſis Eccleſiæ, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.*
*Manifeſta Apoſtoli ſententia eſt, quòd omnes, qui piè volunt viue-* D
*re in Chriſto Ieſu, perſecutionem patiuntur. Quæ ſententia cum*
*Apoſtolica Sede ad nos quaſi hæreditario iure peruenit; cùm hinc*
*bona Eccleſiæ Normanni, multoties periuri, conantur auferre; ex*
*altera parte Simoniaci, cum Henrico Rege eorum, Decreta San-*
*ctorum Patrum cum omni religione moliuntur euertere.*

III. *Sed confidimus in Domino, qui ſuperbiam Normannorum paulò an-*
*te ſub manu noſtra proſtrauit, quòd aduersùs Apoſtolicam Sedem*

*non*

*non diu præualebunt. Nos tamen ſacrilegæ inuaſionis eorum numquàm erimus conſentiendo participes.* A

IV. *De conſpiratione autem hæreticorum & Regis, quomodo à Catholicis Epiſcopis & Ducibus & multis alys in Teutonicis partibus apertè impugnetur; vos, qui illis propè eſtis, latere non credimus. Ad tantum enim numerum Fideles Romanæ Eccleſiæ peruenerunt; vt, niſi ad ſatisfactionem veniat Rex; alium Regem palàm dicant eligere: quibus nos fauere, ſeruata iuſtitia, promiſimus, promiſſumquè firmum tenebimus.*

V. *Vos itaque confortamini in Domino; quoniam per miſericordiam Dei propè eſt redemptio veſtra;* ET AD TERTIVM (nempe Thedaldum Pſeudoarchiepiſcopum) SVPERANDVM NON ADHVC VIRTVS PETRO DEFECIT; QVI DVOS ILLOS PRIORES, VVIDONEM ET GOTHIFREDVM, CONTRA ROMANAM ECCLESIAM CALCITRANTES, AB EPISCOPALI SEDE DEIECIT. *Dat. Romæ, ſecundò Calendas Nouembris, Indictione decima-quinta.* B

## *CAPVT LXIII.*

*Mediolanenſes illi, qui Henrico Regi ac Thedaldo Pſeudoarchiepiſcopo fauerant, quiquè propterea excommunicationis vinculo aſtricti tenebantur, nunc, errores deteſtati ſuos, abſolutionem à Gregorio Pontifice ſupplices precantur & obtinent, Thedaldo ipſo in contrarium fruſtra tumultuante.* C

I. MIlleſimo ſeptuageſimo-ſeptimo Chriſti Domini Anno (cuius Anni geſta narrare nunc aggredimur) Mediolanenſes illi, qui ob communionem cum Henrico Rege ac Thedaldo Pſeudoarchiepiſcopo fuerant excommunicati, Legatione nunc ad Gregorium Papam miſſa veniam & remiſſionem precantur; indequè quantocyus etiam Rex ipſe, iacturam Regni ſibi timens, Pontificem adit, veniamquè prior aſſequitur. Regis autem pœnitentiam & abſolutionem copiosè deſcripſit Lambertus Scafnaburgenſis, eius temporis Chronologus, & ex ipſo poſtea inter alios recentiores Carolus Sigonius De Regno Italiæ, ac Baronius Cardinalis ad eumdem Annum 1077. Nos Arnulphum tantummodò proferemus D

noſtrum;

noſtrum ; à quo ſummatim ea fuit indicata ; ſed ita tamen , vt protinùs etiam deſcripta fuerit ea Mediolanenſium Legatio, veniaquè poſtmodùm etiam ipſis per Apoſtolicos viciſſim Legatos impertita. A

II. Sic enim Arnulphus Libro 4. Capite 12. narrare perſeuerabat: *Eodem tempore Gens Theutonum illa barbarica, præcipuè Duces Bertaldus, Rodulfus, & Vuelfo, cum Comitibus & Epiſcopis, cognita excommunicatione Romana* (in Henricum Regem pronunciata) *à Regio prorſus ſe ſubtraxere conſortio, in nullo communicantes. Inſuper in multis accuſantes eum criminibus, infamia denotabant. Interim conſilio Sanctiſsimi Dumenſis Abbatis, Agnetis quoque* B *Regiæ matris, necnon ſapientiſsimæ iamdictæ Mathildæ, ſtatuitur generale Colloquium inter ipſum Regem & Apoſtolicum, pacis & iuſtitiæ cauſa. Cumquè exiret ab Vrbe Papa, profecturus Alemaniam; Mathildis fretus iuuamine venit in Italiam. Cumquè moraretur ibidem; multis ab ea cumulatur honoribus ac hominibus. Cui feſtinanter occurrit Henricus, declinans ſtatutum in Patria ſua Colloquium. Fuerat Conuiſſæ Oppidum, Canoſſa nomine, multis mœnibus ac loci natura circumquaque munitum, inexpugnabile re vera præſidium. Vbi præſidente Apoſtolico, Rex nudis incedens pedibus, humi proſtratus, poſt multas lachrymas promeruit* C *veniam, ſuorum iuramento fidelium pacta confirmans, ſub condictione iuſtitiæ faciendæ. Sic Mathildis magna prudentia conſolidata ſunt pacis eorum fœdera, inuitis Epiſcopis* (qui partes Henrici ſequebantur) *ac in lite manentibus*. Hæc ibi Arnulphus de Rege Henrico, ad Eccleſiaſticam Communionem reſtituto.

II. De Mediolanenſium verò ad eamdem Communionem reſtitutione, ſic ille mox proſequitur Capite 13. *Repreſſis ſe* ( Henricus) *à compoſitis* (quæ ſcilicet compoſita olim fuerant in coniuratione contra Gregorium Papam inita) *cùm ſentiret, Mediolanenſium Populum, Thedaldi Præſulis ſocietate culpabilem (diuina prohibente lege, communicari excommunicato) miſſis Domino Papæ Legatis* D *ſolutionem imploraſſe. Cui Legationi ipſe ego interfui, de præteritis ſatisfaciens, in futuro caſtigari promittens. Papa verò, ſapienti vſus conſilio, Venerabiles Viros, Lucenſem & Oſtienſem Epiſcopos, direxit Mediolanum, daturos veniam quibuſcumque poſcentibus. Vbi verò ingreſſi ſunt Vrbem, lætata eſt Ciuitas vniuerſa. Qui toto illo triduo, confluentibus ad eos Ciuibus, diuina prædicantes eloquia,*

*cunctos*

*cunctos abſoluentes, benedicunt vniuerſos. Quòd Thedaldus indi-* A
*gnè ſatis ac moleſtè tulit, adeò vt ſeditionem in Populo bellumquè conaretur inferre; ſed minimè valuit.*

IV. Triſtanus porrò Chalcus, non procul ab initio Libri Septimi, hanc Arnulphi de noſtris Mediolanenſibus narrationem his expreſſit verbis: *His peractis* (quæ ad Henrici Regis abſolutionem, proximè memoraram, pertinebant) *Mediolanenſes, expiandum crimen, quod ex promotione Thealdi contractum exiſtimabant, decernunt* (de hoc tamen iam decreuerant, ac Legationem ad Gregorium miſerant priùs, quàm Henricus abſolueretur) *facilem enim in eo Pontificem futurum opinabantur. Mittitur Legatio Romam* (for- B
tè autem potiùs Vercellas, qua ex Vrbe Pontifex tandem ad Rhegienſis Agri Oppidum Cannoſſam declinauerat, vt Ioannes Nauclerus Volumine Secundo Chronographiæ, Generatione 36. affirmauit) *in qua ſe quoque fuiſſe memorat Arnulphus, huius Hiſtoriæ auctor; & benignè Pontificem reſpondiſſe; & optata pollicitum, duos Epiſcopos dediſſe, Lucenſem & Oſtienſem, qui rem omnem conficerent. Hi, Mediolanum profecti, magna Populi gratulatione & gaudio excepti, habitis triduo Concionibus Sacris, moleſto animi vinculo Ciuitatem abſoluerunt: Quem verò legitimum Archiepiſcopum decreuerint, Arnulphus non meminit: tantumquè* C
*ſubijcit, Thealdum, iſta ægrè ferentem, conatum omnia turbare, ſeditionemquè mouiſſe; ſed, cùm ex ſententia res non ſuccederet, quieuiſſe.*

V. Atqui rè vera Thedaldus ne propterea quidem quieuit; ſicut etiam in huius Libri progreſſu conſtabit; & hoc congruenter ad illud etiam, quod Sigonius, deſcripto, quemadmodùm Henricus in præſenti fuiſſet abſolutus, hæc addidit: *Quibus cognitis, Theobaldus & Gibertus, Archiepiſcopi, ac reliqui eius factionis Italici, verbis eum* (videlicet Henricum) *contumelioſiſſimis exceperunt; ac ſe Gregorij anathema pro nihilo habere dixerunt; quem conſtaret,* D
*ab Epiſcopis iuſto iampridem eſſe anathemate obligatum, quòd Sedem Apoſtolicam per Simoniacam hereſim inuaſiſſet, ac cædibus adulterijs alijſquè nefarijs ſceleribus inquinaſſet. Henricum indignè feciſſe, & nomini ſuo maculam fœdiſſimam aſperſiſſe, quòd eiuſmodi homini faſces Regiæ Maieſtatis ſubmiſerit; perfidè verò atque dolosè; quòd, ſibi vni conſulens, in gratiam cum eo redire ſtuduerit; ſe ipſos verò, qui illius cauſa omnibus Gregorium iniurijs*

*laceſsiuerint, in medijs turbarum fluctibus deſeruerit. Enimuerò* A
*tantas iniurias æquo haudquaquam animo eſſe ferendas. Patrem,*
*qui ſe vltrò Regni titulo indignum præbuerit, abdicandum: filium,*
*licet nondùm ſatis propter ætatem Regno maturum, dominum aſciſ-*
*cendum; nouoque Pontifice declarato, per eum Romæ Corona*
*Imperatoria exornandum.*

VI. Hæc ipſa verò ad noſtros Mediolanenſes Legatio citra dubium
non alia eſt, quàm quæ in Sancti etiam Anſelmi, Lucenſium Epiſ-
copi, Vita his memoratùr verbis: *Infrà quindecim (vt opinor) dies,*
*poſt abſolutum ſcilicet Regem* (ab excommunicationis autem
vinculo Henricus proximè fuerat abſolutus vigeſima-quinta Ia- B
nuarij die, vt benè Baronius Articulo 20. obſeruauit) *cùm Bea-*
*tus Epiſcopus Anſelmus Legationem Domini Papæ* (Gregorij Sep-
timi) *vna cum religioſiſſimo Oſtienſe Epiſcopo Geraldo Mediolá-*
*num deferret; impediti ſunt à militibus illius* (Henrici nempe Re-
gis) *& captus eſt Oſtienſis Epiſcopus; Sanctum autem Anſelmum*
*nequaquam auſi ſunt tangere,* QVONIAM INDIGENA FVIT,
ET NOBILIS PROSAPIÆ. *Ipſe autem vltrò ſe capiendum in-*
*gerebat: dicens, quòd à Socio Legationis non diſcederet. Aut illum*
*(inquiens) dimittite; aut me captum cum illo tenete. At illis hoc*
*non præſumentibus, triſtis abſceſſit: volens, ſi poſſet, pro fratre* C
*animam ſuam ponere.*

VII. Ad eamdem itaque Legationem illud etiam pertinet, quod ipſe-
met poſtea Pontifex Gregorius eodem hoc Anno 1077. pridie
Kalendas Octobris, Indictione prima, ſcripſit (vt habetur Libro
5. Epiſtola 7.) ad Vdonem Treuerenſem Archiepiſcopum, &
ad eius Coepiſcopos Suffraganeos, his verbis: *Miſimus etiam*
*vobis ſacramentum, quod Rex Henricus nobis per fideles ſuos*
*quoſdam fecit, data quidem manu ſua in manum Abbatis Clunia-*
*cenſis; vt, perlecto eo, cognoſcatis, quàm rectè quamquè honeſtè*
*pro ſuo nomine ſe erga nos habuerit. Quippe à cuius fidelibus Le-* D
*gati noſtri poſtea capti ſunt: videlicet Gerardus Oſtienſis Epiſco-*
*pus in Longobardia; Bernardus Abbas Maſſilienſis in Terra*
*Teutonica. Vnde eum nihil adhuc dignum feciſſe cognouimus.*

VIII. Hinc igitur Bertoldus etiam Presbyter Conſtantienſis, in Appen-
dice ad Hermanni Contracti Chronicon, hoc ipſo Anno 1077.
commemorata Henrici ad Caniſium (ſic enim ipſe loquitur)
abſolutione, *dato tamen priùs ſacramento, vt de obiectis crimini-*

*bus*

*bus ad iudicium Papæ ſatisfaceret, nec Papæ aut alicui eius fideli vſquàm eunti & redeunti aliquam inferre moleſtiam conſentiret;* ita protinùs addidit: *Hoc autem iuramentum nec quindecim dies obſeruauit, captis Venerabilibus Epiſcopis, Geraldo Oſtienſi, & Anſelmo Lucenſi.* Quod ego quidem ita de ambobus æqualiter affirmatum interpretor; quia primo ſtatim occurſu illi ambo capti fuerint; cùm alioqui mox ſolus fuerit retentus Oſtienſis Epiſcopus: vt paulò pòſt ipſemet etiam Bertoldus nos docebit. Sic enim paulò pòſt ille proſequitur: *His ergo auditis, Principes Regni generali Colloquio, apud Forcheim tertio Idus Martij habito, egregium Rudolfum Ducem ſibi in Regem ſublimarunt: quem ſeptimo Kalendas Aprilis, vbi eo Anno medium Quadrageſimæ occurrit, coronarunt.* Et rurſùs paulò pòſt: *Henricus, audita promotione Rudolfi, auxilium Papæ contra illum implorauit; licet ſupradictum Oſtienſem Epiſcopum in captione adhuc teneri permiſerit. Vnde & Papa illi reſpondit, ſe non poſſe eius interpellationi ſatisfacere, quamdiu apud illum Sanctus Petrus in Legato ſuo ligatus teneretur. Fruſtratus ergo ſupplicatione ſua, animum in tyrannidem conuertit; nec iam Regnum per iuſtitiam, ſed per violentiam obtinere cogitauit.* Denique verò aliquantò item pòſt: *Geraldus, Venerabilis Oſtienſis Epiſcopus, de quo ſupra commemorauimus, iamdudùm ſæculo viuus, mundo crucifixus, de huius vitæ ergaſtulo liberatus eſt nono Idus Decembris.* Et hæc quidem omnia Bertoldus in præſentem Annum 1077. Quocirca reſtitutus quidem Geraldus in libertatem fuit; ſed poſt aliquot tamen dies, ab ipſa etiam Rudolfi promotione elapſos. Itaque nonniſi poſt eos etiam dies ille potuit Legationem ad Mediolanenſes vnà cum Anſelmo Lucenſi Epiſcopo perficere, illoſquè ab excommunicationis vinculo abſoluere; ſicuti re tandem ipſa illos abſoluerunt.

IX. Qualis autem quantuſquè Romanæ Cardinalis Eccleſiæ fuerit Geraldus (aliter Gerardus, vel Gherardus) hoc intelligi ſatis poteſt è poſtrema Ciaconij de Vitis Pontificum & Cardinalium Romanorum editione, inter Cardinales ab Alexandro creatos, & illic deniquè memoratos.

X. Pro Anſelmo certè noſtro, vereque noſtro, quia Ciuis noſter nobiliſſimus ille fuit (vt ego in Ambroſianæ Baſilicæ ac Monaſterij Monumentis obſeruabam Num. 278.) ſatis in præſenti ſint ea, quæ nos Cap. 71. ſequenti reſeruamus.

XI. Ex his autem, quæ præſenti Capite dicta ſunt, illud denique ſequitur, idemquè mihi chariſſimum, ſemperquè prædicandum: videlicet, vt, quemadmodùm Mediolanenſes illi noſtri communionem cum Pſeudoarchiepiſcopo Thedaldo, antehac profeſſam, deteſtati nunc tandem ſeriò & cum virtute fuerunt; ſic etiam ſimul re ſaltem ipſa confeſſi fuerint, Herlembaldi cædem, Anno ſuperiore perpetratam, certè quidem fuiſſe iniquam, impiam, ſacrilegam, & Catholicæ re vera oppoſitam Communioni, pro qua tunc ille viriliter & conſtantiſſimè dimicabat, & ita iuſſus ab ipſomet Chriſti Domini Vicario, Petriquè Principis Apoſtolorum Succeſſore, Romano Pontifice, à quo iamdudùm in hunc finem inſtitutus fuerat Eccleſiæ Romanæ Vexillifer. A B

XII. Herlembaldi profectò Cauſam, eiuſquè bonitatem, illud etiam mirificè confirmat, quod ab eodem pariter Bertoldo inter extrema præſentis Anni hunc in modum narratur: *Præfectus Romanæ Vrbis, indefeſſus Miles Sancti Petri contra Schiſmaticos, à quodam fautore Henrici crudeliter occiditur. Ad cuius Corpus in paruo tempore pluſquàm viginti miracula contigerunt; vt fidelium virorum relatione didicimus.*

## *CAPVT LXIV.* C

*Gregorius Pontifex in Concilio Romano rurſùs damnat Thedaldum Pſeudoarchiepiſcopum Mediolanenſem, ac Gubertum Rauennatem: necnon etiam Eccleſiarum prohibet inueſtituras, quæ per Laicos fiant.*

I. Quæ duo præſenti nos Capite proponimus, duobus viciſſim teſtata ſunt Concilijs, in Vrbe Roma celebratis Anno Domini ſupra Milleſimum ſeptuageſimo-octauo, cùm Martius & Nouember excurrerent menſes. D

II. Eius quidem prioris Concilij quæ ſuperfuerunt Acta, ſecundùm editionem Binianam ita prorsùs incipiunt: *Anno ab Incarnatione Domini Milleſimo ſeptuageſimo-octauo, Pontificatus verò Domini Gregorij Papæ Septimi Anno quinto, celebrauit ipſe Dominus Gregorius Papa Synodum, vbi interfuere Archiepiſcopi & Epiſcopi diuerſarum Vrbium ferè numero centum, necnon & Abbatum ac diuerſorum Ordinum Clericorum & Laico-*

*rum innumerabilis multitudo. In qua, Apoſtolica Conſtituta corroborans, multa, quæ corrigenda erant, correxit: &, quæ corroboranda, corroborauit.* A

III. *Inter cætera namque in fine Synodalis abſolutionis hæc annexuit, & perpetuæ memoriæ pro poſteris ſcribenda mandauit, ita dicendo: Thedaldum, dictum Archiepiſcopum Mediolanenſem, & Rauennatem Guibertum, inaudita hæreſi & ſuperbia aduerſus hanc Sanctam Catholicam Eccleſiam ſe extollentes, ab Epiſcopali omnino ſuſpendimus & Sacerdotali Officio: & olim iam factum anathema ſuper ipſos innouamus.* Multa exinde ſequuntur alia, demumquè concluditur: *Actum Romæ in Eccleſia Domini Saluatoris, quinto Nonas Martij, Indictione prima.* B

IV. Ad hanc verò Synodum Gregorius iam ante (ſiue quinto Kalendas Februarij, prima pariter Indictione) Guibertum Rauennatem ipſiuſquè aſſeclas inuitauerat per Epiſtolam, quæ Libri Quinti eſt decima-tertia, & in hunc modum inſcripta: *Gregorius Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei, Guiberto Rauennati Archiepiſcopo, omnibuſquè Suffraganeis eius, & vniuerſis Epiſcopis & Abbatibus, in Marchia Firmana & Camerina, & in Pentapoli, & Æmiliæ & Longobardiæ partibus conſtitutis.* Qua quidem attenta inſcriptione accuratè Baronius ad eumdem Annum 1078. Articulo 1. admonebat: *Vides ex hac inſcriptione, quanta fuerit malignatus (vt dicam cum Pſalmiſta) Inimicus in Sancto, cùm tot Epiſcopos fecerit ab Eccleſia Romana deſciſcere.* C Sicut igitur vnà cum Guiberto & vniuerſa eius factione coniurauerat contra Gregorium Papam, & in coniuratione pertinaciter perſeuerabat adhuc Thedaldus Pſeudoarchiepiſcopus, vt ſuperiori etiam Capite, Num. 5. aduertebamus; ita etiam credibile mihi videtur, ipſum pariter ac Rauennatem à Gregorio ad hanc Synodum fuiſſe per Litteras non minùs paternas inuitatum; ſed ambos nihilominùs, atque etiam fortaſſe ex condicto, D abſuiſſe; ac propterea etiam ſimul ambos in eum, quem vidimus modum, fuiſſe à Synodo damnatos. Et hæc quidem pro Capitis præſentis parte prima ſatis ſint.

V. In ſecundæ partis teſtimonium altera nunc Synodus, itidem Romana, ſuccedit, de qua ſic etiam ex ipſius Actis habemus: *Anno ab Incarnatione Domini Milleſimo ſeptuageſimo-octauo, Pontificatus verò Domini Gregorij Septimi Papæ ſexto, decimo-tertio*

*Kalendas*

*Kalendas Decembris, Indictione ſecunda, celebrata eſt Synodus* A
*Romæ in Eccleſia Saluatoris pro reſtauratione Sanctæ Eccleſiæ.*
Inter alia verò eiuſdem Synodi Decreta hoc etiam extat: *Quo-*
*niam inueſtituras Eccleſiarum contra Statuta Sanctorum Patrum*
*à Laicis perſonis in multis partibus cognouimus fieri: & ex eo plu-*
*rimas perturbationes in Eccleſia oriri, ex quibus Chriſtiana Reli-*
*gio conculcatur; decernimus, vt nullus Clericorum inueſtituram*
*Epiſcopatus, vel Abbatiæ, vel Eccleſiæ, de manu Imperatoris, vel*
*Regis, vel alicuius Laicæ perſonæ, viri vel fœminæ, ſuſcipiat.*
*Quod ſi præſumpſerit; recognoſcat, inueſtituram illam Apoſtolica*
*auctoritate irritam eſſe, & ſe vſque ad condignam ſatisfactionem* B
*excommunicationi ſubiacere.*

VI. Sed eiuſdem profectò ſententiæ Decretum iam ante fuerāt à Sede
Apoſtolica conditum Alexandri Papæ Secundi tempore, vt Ca-
pite 28. iam vidimus: quinetiam illud Gregorij Papæ præſentis
tempore renouatum iam fuerat, ſicut Capite 50. Num. 7. & ſi-
cut ex ipſius Gregorij Epiſtola, ſuperiori Anno data, mox co-
diſcemus. Libro ipſius Quarto continetur hæc Epiſtola, nume-
roquè vigeſima-ſecunda eſt, & his etiam verbis exarata: *Gre-*
*gorius Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei, Hugoni Venerabili Dienſi*
*Epiſcopo, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Gerardus,* C
*Cameracenſis Electus, ad nos veniens, qualiter in eadem Came-*
*racenſi Eccleſia ad locum regiminis aſſignatus ſit, prompta nobis*
*confeſſione manifeſtauit: non denegans, poſt factam Cleri & Populi*
*electionem, donum Epiſcopatus ab Henrico Rege ſe accepiſſe: de-*
*fenſionem autem proponens, & multum nobis offerens,* SE NE-
QVE DECRETVM NOSTRVM DE PROHIBITIONE
HVIVSCEMODI ACCEPTIONIS, NEC IPSVM HEN-
RICVM REGEM A NOBIS EXCOMMVNICATVM
FVISSE, ALIQVA CERTA MANIFESTATIONE CO-
GNOVISSE. D

VII. *Cui cùm nos congruis rationibus oſtenderemus, quàm graue eſſet,*
*etiam omni ignorantia eum excuſante,* SANCTÆ ET APOS-
TOLICÆ SEDIS SYNODALE DECRETVM TRANS-
GREDI, *& huiuſmodi participatione cum homine excommunicato*
*commaculari; ad ſatisfaciendum promptus, donum, quod accepiſſe*
*viſus eſt, continuò in manus noſtras refutauit; & omninò Cauſam*
*ſuam noſtro iudicio, cum ſui ipſius ad omnem voluntatem noſtram*
*ſubiectione & obauditione, reliquit.*

VIII. *Pro*

VIII. *Pro cuius humiliatione, & maximè quoniam canonicam electionem* A
*in eo præceſſiſſe audiuimus, ad miſericordiam moti ſumus: & con-*
*fiſi in teſtimonio, quod nonnulli Confratrum noſtrorum Epiſcopo-*
*rum cum multis pro eo ſupplicationibus ad nos per Epiſtolas ſuas*
*direxerunt (videlicet, quòd eius præcedens vita & conuerſatio mul-*
*tùm honeſta & laudabilis fuerit) ad promotionem eius, diſcretæ mo-*
*derationis conſideratione; aſſenſum præbere, non indignum duximus.*

IX. *Attamen, ne iſtud alijs, quorum Cauſa & conuerſatio huic longè diſ-*
*ſimilis & impar conſtiterit, ad exemplum vel occaſionem quærendæ*
*miſericordiæ in poſterum fore debuiſſet; illud conſtituimus, vt coram*
*te, & Confratre noſtro Remenſi Archiepiſcopo, & alijs Compro-* B
*uincialibus Epiſcopis, ita ſe per ſacramentum purgare debeat, quòd*
*ei ante acceptionem illam & (vt dicitur) inueſtituram Epiſcopa-*
*tus, Regem excommunicatum fuiſſe,* ET ILLVD DECRE-
TVM NOSTRVM DE PROHIBITIONE HVIVSCEMO-
DI INVESTIENDI ET ACCIPIENDI ECCLESIAS, *ne-*
*que per Legatum noſtrum; neque ab aliqua perſona, quæ ſe his Sta-*
*tutis interfuiſſe aut ea audiſſe fateretur, ſignificatum & indubitan-*
*ter notificatum fuerit.*

X. *Quapropter admonemus fraternitatem tuam, vt Concilium in partibus*
*illis conuocare & celebrare ſtudeas* &c. Ei ergo Gregorius inſi- C
nuat locum celebrandæ Synodi, Antiſtites ad eam conuocan-
dos, res in ea diſcutiendas: ac denique hunc in modum con-
cludit: *Si igitur diuina clementia huic noſtræ diſpoſitioni effectum*
*dederit; inter cætera, quæ tua fraternitas agenda ſuſcepit, hoc at-*
*tentiſſimè perpendat & exequi ſtudeat; vt congregatis omnibus &*
*in conuentu reſidentibus manifeſta & perſonanti denunciatione in-*
*terdicat, vt, pro conſeruanda deinceps in promouendis Epiſcopis*
*Canonica & Apoſtolica auctoritate; nullus Metropolitanorum, aut*
*quiuis Epiſcoporum, alicui, qui à Laica perſona donum Epiſcopa-*
*tus ſuſceperit, ad conſecrandum illum imponere manum audeat,* D
*niſi dignitatis ſuæ honore officioquè carere & ipſe velit. Similiter*
*etiam, vt nulla poteſtas, aut aliqua perſona, de huiuſmodi honoris*
*donatione vel acceptione vlterius ſe intromittere debeat. Quòd ſi*
*præſumpſerit; eadem ſententia & animaduerſionis cenſura, quam*
*Beatus Hadrianus Papa in Octaua Synodo de huiuſmodi præſump-*
*toribus & ſacræ auctoritatis corruptoribus ſtatuit atque firmauit, ſe*
*aſtrictum ac ligatum fore cognoſcat. Quo Capitulo ſcripto atque in*

*præſentia*

*præſentia omnium lecto, ad collaudationem & confirmationem eius* A
*vniuerſum cœtum illius conſeſſus admoneas. Eos autem, qui, poſt recenſitam à nobis huius Decreti auctoritatem, inueſtituram Epiſcopatus per manus Sæcularium Dominorum & poteſtatum ſuſceperunt, & qui eis ordinationis manum imponere præſumpſerunt, ad nos, ſuper hac re rationem reddituros, venire, Apoſtolica auctoritate commoneas atque præcipias. Dat. iuxta Padum, in Loco, qui dicitur Ficarolo, quarto Idus Maij, Indictione decima-quinta.* Hæc in ea Epiſtola Gregorius, Anno, vt dicebam, ſuperiore data.

XI. Sed & præſenti pariter Anno mentionem Decreti huius ille facit Libro 5. Epiſtola 18. Romæ data decimo-quarto Kalendas Aprilis, B Indictione prima, Spirenſi ſcribens Epiſcopo, his verbis: *Quia in ſusceptione Spirenſis Eccleſiæ veremur, te, contra Decretum Apoſtolicæ Sedis, Virgam de manu Regis ſcienter ac temerariè ſuſcepiſſe; Epiſcopale officium hactenùs te agere non conceſsimus.* Et rursùs Libro 6. Epiſtola 3. Hugoni Dienſi Epiſcopo & Hugoni Cluniacenſi Abbati, Legatis Apoſtolicæ Sedis, data ad Sanctum Germanum, ſecundo Kalendas Septembris, Indictione prima: *Quod vos digna & ſolerti indagatione diſcutere & cognoſcere omni modo ſtudete, an ita ſeſe res habeat, vt prædiximus nos ſuis Litteris intellexiſſe: præſertim, ſi idem Ambianenſis (* Epiſcopus *) contra Romanæ Synodi & Apoſtolicæ Sedis Decretum de manu Laici* C *nefanda ambitione & temerario auſu inueſtituram ſuſcipere præſumpſit; canonici rigoris ſeueritate taliter in eum vindicare & punire obnixè ſatagite, vt eius exempla cæteri imitari timeant.*

XII. Quoniam verò eiuſmodi Decreto vetus obſtare præſertim videbatur Priuilegium, à Sede Apoſtolica olim Regibus Romanorum ſuper hac re conceſſum, ſicut etiam Mediolanenſes noſtri aliquando per id tempus innuerunt, quo Regi Henrico fauebant; recolamus ad extremum hic, obſecro, & ad præſens Decretum ac Priuilegium adaptemus, quæ Gregorius idem Ponti- D fex eodem hoc Anno, ſecundo pariter Kalendas Septembris apud Sanctum Germanum Indictione prima per aliam occaſionem ſcripſit ad Manaſſem, Archiepiſcopum Remenſem: Vt enim habetur Libro 6. Epiſtola 2. ſic ad ipſum inter cætera ſcripſit: *Ad id autem, quod de Priuilegio dicitis, breuiter interim reſpondemus: Quòd poſſunt quædam in Priuilegijs pro re, pro perſona, pro tempore, pro loco concedi, quæ iterùm pro eiſdem, ſi*

*neceſſitas*

*neceſsitas vel vtilitas maior exegerit, licenter valent commutari. Priuilegia ſiquidem non debent Sanctorum Patrum auctoritatem infringere; ſed vtilitati Sanctæ Eccleſiæ proſpicere.* A

## *CAPVT LXV.*

*Thedaldus, Mediolani Pſeudoarchiepiſcopus, in Concilio rurſum Romano excommunicatur.*

I. ROmani huius Concilij Acta ſic incipiunt: *Anno ab Incarnatione Sempiterni Principis Milleſimo ſeptuageſimo-nono, menſe Februarij, Indictione ſecunda, Pontificatus verò Domini Gregorij Vniuerſalis Pontificis Anno ſexto. Ad honorem Dei, ædificationem Sanctæ Eccleſiæ, ſalutem quoque tam corporum quàm animarum, ex præcepto Sedis Apoſtolicæ conuenerunt finitimi & diuerſarum Regionum & Prouinciarum Archiepiſcopi, Epiſcopi, religioſæque perſonæ, vt Sanctam Synodum celebrarent. Omnibus igitur in Eccleſia Saluatoris congregatis, habitus eſt ſermo de Corpore & Sanguine Domini Noſtri Ieſu Chriſti, multis hæc, nonnullis illa prius ſentientibus* &c. B

II. Eadem verò Acta ſic etiam propè finem habent: *Excommunicati ſunt in eadem Synodo ſine ſpe recuperationis Archiepiſcopus Narbonenſis,* THEDALDVS DICTVS ARCHIEPISCOPVS MEDIOLANENSIS, *Sigefridus dictus Epiſcopus Bononienſis, Rolandus Taruiſienſis, item Epiſcopi Firmanus & Camerinus: hique omnes cum ſequacibus ſuis, tam Clericis, quàm etiam Laicis.* C

III. Sed & eiuſdem excommunicationis mentionem fecerunt Carolus Sigonius De Regno Italiæ ad eumdem Annum 1079. & Cardinalis Baronius Articulo 12.

D

## CAPVT LXVI. A

*Anno Domini* 1080. *in Concilio Romano confirmatur Decretum, antè hac conditum, de Laycis Eccleſiarum inueſtituris; ac de Thedaldi Pſeudoarchiepiſcopi Mediolanenſis excommunicatione pariter ac depoſitione: ſimul etiam ipſemet Rex Henricus excommunicatur, ac Regno priuatur, eique Rodulphus ſubſtituitur.*

I. HÆc item omnia ex ipſiuſmet Romani eius Concilij perſpicua ſunt Actis. Quæ quidem hinc incipiunt: *Anno ab Incarnatione Domini Milleſimo octuageſimo, Pontificatus verò Domini* B *Gregorij Septimi Papæ Anno ſeptimo, Indictione tertia. Celebrauit ipſe Dominus Papa Synodum Romæ, vbi interfuerunt Archiepiſcopi & Epiſcopi diuerſarum Vrbium, necnon & Abbatum ac diuerſorum ordinum Clericorum & Laycorum innumerabilis multitudo: in qua, Apoſtolica Conſtituta corroborans, multa, quæ corrigenda erant, correxit; & quæ corroboranda, firmauit. Inter cætera namque in fine Synodalis abſolutionis hæc annexuit, & perpetuæ memoriæ pro poſteris ſcribenda mandauit, ita dicendo:* C

II. *Sequentes Statuta Sanctorum Patrum, ſicut in prioribus Concilijs, quæ Deo miſerante celebrauimus, de ordinatione Eccleſiaſticarum Dignitatum ſtatuimus; ita & nunc Apoſtolica auctoritate decernimus ac confirmamus: Vt, ſi quis deinceps Epiſcopatum vel Abbatiam de manu alicuius Laicæ perſonæ ſuſceperit; nullatenus inter Epiſcopos vel Abbates habeatur; nec vlla ei, vt Epiſcopo ſeu Abbati, audientia concedatur. Inſuper etiam ei gratiam Sancti Petri & introitum Eccleſiæ interdicimus, quouſque locum, quem ſub crimine tam ambitionis quàm inobedientiæ (quod eſt ſcelus idololatriæ) cepit, reſipiſcendo non deſerit. Similiter etiam de inferioribus* D *Eccleſiaſticis Dignitatibus conſtituimus.*

III. *Item, ſi quis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet Sæcularium poteſtatum aut perſonarum, inueſtituram Epiſcopatuum, vel alicuius Eccleſiaſticæ Dignitatis, dare præſumpſerit; eiuſdem ſententiæ vinculo ſe obſtrictum eſſe ſciat. Inſuper etiam, niſi reſipiſcat & Eccleſiæ propriam libertatem dimittat, diuinæ animaduerſionis vltionem in hac præſenti vita, tam*

*in corpore ſuo quàm cæteris rebus ſuis, ſentiat; vt in aduentu Do-* A
*mini ſpiritus ſaluus fiat.*

IV. *Item ſententiam depoſitionis & excommunicationis, iam plerumque*
*datam,* IN TEDALDVM MEDIOLANENSEM DICTVM
ARCHIEPISCOPVM, *& Guibertum Rauennatem, & Rolan-*
*dum Taruiſienſem, confirmamus & corroboramus. Et Petrum,*
*olim Rothonenſem (* aliter *Ruthenenſem) Epiſcopum, nunc autem*
*Narbonenſis Eccleſiæ inuaſorem, pari ſententia damnamus.*

V. Sequuntur alia ſubinde Decreta, de Normannis, de falſis pœniten-
tijs, de electione Pontificum: ac denique (quod præſentis eſt
inſtituti noſtri) ipſamet Regis Henrici & omnium eius fauto- B
rum excommunicatio, necnon etiam ipſius depoſitio, ac in
eius locum ſubſtitutio Rodulphi, Sueuiæ Ducis; ſed hæc valde
prolixa eſt, nec ita nobis ad verbum neceſſaria. Lectorem ita-
que precamur, vt eamdem potiùs requirat vel ex ipſis Concilio-
rum Tomis, vel è Gregorij huius Papæ Libris Epiſtolarum, vel
è Baronij ad hunc Annum 1080 Annalibus. Nos enim præſenti
Capiti ſolum præterea tempus adijcimus, quo demùm hæc aſſe-
runtur acta. Videlicet: *Acta Romæ, Nonis Martij, Indictione*
*tertia.*

C

## *CAPVT LXVII.*

*Henricus* Rex *auſu temerario, vnà cum triginta Epiſcopis, ſecum ſchiſ-*
*maticis, in Germanica Vrbe Brixina congregatis, Romanum Pon-*
*tificatum Gregorio abrogat; eumquè transfert in Guibertum*
*Rauennatem Pſeudoarchiepiſcopum.*

I. DE hac Pſeudoſynodo Brixinenſi abundè Baro-
nius ad Annum 1080. ab Articulo 17. Binius
autem in ſuis ad eam Notis aliquanto parciùs
hæc habet: *Hæc Synodus Maguntiæ inchoata* D
*fuit. Sed cùm ibi nouem-decim dumtaxat Epiſ-*
*copi ſchiſmatici ad ſcelus patrandum conueniſ-*
*ſent; paucitatem eorum pertæſi, ad locum ſchiſmaticis omnibus ex*
*Germania & Italia congregandis aptiſſimum, Brixiam (* ſiue Bri-
xinam, aliter Brixinonem*) tranſtulerunt. Quid verò in Pſeudo-*
*Synodo ſchiſmatici egerint, Auctor ſchiſmaticus, Conradus Vrſ-*
*pergenſis Abbas, ex illo aceruo calumniarum, à Bennone ſchiſma-*

*tico malè congeſto*, *recitauit his verbis: Anno Domini Milleſimo* A
*octogeſimo, cùm apud Brixiam Noricam triginta Epiſcoporum*
*Conuentus, necnon & Optimatum exercitus, non ſolùm Italiæ, ſed*
*& Germaniæ, iuſſu* Regis *Henrici congregaretur; factus eſt om-*
*nium conſenſus aduersùs Hildebrandum Papam, cognominatum*
*Gregorium Septimum* &c. *Facta ſunt autem hæc ſeptimo Kalen-*
*das Iulij, Feria quinta, Indictione tertia.*

II. Sicut autem in hoc Conciliabulo Pontificatus Romanus à Grego-
rio Septimo, penès quem octauo iam erat Anno, translatus fuit
in Guibertum Pſeudoarchiepiſcopum Rauennatem; ſic etiam
ſcire præſtat, quid mox de illo actum fuerit. Guillelmus pro- B
fectò Bibliothecarius, eius Sæculi Auctor fideliſſimus, in eiuſdē
Gregorij Vita, vt eſt apud Baronium Art. 21. ſic tradebat: *Hunc*
*talem Henricus Rex adorauit pronus in terram. Cui etiam, ſua-*
*dente Dionyſio Placentino Epiſcopo, iuraſſe aſſeritur, vt ab eo Im-*
*perij Coronam acciperet. Quid plura? Ita peccatis exigentibus,*
*omnes qui aderant præſentes, mente excæcati ſunt, vt non reſpi-*
*cerent Cælum, ſed ad eius veſtigia oſculanda (heu pro dolor!) ſeſe*
*pariter ter incuruarent. His ita peractis, Rex, in apertam hære-*
*ſim lapſus, ad propria in Octauis Apoſtolorum regreſſus eſt. Gui-*
*bertus verò hæreſiarcha, inſignitus Papalibus inſignijs, cum Com-* C
*plicibus ſuis pompoſè intrauit Italiam.*

III. Verùm verò Thedaldus etiam noſter Pſeudoarchiepiſcopus Con-
ciliabulo huic, vnà cum cæteris ex Italia Epiſcopis, Hentici
fautoribus, paritérquè ſchiſmaticis & excommunicatis, affue-
rit: ne tantillùm quidem à mè dubitari permittit obſtinata eius
in ſchiſmate pertinacia, in qua vſque ad obitum perſeuerauit,
vt infra ſuo tempore oſtendam. Quocirca ipſum pariter ego
credidi petitum ijſdem illis anathematum iaculis, quibus inte-
rim poſtea indubiranter ictum videbimus Henricum eiuſquè D
fautores, inter quos nemini ſecundus ipſe fuit.

IV. De omnibus quidē in vniuerſum illis, qui eidem Conciliabulo af-
fuerunr, Gregorius ipſe poſtea duodecimo Kalendas Auguſti, vt
habetur Libro 8. Epiſtola 5. hunc in modum, & interritus, ſcripſit
ad Coepiſcopos, per Principatus & Apuliam & Calabriam con-
ſtitutos: *In quo nimirùm Satanæ Conuentu illi interfuere, quorum*
*eſt vita deteſtabilis, & ordinatio hæretica immenſitate multimodi*
*criminis. Siquidem ad hanc inſaniam illa demùm eos deſperatio*

traxit,

*traxit, quòd neque precibus, neque ſeruitiorum aut munerum promiſſionibus, ſcelerum ſuorum veniam apud nos maluerint* ( legendum potiùs videtur *meruerint* ) *impetrare; niſi fortè vellent iudicio Eccleſiaſtico, noſtraquè cenſuræ ſe, mediante miſericordia, ſicut decet officium noſtrum, ſubmittere. Hos itaque, nullis rationibus fultos, immò omnium criminum conſcientia perditiſſimos, tantò magis vilipendimus, quantò ipſi ſe altiora conſcendiſſe confidunt. Per miſericordiam quippe Dei, & orationem Beati Petri, quæ Simonem Magum, eorum vtique Magiſtrum, ad altiora tendentem, mirabiliter deiecit, ſperamus, ruinam eorum non diu remoraturam; & quietem Sanctæ Eccleſiæ, victis & confuſis hoſtibus ſuis, more ſolito glorioſiſſimè dilatandam.* Hæc ibi Gregorius. A B

V. Iuuat autem hoc etiã loco præmaturè illud ſuperaddere, quod Anno poſtero idem Gregorius de ipſomet Henrico Rege ſcripſit Libro 9. Epiſtola 11. ad Deſiderium, Sancti Petri Cardinalem, atque Abbatem Caſſinenſem. *Tu verò* ( inquit ) *ipſe, amande frater, cognoſcis, quia, ſi nos amor iuſtitiæ & honoris Sanctæ Eccleſiæ non teneret, tamquè prauæ voluntati ac nequitiæ Regis & ſuorum vellemus fauere, nulli aliquando Prædeceſſorum noſtrorum ab Anteceſſoribus Regibus, ſeu etiam Archiepiſcopis, tam amplum & deuotum ſeruitium, ſicut nos ab hoc Rege & ab Archiepiſcopo* ( Rauennatem innuit Guibertum ) *habere potuerunt. Verum, quoniam & illorum minas & ſæuitiam pro nihilo ducimus; magis, ſi neceſſe fuerit, mortem ſuſcipere parati erimus, quàm impietatibus eorum aſſenſum præbere, aut iuſtitiam relinquere.* Tales igitur erant Sanctiſſimi huius Pontificis aduersùs Henricum Regem, atque Guibertum Antipapam, eorumquè aſſeclas: tales, inquam, erant ſpiritus ac ſenſus: & his quidem illa pariter ſcatet Epiſtola, Noni eiuſdem Libri vigeſima-prima, *Omnibus* ſcripta *Epiſcopis, Abbatibus, Clericis & Laicis, Apoſtolicæ Sedi Fidelibus*, qua illos ad perſecutiones patienter ferendas cohortatus fuit. C D

CAPVT

## *CAPVT LXVIII.* A

*Henricus Rex, cum ſuo Antipapa reliquiſquè fautoribus ſuis, in alijs denuò Concilijs anathematizatur.*

I. TRia ſunt Concilia, in quibus hoc anathema renouatum eſſe nunc oſtendemus: Romana duo, tertium verò Quintilineburgenſe.

II. Ac de primo quidem Synodalia eius Acta ſic habent: *Anno ab Incarnatione Domini Milleſimo octuageſimo-primo, Pontificatus verò Gregorij Septimi Anno octauo, nondùm exacto, præſidente eodem Apoſtolico, celebrata eſt Synodus Romæ in Baſilica eiuſdem Saluatoris & Redemptoris noſtri, Ieſu Chriſti: in qua inter cætera Sententiam depoſitionis Archiepiſcoporum Arelatenſis & Narbonenſis, atque excommunicationis, per Legatos Apoſtolicæ Sedis promulgatam, Dominus Papa, his qui aderant collaudantibus, firmauit. Henricum quoque, dictum Regem, & omnes fautores eius, qui in præteritâ excommunicatione animum indurauerunt, iterùm excommunicauit* &c. B

III. Pro ſecundo Bertholdus Conſtantienſis, eius temporis Scriptor, ita prorsùs ad Annum 1084. teſtatus eſt: *Dominus Papa, collecta Synodo, iterùm Sententiam anathematis in Guibertum hæreſiarcham, & Henricum, & omnes eorum fautores promulgauit: quod & in feſto Sancti Ioannis Baptiſtæ præterito iamdudùm Romæ fecit, cum Henricus adhuc ibi moraretur. Hanc Sententiam Legati Sedis Apoſtolicæ, videlicet Petrus Albanenſis Epiſcopus in Francia, Otto Oſtienſis Epiſcopus in Terra Teutonicorum, vſquequaque diuulgarunt.* C

IV. Sic etiam pro tertio Concilio idem Bertholdus ad Annum 1085. *Hermannus Rex in Quintilineburg Paſcha celebrauit: vbi & Legatus Domini Apoſtolici in ipſa Paſchali hebdomada Generalem Synodum cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus, Sancti Petri Fidelibus, ſolemniter celebrauit. Interfuit autem huic Synodo Gebehardus, Reuerendiſſimus Iuuanienſis Archiepiſcopus: item Venerabilis Hartungus, Magdeburgenſis Archiepiſcopus, cum Suffraganeis ſuis: item Suffraganei Moguntinæ Sedis de Saxonia. Nam Vvirceburgenſis & Vvormatienſis, Auguſtenſis quoque & Conſtantienſis de Alemania, quiquè ipſi canonica neceſſitate impediti venire non potuerunt, per Legationem ſuam ſe Sancto Concilio repræſentauerunt,* D

uerunt,

*uerunt, ſeque per omnia eiuſdem Synodi Statutis aſſenſuros mandauerunt. Rex etiam Hermannus cum ſuis Principibus eidem Synodo interfuit. Cùm ergo omnes iuxta ordinem ſuum conſediſſent, prolata ſunt in medium Decreta Sanctorum Patrum de Primatu Sedis Apoſtolicæ: Quòd nulli vnquàm liceat eius iudicium retractare, & de eius iudicio iudicare. Quod de totius Synodi publica profeſſione laudatum & confirmatum eſt. Et hoc vtique contra Henricianos: qui Fideles Sancti Petri conſtringere voluerunt, vt excommunicationem Domini Papæ Gregorij ſuper Henricum cum illis retractare præſumerent. Quidam autem Babenbergenſis Clericus, nomine Gumbertus, Romani Pontificis Primatui derogare volens,* B *in mediam Synodum ſe contulit, aſſerens, Romanos Pontifices hunc ſibi Primatum adſcripſiſſe, non aliunde conceſſum hæreditaſſe: videlicet, vt nullus de eorum iudicio iudicare debeat, nec illi alicuius iudicio ſubiaceant. Qui cùm apertè à tota Synodo confutaretur; præcipuè tamen à quodam Laico conuictus eſt per illud Euangelicum (*Matthæi 10.*) Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum. Cùm enim hoc generaliter in omnibus Eccleſiaſticis Ordinibus obſeruandum deputetur, ne maior à minore iudicetur; quis hoc Vicario Sancti Petri denegare potuit, quem omnes Catholici pro Domino & Magiſtro venerantur?* Et aliquantò pòſt: *In eadem* C *Synodo Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, perpetua, iuxta Decreta Sanctorum Patrum, indicta eſt continentia.* Et propè finem Decretorum: *In fine autem Synodi Sententia anathematis cum ardentibus candelis promulgata eſt in Guibertum hæreſiarcham, Sedis Apoſtolicæ peruaſorem: & in apoſtatas Sancti Petri, Hugonem Album cognominatum, Ioannem Portuenſem, Exepiſcopos, Petrum Excancellarium.* Qui quidem erant Pſeudocardinales, Guiberti Antipapæ ſectatores, & acerrimi defenſores.

V. Quemadmodùm verò Henricus interim tria impedierit Concilia Romana, per Gregorium indicta: quemadmodùm item in- D ſtructo Exercitu Romam ſit aggreſſus, obſederit, oppugnarit, & ex parte obtinuerit, ibiquè ſuum Antipapam in Sede Pontificia collocarit, & ab eo Diadema Cæſareum acceperit: quemadmodùm inde tandem, redigendi ſuam in poteſtatem Gregorij ſpe fraudatus, diſcedere coactus ſit à Roberto Guiſcardo, Normannorum Duce, in auxilium Gregorij potentiſsimum illuc Exercitum adducente: hæc & eiuſdem generis alia commodè

legi

legi poſſunt apud Baronium, ſuo quæque tempori ex ordine adſcripta. A

VI Sed apud ipſum (nempe Anno 1085. ab Articulo 8. vſque ad 16.) legatur etiam, obſecro, quemadmodùm ij, qui per ſuperiorem Synodum Quintilineburgenſem iuſtiſſimè fuerant excommunicati, Conciliabulum viciſſim mox congregauerint illud, de quo Sigebertus in Chronico ad eumdem Annum ſic inquit: *Henricus Imperator, Moguntiæ Regali & Synodali Conuentu coacto, exegit ab omnibus, vt Hildebrandi depoſitionem, & Guiberti ordinationem ſubſcripto approbent. Cui aliqui manu & ore fauentes, corde tamen Hildebrando adhærebant.* B

## CAPVT LXIX.

*Gregorius Papa Septimus moritur, ſanctitate ac miraculis clarus.*

I. PRæclarè Martyrologium Romanum die vigeſimo quinto Maij ſic habet: *Salerni, Depoſitio Beati Gregorij, Papæ Septimi, Eccleſiaſticæ libertatis propugnatoris ac defenſoris acerrimi.*

II. Ad hæc verò Baronius etiam ibidem aptiſſimè ſic adnotat: *Sanctiſſimi Pontificis gloria numquam valuit ſchiſmaticorum Scriptorum, ſchiſmaticis Regibus fauentium, calumnijs obſcurari, vel aliqua ex parte labefactari: quin potiùs longè clarior eſt ſemper reddita atque illuſtrior; ſicut olim Sancto Magno illi Athanaſio, Fidei propugnatori, contigit; cùm & ipſe circumuentus ac penè obrutus eſſet falſis obiectionibus Arianorum. Qui enim ab Eccleſia Catholica non deſciuerunt, reſque huius Sanctiſſimi Pontificis, præclariſſimè geſtas, ſinceræ mentis oculis ſunt contemplati, immenſis eum præconijs, ſi quem alium antiquorum Sanctorum Patrum, ſunt proſecuti. Et vt omittamus hic referre Teſtes penè innumeros; ſatis ſit tibi modò* D *Lambertus* (Scaphnaburgenſis) *qui ſui temporis per Annos ſingulos puram ac germanam digeſsit Hiſtoriam, eiuſque Acta conſcripſit. Hic inter cætera tanti Pontificis ornamenta recenſet, eum, dum vixit, miraculis claruiſſe. Conſule, ſi lubet, & Marianum Scotum, qui illis ipſis etiam temporibus claruit, candideque res eius per Annos ſingulos conſcripſit: quales fuerint calumniæ ſchiſmaticorum, & qualia tanti Pontificis merita, æqua lance librans.*

*Multa*

*Multa hic eſſent addenda, vt quæ Deſiderius Abbas Caſſinenſis* A
*Libro 3. Dialogorum, quæ etiam Petrus Damiani, aliíque de eo*
*ſcripſerunt. Porrò, qualis quantuſquè fuerit, qui zelus ipſius,*
*quæ animi conſtantia, paſtoralis vigilantia, vigor & diſciplina, ac*
*denique cæteræ virtutes, tanto culmine dignæ, in eo Pontifice enituerint,*
*Regiſtrum ipſius Epiſtolarum, quod aſſeruatur in Vaticana*
*Bibliotheca, facilè indicat.* Talia Baronius illic in Sanctiſſimi huius
Pontificis commendationem. Plura verò in Annalibus, &
præſertim ad Annum 1085. Articulo 11. & aliquot alijs ſubſequentibus.
Legatur verò etiam Robertus Cardinalis Bellarminus
Libro 4. de Romano Pontifice, Capite 13. B

## CAPVT LXX.

*Thedaldus, Pſeudoarchiepiſcopus Mediolanenſis, moritur, in Schiſmate pertinax: eique ab Henrico Rege ſubintruditur Anſelmus; qui tamen denique factus legitimus, de Sede Apoſtolica eiuſquè Fidelibus optimè meruit.*

I. THedaldum Anno Domini Milleſimo octuageſimo-quinto, & in Schiſmate pertinacem,
obijſſe, ſatis ego ſuperquè demùm credidi C
Bertholdo Presbytero Cõſtantienſi, eius temporis,
vt ſæpè iam dictum eſt, Scriptori fideliſſimo.
Ad eum enim Annum ille nobis ita
ſcriptum reliquit: *Ipſa etiam Capita Schiſmaticorum eo tempore*
*(heu miſerè) abiere in locum ſuum: videlicet Parmenſis & Rhegienſis*
*Expiſcopi: Thedaldus, Mediolanenſis, non Archiepiſcopus,*
*ſed Antichriſtus: Adelbertus & Reginherus Marchiones,*
*& Comes Boſo, & alij innumerabiles: quorum factione tota*
*penè Italia contra Dominum Papam & Sanctum Petrum ſe*
*erexit* &c. D

II. Sed quoto præcisè menſe ac die Thedaldus obierit, neminem profectò
adhuc habeo, cui ſatis acquieſcere poſſim. Archiepiſcoporum
noſtrorum Catalogus manuſcriptus, manuſcripto Beroldi
Codici adiectus, & in Capituli Metropolitani Bibliotheca
cuſtoditus, ſic habet: *Thedaldus ſedit Annos nouem, & menſes
tres, dies viginti & vnum. Obijt octauo Kalendas Iunij. Sepultus
eſt in Arona.* Cuius quidem Catalogi teſtimonio The-

daldus eodem illo menſe ac die mortuus eſſet, quo Martyrologium Romanum, ſuperiori Capite à nobis productum, affirmabat mortuum eſſe Gregorium Papam Septimum; ſicut etiam Leo affirmauit Oſtienſis Libro 3. Chronici Caſſinenſis, Cap. 63. ſecundùm editionem à Matthæo Laureto recognitam. Catalogus alter itidem manuſcriptus mihi eſt, in quo ſic item: *Tedaldus, ex Capitaneis de Caſtilliono, Archiepiſcopus Mediolanenſis Septuageſimus-quartus, Anno Domini Milleſimo ſeptuageſimo-quarto, ſedit Annis nouem, menſibus quatuor. Electus fuit Anno Domini Milleſimo ſexageſimo nono.* Ac denique: *Obijt prædictus Tedaldus Anno Domini Milleſimo octuageſimo-tertio, ſeptimo ante Kalendas Iunij. Iacet in Arona.* Tabula porrò Archiepiſcoporum Mediolanenſium, à Petro Galeſinio lucubrata, & Actis Eccleſiæ Mediolanenſis conſita, ſic habet Numero 76. *Obijt ſeptimo Kalendas Iulij. Sepultus Aronæ.* Atque huius etiam fuit opinionis Ioannes Franciſcus Beſutius Numero 76. in Hiſtoria Pontificali Mediolani, Italicè conſcripta. In hac tamen opinionum diuerſitate libentiùs ego quidem primo illi ac vetuſtiori Catalogo conſenſerim.

III. Thedaldi eiuſdem obitum Baronius etiam è Bertholdo ſummatim commemorauerat ad Annum 1085. Articulo 10. cùm protinùs adiecit: *Porrò è medio ſublato eodem potentiſſimo Mediolanenſis Eccleſiæ inuaſore, perditoquè tyranno, erigere caput ea cœpit Eccleſia: excuſſoquè è ceruicibus iugo Schiſmaticorum, Catholicum ſibi delegit Antiſtitem, Anſelmum eius nominis Tertium.*

IV. Sigonio tamen aliter viſum eſt Libro 9. de Regno Italiæ ad Annum 1084. quo Thedaldum exiſtimauit obijſſe; ſicut & Anno poſtero Gregorium Papam. Illic enim ad eius Anni finem ſic habet: *Theobaldus, Mediolanenſis Archiepiſcopus, circa Verbanum Lacum oberrans, propè exul eſt mortuus. Et per Henricum Anſelmus à Raude ſuffectus, pariter à Gregorio eſt improbatus.* Si enim Anſelmus hic ab Henrico pariter ſuffectus eſt: ſi pariter à Gregorio improbatus; non igitur eum ſibi delegit Eccleſia Mediolanenſis; non igitur hæc poſt Thedaldi obitum erigere cœpit caput, excuſſo ſuis è ceruicibus iugo Schiſmaticorum.

V. Ego verò ſic exiſtimo, vt poſt Thedaldi obitum Henricus, conſeruandæ ſibi ſuæ ad Eccleſiarum inueſtituras poteſtatis auidiſſimus (& hoc præſertim tempore, quo nullus adhuc erat in Gre-

gorij

gorij locum ſubſtitutus,ac ſolus Antipapa Guibertus legitimum A
ſe Papam eſſe obtendebat ) quantocyùs elegerit è ſua factione
Anſelmum illum; ſed eum tamen poſtea legitimus Pontifex
Romanus, & hic quidem, non Gregorius (quippequi verè iam
obierat priùs, quàm ille poſſet electus eſſe; vt ſatis conſtat ex
his, quæ proximè diximus ) ſed proximus Gregorij ſucceſſor,
Victor Tertius; vel poſt ipſum Vrbanus Secundus; vel ipſamet
Eccleſia Romana per id tempus, quo Sedes Apoſtolica interim
vacauit;ipſum poſtea(& hoc fortaſsè Athone iam tandem vita
functo, cuius electio vnicè opponebatur Thedaldi electioni, vt
iam vidimus Capite 52.) approbauerit, & in Catholicam B
Communionem receperit; in quam denique receptus eas me-
ruerit laudes,quas ipſi poſtea Bertholdus adſcripſit. Ad Annum
enim poſtea 1093. ſic ille narrauit: *In Longobardia Prudentiſſi-
mi Milites Sancti Petri, Vuelpho Dux & uxor eius Mathilda,
iam triennio contra Schiſmaticos viriliter dimicantes, tandem mul-
tùm contra ipſos, Deo opitulante, confortati ſunt. Nam Cuonra-
dus, filius Heinrici Regis, à Patre diſceſſit: & Vuelphoni Duci,
reliquiſquè Fidelibus Sancti Petri, contra Patrem cum ſuis adiu-
uit.* CIVITATES QVOQVE DE LONGOBARDIA, ME-
DIOLANVM, CREMONA, LAVDA, PLACENTIA, CON- C
TRA HEINRICVM IN VIGINTI ANNOS CONIVRA-
VERVNT : *qui omnes prædicto Duci fideliter adhæſerunt. Tran-
ſitus etiam Alpium in Longobardiam obtinuerunt; vt Fautores
Heinrici ad ipſum non poſſent proficiſci.* Et paulò pòſt: *In Lon-
gobardia Cuonradus, filius Heinrici Regis, à Patre dolo circum-
uenitur, & captiuatur; ſed Dei miſericordia inde ereptus,* A ME-
DIOLANENSI ARCHIEPISCOPO, ET RELIQVIS FIDE-
LIBVS SANCTI PETRI, IN REGEM CORONATVR,
*annuente Vuelphone Duce Italiæ, & Mathilda eius chariſſima Con-
iuge.* Denique verò in fine omnium, quæ hoc eodem Anno D
geſta narrat, ita demùm concludit: IN LONGOBARDIA
VENERABILIS ANSELMVS, MEDIOLANENSIS AR-
CHIEPISCOPVS, IN CAVSA SANCTI PETRI STVDIO-
SISSIMVS, ET QVI NVPER CVONRADVM INCORO-
NAVIT, SATIS LAVDABILEM FECIT FINEM, MA-
GNVMQVE MOEROREM FIDELIBVS SANCTI PETRI
RELIQVIT. CVI VENERABILIS ARNOLDVS (noſtrates

Scriptores hunc nominant Arnulphum) DE PORTA ARGEN- A
TEA (ſiue Orientali, ſicut ego in Ambroſianæ Baſilicæ ac Mo-
naſterij Monumentis explicabam Numero 280.) IN EPISCO-
PATV SVCCESSIT.

VI. Triſtanus porrò Chalcus, Hiſtoriæ Patriæ Libro 7. non procul ab
initio, commemorata breuiter Gregorij Papæ Septimi morte,
atque in Annum Chriſti Domini Milleſimum octuageſimum-
quintum coniecta, hunc in modum proſequebatur: *Per quod
tempus Thealdus quoque Caſtillionæus, dum malè ſumpti Sacer-
dotij ærumnas circa Verbani latebras & diuerſoria ſolatur, Aronæ
(quod peropulens eſt Emporium) deceſſit, atque ibidem eſt ſepultus.* B
*Ei ſuccedit Anſelmus, Raude Vico oriundus.* Cur autem The-
daldus Aronæ mortuus ac ſepultus fuerit, ea eſt ratio; quia Op-
pidum illud per ea tempora ditionis erat Archiepiſcopalis;
quemadmodùm & alterum illud, Brebia nomine, in quod Ex-
archiepiſcopus pariter Gothofredus iam ante ſe receperat. Sic
igitur Thedaldus etiam ſibi ſedem ac domicilium in Oppido
(atque tunc etiam fortaſsè Arce munitiſſima; qualem nos vnà
cum Landulpho Iuniori nominabimus inferiùs Capite 90.
Num. 12.) Arona vſque ad obitum retinuit; vbi ſcilicet habita-
bat etiam impia illa Guidonis Archiepiſcopi neptis, Oliua no- C
mine, re vera Iezabel altera, quando Sanctum Arialdum neca-
ri iuſſit.

## *CAPVT LXXI.*

*Sanctus Anſelmus, Epiſcopus Lucenſis, & Alexandri Papæ Secundi nepos, Ciuiſquè noſter Mediolanenſis, Gregorij Papæ Septimi atque adeò Herlembaldi quoque noſtri Cauſam, contra Henricum Regem ipſiuſquè fautores agitatam, miraculis etiam poſt mortem feliciſſimè tutatur.* D

I. ANſelmus hic, vt ſupra dictum eſt, Ciuis noſter nobiliſsimus, eo etiam nomine nobis gloriandus videtur, quòd vnus fuit ex ijs quatuor, è quibus eligi poſſe ſui Succeſſorem, Gregorius Papa Septimus, triduo ante quàm moreretur, præmonuit. Sic enim Leo teſtatur Oſtienſis, Capite ſuperiori à me productus.

II. Priuſ-

II. Priuſquàm tamen ad eiuſdem Succeſſoris electionem veniretur, A mortuus eſt Anſelmus. Itaque in eius Vita, per Auctorem contemporaneum conſcripta, ſic etiam legitur: *Anno Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti Millesimo octogeſimo-ſexto, Epiſcopatus verò ſui decimo-tertio, Indictione nona, finitis iam Annis ſeptem excommunicationis Henrici quondàm Regis, poſt tranſitum autem felicisſimi Papæ Gregorij Septimi menſe nono, die verò vigeſimo-tertio, obdormiuit in Domino Venerabilis Dominus & Pater noſter, Anſelmus, Lucenſis Epiſcopus, decimo-quinto Kalendas Aprilis, in Ciuitate Mantuana, præſidente Reuerendiſſimo Epiſcopo Vbaldo, atque dominante ibidem nobiliſſima Duce & Marchioniſſa Domina Mathilda.* B

III. Tertia porrò poſt eius obitum die inſignia patrari miracula cœpta ſunt; & vſqueadeò, vt intra quinquageſimum ab eius obitu diem octaginta narrentur in eiuſdem Vita. De quibus quidem atque alijs eiuſmodi miraculis Baronius Anno 1086. locutus, ita concludit Articulo 13. *Conferebant iſta plurimùm (vt audiſti) ad ſalutem etiam animarum. Nimirùm cùm viderent Schiſmatici, ab Epiſcopo, qui verbis ſcriptiſquè Gregorium Papam defenderat, atque Guibertum Pſeudopontificem improbauerat, tot tantaque miracula edi: planè Deum ſtare à Parte Catholicorum intelligentes, qui perſpicaciores eſſent, & non obſtinati mente, ex Schiſmate recedentes, ad Eccleſiam Catholicam ſponte redibant. Quod* C *& teſtatur alius eiuſdem temporis Auctor, Bertoldus Conſtantienſis, dum in Chronicis ſuis, eiuſdem Anſelmi hoc eodem Anno mentionem faciens, hæc habet: Beatus Anſelmus, quondàm Lucenſis Epiſcopus, ipſo eodem ſuæ Depoſitionis* (hoc eſt, obitus) *Anno innumerabilibus cœpit miraculis coruſcare. Qui poſt obitum Venerabilis Papæ Gregorij Septimi Fideles Sancti Petri contra tyrannidem Henrici, adhuc in carne viuens, multùm incitauit; ſed multò plus poſt obitum ſuum, miraculis coruſcans, eoſdem contra* D *eundem perſiſtere confortauit. Vnde & Pars Henrici de die in diem cœpit deficere; Catholici autem in fidelitate Sancti Petri non ceſſauerunt proficere.* Hactenùs è Bertoldi Chronico Baronius. Ac tum rursùs: *Hæc ipſe. Et in eamdem ſententiam Domnizo in Vita Mathildis, Verſibus iſtis.* &c.

IV. Cæterùm Sancti eiuſdem Anſelmi, Epiſcopi & Confeſſoris mentionem faciunt Martyrologium Romanum cum Notis Baronij,

&

& alterum cum Notis Galeſinij, ac Philippus Ferrarius in Cata- A
logo Sanctorum Italiæ die 18. Martij. Calendarium verò etiam
mihi eſt, inſcriptum *Ordo Diuini Officij, recitandi in Sanctæ
Mantuana Eccleſia pro Anno Biſſextili* 1652. *Illuſtriſsimi &
Reuerendiſsimi Fratris Maſſai Vitalis, Epiſcopi Mantuani, iuſſu
editus*: in quo eadem illa die ſic habetur: *Anſelmi, Epiſcopi &
Confeſſoris, Mantuanæ Vrbis Magni Protectoris, & Patroni Ma-
ximi: cuius Sacrum Corpus integrum ſub Altari Maiori Cathe-
dralis noſtræ ſpectabile ſeruatur, ornatu, totiuſquè Populi incredi-
bili veneratione, concurſu: duplex. Omnia vt in eius Officio par-
ticulari nouem Lectionum* &c. B

V. Quemadmodùm verò Gregorij Papæ Septimi Cauſa, pro qua ille
tam egregiè ac feliciter etiam poſt mortem dimicauit, vna fue-
rit eademquè cum illa, pro qua Herlembaldus etiam noſter vi-
tam denique cum ſanguine profudit: hoc profectò tam mani-
feſtum eſt ex ijs, quæ dicta ſunt hactenùs, vt ſuperuacaneum
planè ſit aliam præterea probationem huc afferre.

## *CAPVT LXXII.*

*Victor Papa Tertius, Gregorio Septimo ſubſtitutus, in Synodo Beneuen-
tana Guibertum Antipapam & alios nonnullos anathematizat,* C
*Laicaſquè damnat Eccleſiarum inueſtituras.*

I. GRegorius Papa Septimus, vt Capite 69. diceba-
mus, ad Cæleſtem Patriam migrauit Anno
Chriſti Domini ſupra Milleſimum octuageſi-
mo-quinto, vigeſima-quinta Maij die. Cum-
què diu poſtea multumquè Catholicæ Partis
Cardinales laboraſſent, vt eius Succeſſor elige-
retur; electus denique fuit, quem vnicè optabant, Deſiderius,
Abbas Caſsinenſis, ac Sanctæ Eccleſiæ Romanæ Cardinalis; D
idemquè Annò Sæculi eius octuageſimo-ſeptimo, nona Maij
die, conſecratus in Vrbe Roma, & Victoris Tertij nomine ap-
pellatus; vt luculenter oſtendit Baronius ad Annos eiuſdem
Sæculi octuageſimum-ſextum & octuageſimum-ſeptimum è
Leonis Oſtienſis Chronico Caſsinenſi.

II. Eodem verò teſte luculentiſſimo ea item nobis conſtant, quæ
nouus idem Pontifex in Beneuentana deinde Synodo illa decre-
uit.

uit. Libro enim 3. Capite (ſecundùm Laureti editionem, quam A
ego ſequor) 70. ſic ille narrando proſequebatur; *Præfatus au-
tem Victor Papa Tertius, Vrbem egrediens, venit ad hoc Mo-
naſterium: ſociatiſquè ſibi Epiſcopis & Cardinalibus Eccleſiam
Sancti Nicolai in Pica ſolemniter dedicauit: menſe autem Augu-
ſto, Synodum celebrare cum Epiſcopis Apuliæ & Calabriæ necnon
Principatus ſtatuens, Beneuentum perrexit. In qua videlicet idem
Apoſtolicus præſidens ait: Noſcit dilectio veſtra, Chariſsimi Fra-
tres & Coepiſcopi, omni etiam Orbi non latuit, Sancta Romana
& Apoſtolica Sedes, cui Deo auctore deſeruio, quot aduerſa per-
tulerit, quot denique per Simoniacæ hæreſeos trapezitas malleis cre- B
briſquè tunſionibus ſubiacuerit; adeò, vt Columna Dei viuentis
videretur iam penè concuſſa nutare, & Lagena Summi Piſcatoris
procellis intumeſcentibus cogeretur in naufragij profunda ſubmergi.*
III. *Guibertus enim Hæreſiarcha (qui, viuente ſanctæ memoriæ Prædeceſ-
ſore noſtro Papa Gregorio, Romanam inuaſit Eccleſiam) Præcur-
ſor Antichriſti & Satanæ effectus, non ceſſat Oues Chriſti concul-
care, & occidere, & dilaniare. Irritator enim perſecutor exagge-
rator & accenſor iniuriarum Papæ Gregorij factus, quantas cala-
mitates, quantas tribulationes, & quantas perſecutiones ei intulerit,
referre quis valeat? Conſpirationes & coniurationes aduersùs eum C
excitauit, Vrbe fugauit, Sacerdotio periurus ipſe ac Simoniacus,
quantùm ad ſe fuit, priuauit: atque contra eum Romanum Impe-
rium Gentes & Regna commouit: &, quod à ſæculo non eſt audi-
tum, ipſe excommunicatus & damnatus eumdem Sanctum Ponti-
ficem excommunicare præſumpſit: & Romanam Vrbem hactenùs
ſacrilegijs, homicidijs plurimis, conſpirationibus, flagitijs, & om-
nibus vitiorum & criminum ludibrijs deturpare non deſiſtit: &
Simonis Magi munitus perfidia, ipſiuſquè officina factus, nequitia-
rum ſuarum Complices ad tam impijſſimum & execrabile facinus
euocans, Imperatoriſquè Exercitum congregans, Apoſtolicæ Sedis in- D
uaſor eſt factus: contra præcepta Euangelica, contra Prophetarum
& Apoſtolorum Decreta, contra Canonum & Romanorum Pontifi-
cum iura, nullo Cardinalium Epiſcoporumuè præcedente iudicio,
nullo Romani Cleri approbante ſuffragio, nullo deuoti Populi fauore
adhibito, in Sancta Romana Eccleſia omnis malitiæ nequitiæ &
perditionis caput eſt factus. Sed Omnipotentis Dei clementia præ-
dictum Pontificem Gregorium poſt labores & certamina ad æternam*

*requiem*

A *requiem euocante, cùm iam vnanimi concordia Epiſcoporum, & Cardinalium, & Comprouincialium Epiſcoporum, & Cleri ac Populi Romani, noſtram paruitatem, omnibus modis contradicentem & renitentem, Apoſtolicæ Sedi præfeciſſent; non timens æterni Imperatoris iudicium, vſque nunc Chriſtum, & Oues, pro quibus ſuum ſanguinem fudit, perſequi non omittit: Idcircò auctoritate Dei, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, omni Sacerdotali officio eum ac honore priuantes, & à liminibus illum Eccleſiæ ſeparantes, anathematis vinculo innodamus.* A

IV. *Noſtis præterea, & benè noſtis, quantos dolos quantaſquè perſecutiones mihi intulerint Hugo Lugdunenſis Archiepiſcopus, & Richardus Maſſilienſis Abbas.* Tales ergo dolos & perſecutiones Victor Pontifex ſingillatim recenſet, ac denique concludit: *Vnde vobis Apoſtolica auctoritate præcipimus, vt ab eis abſtinere curetis, nec illis omninò communicetis, qui à Romanæ Eccleſiæ Communione ſua ſponte ſeiuncti ſunt; quoniam, vt Beatus ſcribit Ambroſius, qui ſe à Romana Eccleſia ſegregat, verè eſt hæreticus æſtimandus.* B

V. *Conſtituimus etiam, vt, ſi quis deinceps Epiſcopatum vel Abbatiam de manu alicuius Laicæ perſonæ ſuſceperit, nullatenùs inter Epiſcopos vel Abbates habeatur, nec vlla tali Epiſcopo ſeu Abbati obedientia exhibeatur. Inſuper ei gratiam Beati Petri & introitum Eccleſiæ interdicimus, quouſque locum, quem ſub crimine tam ambitionis quàm inobedientiæ (quod eſt ſcelus idololatriæ) cepit, reſipiſcendo non deſerit. Similiter etiam de inferioribus Eccleſiaſticis Dignitatibus conſtituimus.* C

VI. *Item ſi quis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet Sæcularium poteſtatum aut perſonarum, inueſtituram Epiſcopatus vel alicuius Eccleſiaſticæ Dignitatis dare præſumpſerit; eiuſdem Sententiæ vinculo ſe aſtrictum eſſe ſciat. Nec mirum; cùm omnes vendentes & ementes Trecenti decem & octo Patres, in Nicæno Concilio congregati, excommunicauerint, dicentes: Qui dat, & qui recipit, anathema ſit. Quando ergo tales Epiſcopos, vel Abbates, vel reliquos Clericos, non deuitatis: ſi eorum Miſſas audiatis, vel cum eis oretis; cum illis excommunicationem ſubitis. Quos quidem Sacerdotes eſſe, omninò credere non debetis.* D

VII. Hæc igitur illa ſunt, quæ præſentis inſtituti ratio depoſcebat, vt nos ex eius Synodi Actis in medium proferremus; inde ſcilicet inſpecturi,

inſpectuti, quàm conſtanter hic Pontifex veſtigia Deceſſoris ſui A
Gregorij ſit ſecutus, nec ab eis quicquàm deflexerit. Pro quibus denique ne taceri quidem à nobis illud debet, quod idem Leo Chronologus ibidem paulò pòſt addit: *Hæc igitur omnia dum omnium Epiſcoporum, in Concilio aſtantium, fuiſſent ſuſcepta iudicio, & auctoritate probata; diſſeminata continuò vbique per Orbem fuere.*

## CAPVT LXXIII.

*Victori Papæ Tertio ſuccedit Vrbanus Secundus: idemque ad Anſelmum, ex illegitimo iam legitimum Archiepiſcopum noſtrum,* B
*reſcribit de Reconciliatione lapſorum.*

I. VIctor nimirùm Papa Tertius (vt cum eodem Leone Oſtienſi loquar Capite 71.) *feliciter migrauit ad Dominum ſexto-decimo Kalendas Octobris, Anno Domini Milleſimo octogeſimo-ſeptimo.* Eidem verò ſubſtitutus eſt Anno poſtero, quarto Idus Martij, Otto Epiſcopus Oſtienſis, & Vrbanus Secundus appellatus; vt multis narrat Petrus Diaconus, Chronici Caſsinenſis, à Leone Oſtienſi ad tertium C
vſque Librum producti, Continuator, Libro nempe 4. Cap. 2. De quo quidem Vrbano illud in primis præmittere lubet, quod ad eumdem hunc Annum Bertholdus Presbyter hiſce verbis recenſuit: *Vrbanus ſtatim* (poſt ſui promotionem ad Pontificatum) *inſequenti die, miſſis Litteris omnibus Catholicis, & ſuam Ordinationem omnibus declarauit, & ſe in omnibus veſtigia ſui Prædeceſſoris, piæ memoriæ Gregorij Papæ, obſeruaturum denunciauit.*

II. In hunc verò eumdem Annum 1088. Baronius Articulo 26. ſic etiam tradebat: *Eodem tempore, cùm iam defuncto ſchiſmatico Archiepiſcopo Mediolanenſi* (Thedaldo) *in locum eius, vt dictum* D
*eſt ſuo loco* (quem locum ego quoque obſeruabam Capite 70. Num. 3.) *Anſelmus Catholicus ſuffectus fuiſſet; Vrbanus Papa pro reſtituenda collapſa Eccleſia Mediolanenſi ſollicitus collaborat: Cuius ad Anſelmum eumdem apud Iuonem* (Parte ſexta, Capite 406.) *Reſcriptum extat de Reconciliatione lapſorum, his verbis: Diſcretioni noſtræ videtur, quatenùs ſecundùm præcepti noſtri tenorem, quando ſecundùm Eccleſiæ veſtræ morem ſacros daturus*

*quibuslibet alijs Ordines, benedicere cœperis: eos, quos tua duxerit ſolertia reconciliandos, inter benedicendum & manus imponendum facias intereſſe: quibus cætera omnia Conſecrationis inſtrumenta, præter unctionis, explebis: & ſic ad ſancta miniſteria reconciliabis.* Quibus Vrbani Papæ verbis Baronius hæc item ſubdebat: *Hæc Vrbanus ad Anſelmum, nauiter ad reſtituendam illam Eccleſiam laborantem.* A

III. Tale igitur Reſcriptum Baronius præſenti Anno 1088. datum eſſe credidit: & ea præſertim ductus opinione; quia ipſum quoque Anſelmum Archiepiſcopum noſtrum exiſtimaret ab electionis ſuæ initio Catholicum fuiſſe, contraquàm Sigonio ac nobis videretur Capite illo 70. Numero 4. & 5. Atquì ne propterea quidem opinione noſtra quicquam repugnat, quominùs illud hoc ipſo etiam Anno datum ſit, vel dari ſaltem potuerit; quippecùm ne repugnet quidem aliquid, quominùs Anſelmus hic noſter tunc temporis ad Communionem Catholicam receptus & in Archiepiſcopum approbatus iam eſſet. Quòd ſi fortè curioſo Lectori ne hoc quidem ſatisfacit; illud ſaltem interim ſatisfaciat, quòd Baronium ſequi propterea maluerimus; quia nihil alioqui certum ſuppetebat de Anno, quo præcisè illud datum eſſet. B C

## *CAPVT LXXIV.*

*Vrbanus Papa Secundus anathema renouat in Guibertum Antipapam, & Henricum Regem, ipſorumquè fautores.*

I. QVò frequentiùs renouata contuemur eiuſmodi anathemata, eò ſanè iuſtiorem atque ſanctiorem par eſt agnoſcamus Cauſam, pro qua Herlembaldus quoque noſter & Arialdus vitam profuderunt, proptereaquè martyrij coronam conſecuti ſunt: & hæc quidem vera & propria eſt ratio, cur eorumdem anathematum mentionem præſenti Libro identidem inſeramus. D

II. Bertholdus ergo Presbyter Conſtantienſis Anno 1089. geſta narrans Papæ huius Vrbani, & ex Epiſtola Synodali, quàm ipſe decimo-quarto Kalendas Maij ad Gebehardum ſcripſit Conſtantienſem, ſic etiam habet: *Sententiam quoque anathematis,*

*à*

*à Prædeceſſore ſuo Gregorio promulgatam, ea diſcretione confirmauit, vt in primo gradu Rauennatem Hæreſiarcham cum Henrico Rege anathematizaret; in ſecundo gradu eorum fautores, qui eiſdem armis, pecunia, conſilio, obedientia fauerent, quique ab eiſdem & ab eorum fautoribus Eccleſiaſticos Ordines & honores acciperent. In tertio autem gradu eorum communicatores poſuit. Quos etſi non excommunicaret; adeò tamen eos externa communione commaculatos aſſeruit, vt in Catholicam ſocietatem ſine abſolutione & pœnitentia recipi non deberent; videlicet qui excommunicatis ſalutatione, oſculo, oratione, conuictu, & ignoranter communicaſſent. Ordinatos verò in excommunicatione, ſed non Simoniacè, ab Epiſcopis quondam Catholicè ordinatis, vt in adepto Ordine perſiſterent ſine promotione, permiſit; ſi tamen hoc eorum probitas & Eccleſiæ vtilitas flagitare videretur. Aliquantùm etiam ad ſuperiores Ordines promoueri conceſſit; ſed hoc rariſsimè, & ſumma cum neceſsitate.* Talia Bertholdus, & ex eo Baronius etiam eodem Anno 1089. Articulo 1. & 2.

III. Sed hic etiam vnà cum ipſo deinde Articulo 10. recitare mihi lubet ex eodem pariter Bertholdo illud, quod ad eumdem Annum ſic habet: *Bonizo, pia memoriæ Sutrienſis Epiſcopus, ſed inde pro fidelitate Sancti Petri iamdudum expulſus, tandem poſt multas captiones, tribulationes, exilia, à Placentinis Catholicis pro Epiſcopo recipitur; ſed à Schiſmaticis eiuſdem loci, effoſsis oculis, & truncatis omnibus penè membris,* MARTYRIO CORONATVR. Quali ſcilicet coronatum iam diximus Arialdum quoque noſtrum Alciatum.

## *CAPVT LXXV.*

*Idem Vrbanus Papa incontinentiam Clericorum, & Laicas Eccleſiarum inueſtituras damnat in Synodo Melphiæ.*

I. SYnodi huius mentionem Baronius ad Annum Chriſti Milleſimum nonageſimum Articulo 2. facit è Chronico Romualdi, Archiepiſcopi Salernitani, ab his verbis: *Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo nonageſimo, Indictione decima-tertia, menſe Septembris, Vrbanus Papa Synodum celebrauit in Ciuitate Melfiæ.* Synodi verò eiuſdem

Acta recitat è Vaticano & ex Antonij Auguſtini Codice manu- A
ſcripto.

II. Quibus quidem in Actis ſic etiam legitur Numero 2. *Sacrorum Canonum inſtituta renouantes, præcipimus, vt à tempore Subdiaconatus nulli liceat carnale commercium exercere. Quod ſi deprehenſus fuerit; Ordinis ſui periculum ſuſtinebit.* Et Num. 3. *Nemo præterea ad Sacrum Ordinem permittatur accedere, niſi aut virgo aut probatæ ſit caſtitatis; & qui vſque ad Subdiaconatum vnicam & virginem vxorem habuerit.*

III. Deinde autem Num. 8. *Illud ſummoperè, & Apoſtolicæ auctoritatis priuilegio, prohibentes interdicimus, vt nullus in Clericali Ordine* B
*conſtitutus, nullus Monachus, Epiſcopatus aut Abbatiæ aut cuiuſlibet Eccleſiaſticæ Dignitatis inueſtituram de manu Laici ſuſcipere audeat. Quod ſi præſumpſerit; depoſitione mulctetur.*

IV. Et rursùs Num. 12. *Porrò eos, qui in Subdiaconatu vxoribus vacare voluerint, ab omni Sacro Ordine remouemus, officio atque beneficio Eccleſiæ carere decernimus. Quòd ſi, ab Epiſcopo commoniti, non ſe correxerint; Principibus licentiam indulgemus, vt eorum fœminas mancipent ſeruituti. Si verò Epiſcopi conſenſerint eorum prauitatibus; ipſi officij interdictione mulctentur.* Hæc Vrbanus Papa Secundus inter Melfitani eius Concilij Decreta. C

## CAPVT LXXVI.

*Idem Vrbanus Papa renouat anathema contra Guibertum Antipapam, & eius complices.*

I. Paucis hoc ipſum verbis Bertholdus perſtringit Conſtantienſis ad Annum Chriſti Milleſimum nonageſimum-primum, his nempe: *Vrbanus Papa Generalem Synodum Beneuenti collegit: & Sententiam anathematis ſuper Gui-* D
*bertum Hæreſiarcham & omnes eius complices Synodali iudicio confirmauit.*

✠

CAPVT.

## *CAPVT LXXVII.* A

*Archiepiſcopo noſtro Anſelmo ſubſtituitur Arnulphus, qui tamen ab initio legitimè non conſecratur.*

I. ANNO Domini Milleſimo nonageſimo-tertio
mortuum eſſe Anſelmum Archiepiſcopum
noſtrum, de Sede Apoſtolica eiuſquè Fideli-
bus optimè meritum, eiquè ſubſtitutum eſſe
Arnulphum, aliter Arnoldum: id iam præco-
gnouimus Capite 70. ad finem Numeri 5. è
Bertholdi Conſtantienſis teſtimonio, ibidem ad verbum recita- B
to. Non igitur ille obierat, hic autem illi ſucceſſerat Anno an-
teriore, vt Carolus Sigonius, de Regno Italiæ ſcribens, compu-
tauit. Ad Annum enim Milleſimum nonageſimum-ſecundum
hæc ille: *Eodem Anno, Anſelmo, Archiepiſcopo Mediolanenſi,
vita functo, Populus Arnulphum ſubſtituit, ex Porta Orientali
Capitaneum.*

II. Sed ne in eo quidem nobis placet Sigonius, quod illicò ſubdebat:
*Quem Henricus, vt conſueuerat, per Annulum & Virgam inſti-
tuit.* Hoc vtique in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis Nume-
ro 282. ſuſpectum erroris ego arbitrabar; ea motus coniuratio- C
ne, quam Mediolanenſes eodem teſte Bertholdo (vt nuper
etiam Capite 70. Num. 5. memorabatur) eodem Anno ante
Anſelmi obitum inierant contra Henricum in viginti annos, &
in qua poſtmodùm conſtanter perſeuerarunt. Nunc verò illud
ipſum ego manifeſtum erroris dicere auſim; & hoc quidem,
cùm propter coniurationem illam, conſtanter ſeruatam; tum
etiam propter Apoſtolicum anathema, toties iam contra Laicas
Eccleſiarum inueſtituras, & tam contra eos qui acciperent
quàm qui darent, renouatum, & à Mediolanenſibus debita re-
ligione æſtimatum, Quoniam igitur Arnulphus à Populo Me- D
diolanenſi fuerat in Archiepiſcopum electus; idcircò ne credi
quidem à me poteſt Dignitatis eiuſdem inueſtituram deinde
ab Henrico Rege, toties iam propter eiuſmodi etiam inueſtitu-
ras excommunicato, & à Mediolanenſibus etiam ipſis deteſta-
to ac repudiato, accepiſſe.

III. Non idem tamen Arnulphus legitimè tunc conſecratus fuit.
Cauſamquè Sigonius ibidem hanc reddit: *Is inde, cùm ab vno
tantùm*

*tantùm Catholico Epiſcopo eſſet conſecratus, cæteris, quòd abſtenti* A
(ſeu excommunicati) *eſſent, aſſentientibus, verùm manum non*
*imponentibus; eo nomine à Legato Apoſtolicæ Sedis eſt abdicatus.*
*Itaque mutato habitu in Cœnobium ſe incluſit, ibiquè honeſtiſſimam*
*vitam inſtituit.* Qua ſcilicet vitæ honeſtate hoc etiam prome-
ruit, vt Romani Pontificis iuſſu poſtea ritè ac legitimè conſe-
craretur Anno Domini Milleſimo nonageſimo-quinto; ſicut
etiam nos infra ſuo tempore oſtendemus.

IV. Cæterùm Anſelmus ille noſter Archiepiſcopus, vt in manuſcripto
Beroldi noſtri Catalogo legitur, *Sedit annos ſeptem, menſes quinque,*
*dies quatuor: Obijt pridie Nonas Decembris: Sepultus eſt in Baſilica* B
*Apoſtolorum.* Quæ nimirùm communiter hoc tempore Baſilica
nuncupatur Nazariana. Certè autem ſi totum illud temporis
ſpatium, quo ſediſſe dicitur hic Anſelmus, ad calculos benè re-
digatur; incœpiſſe comperietur à Calendis Iulijs Anni ſupra
Milleſimum octuageſimi-ſexti; cùm alioqui ſuperiore Anno
Thedaldus, eius Deceſſor, obijſſet circiter vigeſimam-quintam
Maij vel Iunij diem; vt ex adnotatis Capite 70. Num. 2. col-
ligi poteſt.

## *CAPVT LXXVIII.* C

*Idem Vrbanus Papa in Synodo Placentina incontinentiam & Simoniam Clericorum damnat, & in Guibertum Antipapam eiuſquè complices renouatum rursùs anathema promulgat.*

I. PRO. Synodo hac Placentina eiuſquè Actis non
alium ego adhuc vidi teſtem, Bertholdo Con-
ſtantienſi luculentiorem atque probatiorem.
II. Nonageſimo-quinto ſupra Milleſimum cele-
brata fuit Anno: & ad eum propterea inter cæ-
tera ſic ille: *Dominus Papa, Deo & Sancto* D
*Petro proſperante, iam penè vbique præualuit: & in medio Longo-*
*bardiæ, in Ciuitate Placentina, inter ipſos Schiſmaticos & contra*
*ipſos, Generalem Synodum condixit: ad quam Epiſcopos Italiæ,*
*Burgundiæ, Franciæ, Alemanniæ, Baioariæ, aliarumquè Prouin-*
*ciarum, Canonica & Apoſtolica auctoritate miſſis Litteris conuoca-*
*uit. Facta eſt autem hæc Synodus circa mediam Quadrageſimam*
*Placentiæ: ad quam Synodum multitudo tam innumerabilis conflu-*
*xit,*

*xit, vt nequaquàm in qualibet Eccleſia illius loci poſſet comprehendi. Vnde & Dominus Papa extra Vrbem in Campo illam celebrare compulſus eſt.* Et aliquantò pòſt: *In hac Synodo quatuor millia ferè Clericorum, & pluſquam triginta millia Laycorum fuiſſe perhibentur.* A

III. Quòd verò ad eiuſdem Synodi Decreta pertinet, idem Bertholdus illic alijs hæc item connumerat: *In hac quoque Synodo hæreſis Simoniacorum penitùs damnata eſt: vt, quidquid in Sacris Ordinibus & in Eccleſiaſticis rebus data & promiſſa pecunia acquiſitum Simoniacè videretur, pro irrito haberetur, nullaſquè vires habuiſſe & habere iudicaretur* &c.

IV. *Item hæreſis Nicolaitarum, id eſt, incontinentium Subdiaconorum, Diaconorum, & præcipuè Sacerdotum, irretractabiliter damnata eſt: vt deinceps de Officio non ſe intromittant, qui in illa hæreſi manere non formidant: nec Populus eorum Officia vllo modo recipiat; ſi ipſi Nicolaitæ contra hæc interdicta miniſtrare præſumant.* B

V. *Item in Guibertum Hæreſiarcham, Sedis Apoſtolicæ inuaſorem, & in omnes eius complices, Sententia anathematis Synodali iudicio cum ardentibus candelis iterùm promulgata eſt.*

## CAPVT LXXIX.

*Idem Vrbanus Papa Mediolanum venit, atque inter alia nonnulla Herlembaldum Catalogo Sanctorum Martyrum adſcribit, eumquè priori è tumulo in alterum transfert honeſtiorem.* C

I. QVatuor illæ in Longobardia Ciuitates, quas ego Capite 70. Num. 5. è Bertholdi Chronico nominabam, Mediolanum, Cremona, Lauda, Placentia, ſicut Anno ſupra Milleſimum nonageſimo-tertio contra Henricum Regem in viginti Annos, ſic etiam contra Guibertum Antipapam eiuſquè fautores, viceque ſic etiam in contrarium verſa pro legitimo Pontifice Vrbano Secundo eiuſquè fautoribus coniurauerant, & in coniuratione conſtantes perſiſtebant. Cùm igitur Synodum Placentiæ Vrbanus, tamquàm in Vrbe ſibi addictiſſima fideliſſimaquè, celebraſſet; eadem poſtea ſecuritate Mediolanum inde venit. D

II. Triſtanus ergo Chalcus Hiſtoriæ Patriæ Libro 7. de hac Synodo

Placentina

Placentina locutus, Hiſtoriam ita proſequebatur: *Septimo die, compoſitis ex dignitate rebus, & alijs aliò abeuntibus*, VRBANVS MEDIOLANVM, ET INDE COMVM DIVERTIT. A

III. Similiter Carolus etiam Sigonius, Hiſtoriarum de Regno Italiæ Libro 9. ad Annum Chriſti 1095. poſteaquàm de Placentina illa Synodo ſcripſiſſet, de ipſomet Vrbano Papa ſic addit: *Inde Mediolanum progreſſus, Arnulphum Archiepiſcopum* (de quo nos agebamus Capite 77.) *è Cœnobio euocauit: ac præſidere Eccleſiæ iuſſum, inſuper etiam Pallio decorauit; atque ita Eccleſiam Mediolanenſem Romanæ poſt tot Annos reſtituit. Quo facto, inde ipſos etiam Ciues, iamdiu acriter ſuperioris contumaciæ cauſa inter ſe* B *decertantes, ad concordiam pacemquè redegit. Cæterùm Mediolanenſes, Vrbani auctoritate victi, veteribus poſitis ſimultatibus, in gratiam tanta animorum facta mutatione redierunt, vt Nobiles ac Populares oſcula inter ſe per fora ac vias, manantibus præ gaudio lachrymis, darent.* Talia Sigonius. In quibus illud in primis admitto lubens, quod aſſeruit, Vrbanum Papam hoc Anno ex Vrbe Placentia veniſſe Mediolanum. Atqui non ſatis video, quàm verè nunc Vrbanus Eccleſiam Mediolanenſem poſt tot Annos Romanæ reſtituerit. Ea quippe ſemetipſam illi tandem reſtituerat ſuperiore Anno Domini ſeptuageſimo-ſeptimo, vt C Capite 63. iam vidimus; nec aliud ea quidem profitebantur & Vrbis & Anſelmi Archiepiſcopi noſtri geſta; de quibus iam dictum eſt Capite 70. Num. 5. Itaque ne ſatis quidem intelligere poſſum, quomodò nunc etiam idem Pontifex ipſos etiam Ciues noſtros, iamdiu acriter ſuperioris contumaciæ cauſa inter ſe decertantes, ad concordiam pacemquè redegerit. Non enim aliam Sigonius ſuperiorem innuit contumaciam, quàm illam, qua nonnulli Ciuium noſtrorum contra Sedis Apoſtolicæ iudicium fauerant Henrico Regi; & ab eo dandum ſibi eſſe Archie- D piſcopum pertinaciter atque per ipſius etiam Herlembaldi cædem contenderant. Nonne verò per nos manifeſtum iam eſt, eam ipſam dudùm ab illis depoſitam eſſe? Nos igitur in præſenti Vrbanum agnoſcemus noſtrorum pacificatorem Ciuium ea potiùs ratione; quia veteres aliquas & graues eorumdem inimicitias, aliunde conceptas, opera & auctoritate ſua iam tandem extinxerit; & ex eo præſertim conceptas Statuto, Popularium vitæ tam pernicioſo, de quo dictum iam eſt Capite 13. Num. 1.

Num. 1. Sed hinc ad Bertholdi Conſtantienſis teſtimonium A
progrediamur.

IV. Hoc etiam profectò teſte Vrbanus ex Vrbe Placentia veniſſe nunc
Mediolanum videtur. Anno enim 1095. id reliquit teſtatum:
*Huic Synodo* ( Placentinæ ) *Reuerendiſſimi Antiſtites interfuerunt:
de Baioaria quidem Dimo Saltzburgenſis Archiepiſcopus, &
Vdalricus Patauienſis Epiſcopus, eius Suffraganeus: de Alemannia
verò Gebehardus Conſtantienſis Epiſcopus: qui & Arnulfum*
( Anno 1093. hunc nominauerat Arnoldum, ſicut etiam nos vidimus
ſuperiore Capite 70, Num. 5.) *Mediolanenſem Archiepiſcopum,
diu quidem electum, ſed nondùm conſecratum* ( qua de re B
nos iam diximus Capite 77. Num. 3.) *eodem tempore ex conceſſione
Domini Papæ* ( ſicut ego interpretor, hac in Vrbe præſentis)
*Mediolani conſecrauere.*

V. Præcipuum Capitis huius ſcopum nunc attingimus, & lætiſſimi ſanè;
quippe cùm ex propinquo iam tandem apertiùs recognoſcamus
Herlembaldum noſtrum Sanctis Martyribus ab Vrbano
Papa ritè ac legitimè connumeratum, & ſolemniter translatum
è priori abiectoque tumulo ad honeſtiorem, veroquè Chriſti
Martyri congruentem.

VI. Hæc vtique nobis huius Operis Libro 1. Capite 2. Num. 9. teſta- C
batur, veteriquè comprobabat ipſius Herlembaldi Epitaphio
Auctor eorum ad Hiſtorias Landulphi Senioris Additamentorum
marginalium, quæ illic recitauimus: & his quidem ( quæ
hoc item loco ad commodius & accuratius examen repetere
iuuat) teſtabatur & comprobabat verbis: *Verſus ſuper Sepulchro*
(illo videlicet honeſtiore, in quo proximè collocatus ab Vrbano
Papa fuit) *Herlembaldi in Sancto Dionyſio*: QVEM SANCTORVM
MARTYRVM CATALOGO ANNOTAVIT
VRBANVS SECVNDVS, QVI CVM ARNVLPHO ARCHIEPISCOPO
MEDIOLANI CORPVS EIVS TVMV- D
LAVIT MILLESIMO NONAGESIMO-PRIMO ( ſed verè
nonageſimo-quinto ) QVIA IPSE HERLEMBALDVS, VEXILLIFER
ECCLESIÆ AC TVTOR, AB ADVERSARIIS
RATIONE ECCLESIÆ OCCISVS EST:

*Hic Herlembaldus, Miles Chriſti reuerendus,*
*Occiſus tegitur, qui Cæli ſede potitur.*
*Inceſtus reprobat, Simonias & quia damnat;*

*Hunc Veneris ſerui perimunt, Simoniſquè maligni.* A
*Vrbanus, Summus Præſul, dictuſquè Secundus,*
*Noſter & Arnulphus, Paſtor pius atque benignus,*
*Huius membra Viri tumulant tranſlata Beati.*

VII. Hoc ipſum verò Epitaphium nos eodem noſtro Libro Primo, Capite 4. Num. 5. vidimus ita prorsùs à Gualuaneo etiam Flamma recitatum, & his verbis præmunitum: *De Hernebaldo* (ſic enim eum nominat) *Cotta dicit Chronica Leonis, quòd fuit Sanctus, & inter Martyres connumeratur: qui paſſus eſt mortem propter iuſtitiam; eo quòd ſemper Sacerdotes Simoniacos, & Clericos vxoratos, quos Eccleſia condemnauerat, conſtanter fuerit perſecutus vſque ad mortem.* B Ibidem verò mox Gualuaneus Hernebaldo perperam tribuerat, quæ verè ſunt Arialdi; cùm pariter à vero aberrans ſic adiecit: *Quod* (Hernebaldi Corpus) *Alexander Papa* (qui tamen, vt iam vidimus Capite 36. & 58. aliquandiu obierat ante, quàm Hernebaldus) *in Eccleſia Sancti Dionyſij recondidit* (ecce verò locum, in quo illud verè conditum fuit; ſed ab Vrbano, non autem ab Alexandro Papa) *in nauello murato in pariete, vbi eius Paſſio depicta eſt. Vbi ſunt iſti Verſus.* Poſtquàm igitur eos ad verbum recitaſſet; ecce nobis alterum item ipſius errorem. Inquit enim: *Vbi nota, quòd Alexander eum ſepeliuit in Monaſterio Sancti Dionyſij; ſed Vrbanus Papa de Criuellis tranſtulit.* C Vt enim iam diximus, minimè verò Alexander Papa eum ſepeliuit; ſed ne Vrbanus quidem Papa, cognomento Cribellus, Ciuiſquè noſter Mediolanenſis, eum tranſtulit. Eum enim verè tranſtulit Vrbanus, huius nominis Secundus, vt ex ipſomet etiam Epitaphio conſtat; non autem Tertius, qualis fuit Cribellus ille, ac multis poſterior Annis. Pontifex enim creatus hic fuit Anno Domini Milleſimo centeſimo octuageſimo-quinto, ſeptimo Kalendas Decembris; Annoquè poſtea octuageſimo-ſeptimo mortuus eſt decimo-tertio Kalendas Nouembris; D ac præterea interim Archiepiſcopi titulum Mediolanenſis retinuit; vt ego quoque in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis commonſtrabam Numero 605. Quocirca nec interim vllus hìc erat Archiepiſcopus, nomine Arnulphus, qui ſimul cum eodem Papa transferre poſſet Hernebaldi Corpus, quemadmodùm in eodem illo affirmatur Epitaphio.

VIII. Quòd autẽ Sacrũ Herlembaldi Corpus ab Vrbano Papa Secũdo

verè

verè fuerit ſepultum ad Sancti Dionyſij Eccleſiam & Monaſterium: quodquè collocatum illic fuerit in nauello, ſiue in vaſe ac conditorio, parieti conſito, vbi martyrium quoque ipſius pigmentis expreſſum eſſet: hæc profectò ab alijs etiam teſtata iam vidimus eodem Libro 1. Capite 3. & 6. Ferream illud vrnam, vſque ad ſua tempora illic extantē, Hieronymus Montius eodem noſtro Libro 1. Cap. 13. appellabat. Bernardinus autem Corius Capite 9. arcam nominauerat, ferreis laminis circumdatam. A

IX. Vt ergo Herlembaldum pro vero Sanctoquè Chriſti Martyre credere pariter ac venerari liceat, en habemus etiam Sedis Apoſtolicæ iudicium, & hac quidem in parte infallibile; vt benè docuit etiam Robertus Cardinalis Bellarminus Libro 1. de Sanctorum Beatitudine, Capite 9. Vt autem paulò planiùs hoc ipſum explicetur, quàm ſapienter factum ſit, bina inſuper huc afferre lubet teſtimonia, quæ ſequuntur. B

X. Primum eſt Sancti Ennodij, Ticinenſis Epiſcopi, à Baronio Cardinali obſeruatū & aliorum teſtimonijs corroboratum Anno 502. Art. 13. his verbis: *De enecatis autem* (hoc eſt, à Schiſmaticis, contra Symmachum Papam coniuratis, & eum è Papatu deijcere conantibus, de quibus proximè dixerat) *idem Ennodius hæc habet in alia Epiſtola, ad eumdem Fauſtum conſcripta* (ſecundùm Pariſienſem verò Iacobi Sirmundi editionem decima eſt Libri 2. ſecundùm alteram verò Andreæ Schotti Tornacenſem eſt decima-quarta) *Sed iſta* (*inquit*) *magis illis cum lachrymoſo gaudio dixi, quos aut effuſus ſanguis Albo Curiæ Cæleſtis adſcripſit, aut clara confeſſio: qui ſecundis confirment primordia noſtra ſucceſſibus. Hæc ipſe. Quibus declarat, necatos in hoc ſchiſmate* (quia ſcilicet pro Symmacho ſtarent) *martyrij dignos fuiſſe corona: & illos gloria confeſſionis nobilitatos, qui aliquid ea de cauſa paſſi eſſent: ſecundùm illam Magni Dionyſij, Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopi, ſuo loco ſuperiùs recitatam ſententiam, hic autem opportunè repetendam, quæ ait: Oportebat omnia incommoda pati potiùs, quàm Eccleſiæ Dei diſcidiſſe concordiam. At illud martyrium, quod quis patitur, ne dirimatur Eccleſiæ confeſſio, non minus certè, ſed multò plus, meo quidem iudicio, habet commendationis, quàm illud, quod ſuſcipitur, ne Idolis omninò immoletur. Hæc Dionyſius. Scimus etiam* (*quod ſuo loco ſuperiùs dictum eſt*) *Conſtan-* C D

*tinopolitanam Eccleſiam necatos Clericos à Schiſmaticis tempore* A
*Sancti Ioannis Chryſoſtomi aquè vt Martyres coluiſſe: cuius probaſſe conſtat iudicium vniuerſam Eccleſiam Catholicam eoſdem Martyres pariter venerantem*. Hactenùs Baronius. Hæc ipſa verò reperit etiam in Notationibus ad Martyrologium Romanum die 19. Iulij, ad prædicti Sancti Symmachi Papæ mentionem: vbi etiam indicat diem, quo tales illi Martyres ab Eccleſia Conſtantinopolitana colerentur. Sic etiam nonnihil habet in eamdem ſententiam die 19. Aprilis, ad Sancti Epiſcopi & Martyris Elphegi mentionem.

XI. Secundum generis huius teſtimonium eſt Sanctorum Brunonis B
Epiſcopi Signienſis ac Leonis Papæ Noni, & hoc diuina etiam reuelatione confirmatum. Bruno ipſe tempore floruit Gregorij Papæ Septimi, ac tandem obijſſe traditur Anno Domini Millesimo centeſimo vigeſimo-tertio, poſteaquàm Eccleſiæ Signienſi quatuor & quadraginta præfuiſſet Annos. Litteraria tamen eius Opera ſuperiore tantùm Anno Milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo-primo, Venetis Bettanorum typis edita, & in duos diſtributa Tomos, prodierunt in lucem ſtudio & labore Domni Mauri Marcheſij, Caſinenſis Decani: cui quidem nonnihil ego quoque ac lubentiſsimus adlaboraui. Cùm enim in- C
ter innumeros Ambroſianæ Bibliothecæ Codices manuſcriptos inueniſſem Brunonis eiuſdem Commentarios in Apocalypſim, conſcriptamquè ab ipſo Leonis Papæ Noni Vitam; vtrumque hoc Opus, quod eidem Patri Mauro deërat, egomet cum bona Conſeruatorum eiuſdem Bibliothecæ venia fideliſſimè exſcripſi; exſcriptumquè ad ipſum, à quo pariter ac à Patre Conſtantino Caietano fueram rogatus, tranſmiſi; & hoc ne ipſe quidem de Commentatijs illis tacere voluit circa medium Hiſtoricæ ſuæ Diſſertationis, quam vniuerſis eiuſdem Sancti Brunonis
Operibus præmiſit. Ipſius ergo beneficio publicè legere iam D
licet eos in Apocalypſim Commentarios in Primo Tomo, è pagina 375. in Secundo autem illam Sancti Leonis Papæ Noni Vitam, è pagina 146. è qua quidem Vita teſtimonium iam tandem illud depromimus, quod proximè pollicebamur. In ea enim circa medium hæc habentur: *Cùm autem Beatus Leo Romæ eſſet, & Sedem Apoſtolicam in pace rexiſſet; multi ex Apuliæ finibus veniebant oculis effoſſis, naribus abſciſſis, manibus pedibuſquè truncatis,*

tis, de Normanorum crudelitate miſerabiliter conquerentes. Vnde A
factum eſt, vt Vir mitiſſimus, pietate ac miſericordia plenus, illi
tum immenſæ miſerorum afflictioni compatiens, illius gentis ſuper-
biam conaretur humiliare. Collecto igitur modico quidem, ſed for-
tium militum, ſuæ gentis Exercitu, ſuper Normannos præliaturus
vadit: zelum quidem Dei habens, ſed non fortaſsè ſecundùm
ſcientiam. Vtinam non ipſe per ſe illuc iuiſſet, ſed ſolummodò illuc
Exercitum pro iuſtitia defendenda miſiſſet. Sed quid multa? Con-
ueniunt vtriuſque partis Exercitus, multi cum paucis pugnaturi.
Fit cædes immenſa, multus hinc & inde ſanguis effunditur. Iſti
fortitudine, illi multitudine inſtant. Poterant iſti dicere in morte B
ſua, quod Saluatorem noſtrum dixiſſe legimus in Paſſione ſua: Non
haberent in nos poteſtatem, niſi datum eis fuiſſet deſuper. Sed quid
eſt hoc, quòd boni vincuntur, & mali vincunt? O altitudo diui-
tiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! Quàm incomprehenſibilia ſunt
iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! Superantur illi, qui pro
iuſtitia pugnant (quod vtique ſimiliter factum eſt etiam in Her-
lembaldo eiuſquè Commilitonibus) ſuperant illi, qui iuſtitiam
impugnant. De talibus tamen Apoſtolus nos conſolatur, dicens:
Scimus, quòd diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.
Siue moriantur, ſiue viuant, bonum eſt illis. Quicquid eis acci- C
dat, bonum eſt illis. Omnia eis cooperantur in bonum: & melius
quidem mors, quàm vita talibus operatur. Pretioſa eſt enim in
conſpectu Domini mors Sanctorum eius. Firmiſſimè enim creden-
dum eſt, & nullatenùs dubitandum, quòd omnes, qui pro iuſtitia
moriuntur, inter Martyres collocantur. Collocat eos Dominus cum
Principibus Populi ſui. Et aliquantò pòſt: Veniens igitur Romam
(Leo ipſe Papa Nonus) ad Beati Petri Apoſtoli Eccleſiam
quantocyùs feſtinauit, ſuppliciter multumquè deuotè eorum animas
ei commendans, qui pro eius amore, ſibi vſque ad mortem obedien-
tes, pro defendenda iuſtitia proprium ſanguinem fundere non ti- D
muerunt. Cumquè ibi moraretur; per reuelationem in ſomnis oſ-
tenſum eſt illi, quòd citò de hoc Mundo exire debuiſſet. Iuſſit igi-
tur, Epiſcopos & Cardinales alioſquè Clericos vocari ad ſe: & be-
nignè ſatis hortatus eſt eos, vt caſtè viuerent, & contra Simonia-
cam hæreſim viriliter pugnarent: & ait eis: Sciatis fratres mei,
quòd poſt paucos dies ego de hoc Sæculo exiturus ſum. Hac enim
nocte ego infelix, & huius Eccleſiæ Sede indignus, per viſionem fui
in

*in illa alia vita, pro qua iam tædet me habitare in iſta vita.* A *Gaudeo verò vehementer, quòd vidi ibi inter Martyres Chriſti illos fratres & amicos meos, qui, me in Apuliam ſecuti, pro defenſione iuſtitiæ mortui ſunt. Erant autem benè ornati, palmas in manibus habentes; vt per hoc eos victores eſſe intelligant, qui eos victos eſſe putabant. Et re vera. Omne enim quod natum eſt ex Deo, vincit Mundum: & hæc eſt victoria quæ vincit Mundum, fides noſtra. Clamabant autem magna voce omnes, ad me dicentes: Veni Dilecte nobis, & mane nobiſcum; quia hanc tantam gloriam per te conſecuti ſumus. Audiui autem ex aduerſa parte alios quoſdam dicentes: Nequaquàm; ſed die tertia venies* B *ad nos. Si ergo poſt diem tertium in hac vita fuero; ſciatis, hoc non fuiſſe verum, quod vidi.* Hæc denique Leo ipſe Pontifex: qui tamen re vera ſubinde intra triduum ex hac vita exceſsit; quemadmodùm idem Bruno Signienſis Epiſcopus ibidem narrare pergit. Quocirca etiam eiuſdem Pontificis iudicio verax credi debet ea viſio. Hoc autem contra Normannos bellum à Leone Papa geſtum eſt Anno Domini Milleſimo quinquageſimo-tertio: eodemquè Anno multa Baronius de ipſo: meritiſſimequè illic etiam Petrum reprehendit Damiani (ſicut etiam poſtea fecit Robertus Cardinalis Bellarminus in Libro de Scrip- C toribus Eccleſiaſticis, de ipſomet Petro agens ad Annum Domini 1060.) quia propter idem illud bellum magis liberè, minuſquè veraciter, quàm par eſſet, Leonem ipſum reprehenderit. Per hæc igitur a nobis commonſtratum ſit etiam, quàm ſcitè ac ſapienter Sanctorum Catalogo Martyrum adſcriptus ab Vrbano Papa Secundo fuerit Herlembaldus noſter.

## *CAPVT LXXX.*

*Idem Vrbanus Papa in Claromontano apud Aruernos Concilio confirmat ſuperioris Synodi Placentinæ Decreta, rurſuſquè Laicas vetat Eccleſiarum inueſtituras, & Clericorum incontinentiam.* D

I. *DOminus Papa, rebus in Longobardia benè diſpoſitis* (Bertholdi verba ſunt, eodem Anno 1095. Hiſtoriam proſequentis, ac de Vrbano Secundo loquentis) *in Gallias marino itinere cœpit diuertere: & ad Sanctam Mariam ad Podium in Aſſumptione ipſius peruenit:. Synodumquè ad*

*Montem-*

*Montem-Clarum in Octauam Sancti Martini Apoſtolica auctori-* A
*tate condixit : ad quam diuerſarum Prouinciarum Epiſcopos miſſis*
*Litteris canonica vocatione inuitauit.*

II. Sed & poſtea eodem Anno idem Bertholdus: *In Gallijs ad Clarum-*
*Montem Synodus Generalis à Domino Papa in Octaua Sancti*
*Martini congregata eſt: in qua tredecim Archiepiſcopi cum eorum*
*Suffraganeis fuerunt, & ducenta quinque Paſtorales Virgæ nume-*
*ratæ ſunt. In hac Synodo Dominus Papa eadem Statuta, quæ in*
*præterita Synodo Placentina, confirmauit.*

III. Synodi verò huius Decreta ſingillatim & à Baroniô ad eumdem
Annum, & à Seuerino Binio in Tertij Conciliorum Tomi Par- B
te Altera enumerantur: & in ijs hæc item: *Vt nullus Eccleſiaſti-*
*corum aliquem honorem à manu Laicorum accipiat: Interdictum*
*eſt, ne Reges, vel alij Principes, aliquam inueſtituram de Eccle-*
*ſiaſticis honoribus faciant.* Et ſecundùm aliam eorumdem De-
cretorum collectionem numerantur hæc ab verbum: *Primò*
*ſtatutum eſt, vt nullus Epiſcopus, vel Abbas, vel alius è Clero*
*quiuis, Dignitatem vllam Eccleſiaſticam à Principibus Laicis &*
*Sæcularibus acciperet. Eademquè opera omnem Simoniacam re-*
*rum ſacrarum acquiſitionem vetuit. Prohibuit omnibus, in Ordi-*
*nibus Sacris conſtitutis, ne cum mulieribus, vel matrimonio con-* C
*iunctis, vel non coniunctis, conſuetudinem haberent, ſed in perpe-*
*tuo degerent cœlibatu. Quòd ſi quis fornicatione pollueretur; omni*
*Eccleſiaſtica priuari dignitate iuſſerunt.* Et hæc in præſenti pro
nobis ex eo Concilio. Cui quidem Arnulphum quoque noſ-
trum Archiepiſcopum interfuiſſe, Claudius affirmauit Rober-
tus in Secunda Parte Appendicis ad ſuam Galliam Chriſtianam:
in Catalogo videlicet Mediolanenſium Archiepiſcoporum,
Num. 79.

D

*CAPVT*

## *CAPVT LXXXI.* A

*Idem Pontifex Vrbanus Anno Domini 1096. in Concilio Turonenſi confirmat ſuorum Statuta Conciliorum. Dehinc Mediolanum reuerſus, è Concione præſtantiam Clericalis Ordinis commendat, & Simoniam redarguit.*

I. PRo Concilio quidem ipſo, & pro Vrbani Papæ in Lombardiam reditu nobis abundè ſatisfacit Bertholdus in eumdem Christi Domini Annum 1096. Ibi enim ſic habet in primis: *In tertia hebdomada Quadrageſimæ Dominus Papa* B *Synodum celebrauit cum diuerſarum Epiſcopis Prouinciarum in Ciuitate Turonenſi: vbi iterùm ſuorum præteritorum Statuta Conciliorum Generalis Synodi aſſenſione roborauit.* Deinde verò ſic etiam: *Dominus Papa, benè diſpoſitis rebus in Gallia, poſt reconciliationem Regis Galliarum* (qui fuerat ab eodem Pontifice excommunicatus) *& poſt multa Concilia, tandem in Longobardiam cum magno triumpho & gloria repedauit: & Exaltationem Sanctæ Crucis* (decima-quarta Septembris die celebrari ſolitam) *apud Hortarium propè Papiam ſolemniter celebrauit: multoſquè Epiſcopos & Principes in ſuo comitatu habuit.* C

II. Eodem igitur Septembri menſe Mediolanum etiam ille fortaſsè venit. In hoc quidem illius è Gallia reditu veniſſe Mediolanum, diſertiſſimè teſtatus eſt Landulphus ille de Sancto Paulo, ſiue Iunior, de quo nonnihil dicebam in Præfatione Libri Tertij, quiquè per hæc Vrbani tempora viuebat. In ſuarum enim Vrbis Mediolanenſis Hiſtoriarum Libro, quem ab Anno Domini 1097. vſque ad 1136. conſcripſit, cùm ad Caput 28. iam eſſet progreſſus: cumquè nonnulla è ſuperioribus ætatis ſuæ, tenerioris adhuc, annis recoleret, atque Presbyteri cuiuſdam Nazarij Muriculæ, coætanei & condiſcipuli olim ſui, mentionem D faceret; ſic inquit: *In iſto namque tempore noſtræ coæuitatis & diſcipulatus Vrbanus Papa Synodum Placentiæ celebrauit, atque de Francia Mediolanum rediuit. In qua Ciuitate cùm ipſe Papa ſtaret in pulpito Sanctæ Theclæ, immenſæ multitudini hominum vtriuſque ſexus prædicauit, & prædicando de ſua magna ſapientia protulit, quòd minimus Clericulus de Eccleſia Dei eſt maior quolibet Rege mortali. Addidit etiam, quòd Clerici & Sacerdotes*

*per*

*per pecuniam in Eccleſias non ſunt introducendi; ſed per electionem hominum, qui ſunt Eccleſiarum vicini. De quibus Apoſtolicis dictis Clericus iſte Nazarius, ingenio acutiſsimus, & Muricula cognominatus, pennas aſſumpſit, atque de ſolario ſuo ad Eccleſiam Sancti Babylæ Sanctique Romani, quæ antiquitus dicebatur* CONCILIA SANCTORVM*, ſicut Regali & Sacerdotali auctoritate volauit: & habito fauore vulgi illius vicinitatis ibi habitauit, & nouum habitaculum ædificauit, expulſis inde Sacerdotibus & Clericis, conſuetis ſeruire ipſis Eccleſijs. Ad eiuſmodi expulſionem Albinus homo de Magenta, & Ioannes Aculeus de Vicomercato, & Manfredus de Libini, homines litterati* (an fortè potiùs *illiterati?*) *& intonſi, ac plures Vrbani & Plebeiani, non habentes ſufficientiam, ſequentes partium vulgi clamores & laudes, intrauerunt Eccleſias, Beneficia quarum ſuſceperunt: & inordinati poſſederunt, donec Arnulphus de Porta Orientali, tunc temporis ſenex Eccleſiæ Mediolanenſis Archiepiſcopus, in Clauatenſi Monaſterio fuit ſepultus.* Talia Landulphus de Sancto Paulo; & à me libenter hucuſque recitata, vt intelligerentur eo geſta tempore, quo Mediolanenſi Eccleſiæ Arnulphus præerat ille, qui ſimul cum Papa Vrbano tranſtulit Herlembaldi Corpus, vt ſupra iam vidimus.

III. Eiuſdem porrò Concionis, ab Vrbano hoc Pontifice noſtra in Vrbe habitæ, mentionem facit pag. 2. folij 135. Chronicum etiam illud Flos Florum, cuius teſtimonium examinauimus Libro 1. Cap. 6.

IV. Superiori autem potiùs Anno, quàm præſenti, ego Herlembaldum ab Vrbano Papa connumeratum Sanctis Martyribus, & nobiliori tumulo traditum, idcircò credidi; quia & Cauſæ ipſius iuſtitia, & Sedis ipſius Apoſtolicæ dignitas omninò depoſcere videretur, vt hoc vtrumque fieret quà primùm poſſet opportunitate; nec vlla cæteroqui veniret in mentem ratio, cur in aliud poſtea tempus differendum eſſet.

## CAPVT LXXXII. A

*Mortuo Arnulpho, Archiepiſcopo noſtro, ſubſtituitur Anſelmus, huius nominis Quartus.*

I. IN Ambroſianæ Baſilicæ ac Monaſterij Monumentis, Num. 284. Carolo Sigonio Archiepiſcopum noſtrum Arnulphum ego credidi obijſſe Anno Domini Milleſimo nonageſimo-ſexto. Atqui nunc, re maturiùs examinata, eumdem ad minus poſtero arbitror obijſſe Anno. In hanc verò ſententiam duobus præcipuè indicijs addu- B
cor. Primum eſt; quoniam, vt paulò poſt probabo, Arnulphus hic ſecundùm communem Scriptorum noſtrorum traditionem mortuus eſt vigeſimo-quarto vel vigeſimo-quinto Septembris die. Quamobrem, ſi mortuus eſſet Anno ſupra Milleſimum nonageſimo-ſexto; certè nonniſi pauculos dies ei ſuperuixiſſet Concioni, quam Vrbanus Papa Mediolani habuerat, poſteaquàm Exaltationem Sanctæ Crucis decimo-quarto menſis eiuſdem die propè Papiam celebraſſet. Ecquanam verò ratione componi atque conciliari cum pauculis diebus illis ea poterunt Landulphi Iunioris verba, quæ mox ego ſuperioris Capitis Nu- C
mero 2. ad extremum recitabam? Alterum verò indicium ſe mihi offert è temporis ſpatio, quo communiter Arnulphus ſediſſe traditur. De ipſo quidem in Beroldi noſtri Catalogo ſic legitur: *Arnulphus ſedit Annos tres, menſes nouem, dies nouemdecim. Obijt octauo Calendas Octobris. Sepultus eſt in Clauatenſi Monaſterio.* In altero item Catalogo manuſcripto, qui mihi eſt, ſic item: *Sedit Annis quatuor* (ſed error fortaſsè fuit in nota numerali, ac legendum potiùs eſt *tribus.*) *menſibus nouem: obijt Anno Domini Milleſimo nonageſimo-ſexto* (eumdemquè iam di- D
xerat creatum Anno Sæculi eiuſdem nonageſimo-ſecundo) *ſeptimo die ante Kalendas Octobris. Iacet in Cliuatenſi Monaſterio.* In Petri Galeſinij Catalogo, Actis Eccleſiæ Mediolanenſis conſito, hæc pariter Num. 78. *Sedit Annos tres, menſes nouem: obijt ſeptimo Kalendas Octobris. Sepultus in Monaſterio Clauatenſi.* Eademquè paſsim videre licet etiam in cæteris Archiepiſcoporum noſtrorum Catalogis, quibus exprimitur, quantum temporis quiſque ſederit ipſorum. In his itaque duabus illi re-

bus conſentiunt: vt Arnulphus hic tribus ſaltem Annis ac nouem menſibus ſederit: vtque tandem vigeſimo-quarto vel vigeſimo-quinto Septembris die occubuerit. Recolamus nunc è ſuperiori Capite 77. Annum & diem, quibus Anſelmus, Deceſſor eius proximus, re vera occubuerit; eoſquè reperiemus eſſe Annum Milleſimum nonageſimum-tertium, ac Decembris diem quartum. Iam verò inſuper huc addamus tres Annos ac nouem menſes, quibus poſtea ſedit Arnulphus; nonne rurſùs hinc comperiemus, Arnulphum eſſe mortuum, non Anno Sæculi eius nonageſimo-ſexto, ſed ſaltem nonageſimò-ſeptimo, ac Septembris die quinta? Quòd ſi denique huc denuò addamus nouem-decim aut viginti eos dies, quos vltra triennium ac nouem illos menſes Arnulphus ſediſſe dicebatur; eum profectò, retroducta è poſterioribus ad anteriora tempora calculatione, concludemus ita obijſſe Anno ſaltem nonageſimo-ſeptimo, die vigeſima-quarta vel vigeſima-quinta Septembris, vt iam ante ſedere cœperit è prima vel altera poſt Anſelmi Deceſſoris obitum die. Hæc igitur illa ſunt, quæ mihi iam tandem perſuadent, Arnulphum hunc noſtrum Archiepiſcopum ex hac vita migraſſe, non Anno ſupra Milleſimum nonageſimo-ſexto, ſed nonageſimo-ſeptimo. A B C

II. Sicut autē Claudius Robertus ad extremum ſuperioris Capitis 80. Arnulphum nobis affirmabat Claromontano interfuiſse Concilio, quo videlicet decreta & acerrimè promota fuit Expeditio Ieroſolymitana; ſic etiam placet huc addere, quod alij nonnulli Scriptores ab ipſo factum narrant pro eadem Expeditione. Galeſinius quidem in Archiepiſcoporum noſtrorum Tabula, ſiue Catalogo, ſic inquit Numero 78. *Creatus Archiepiſcopus, Ciuitati Mediolanenſi auctor fuit, vt ſex millia militum ad recuperandam Ieroſolymam mitteret. Vir fuit admiranda ſanctitate.* Ioannes item de Deis, in Catalogo, inſcripto *Succeſſores Sancti Barnabæ Apoſtoli in Eccleſia Mediolanenſi*; ſimiliter hæc habet Num. 78. *Hic, Crueeſignato Othone Vicecomite, cum ſeptem millibus militum in Expeditionem Ieroſolymorum contra Saracenos miſit.* D

III. Sed ne tacendum quidem nobis nunc eſt, quod idem Auctor protinùs narrare pergit his verbis: *Et ab eodem Pontifice* (Vrbano Secundo) *miſſus ad Henricum Tertium, Imperatorem* (à ſolo

tamen Antipapa Guiberto coronatum) *cum mandatis, vt deſiſ-* A
*teret à collatione Epiſcoporum* (ſiue ab Epiſcopatuum inueſtitu-
rà) *ab eodem Imperatore contumelijs affectus: reuerſus in Pa-
triam, dolore animi interijt ob malam voluntatem Imperatoris con-
tra Pontificem*.

IV. In eo tamen mox fallitur idem Auctor, quod tandem addit: *Se-
pultus in Monaſterio Sancti Victoris ad Corpus: quod viuens ma-
gnificè ſtruxerat, multis prædijs dotauerat, & reditibus auxerat*.
In hoc, inquam, ille fallitur, & dupliciter quidem. Non enim
Arnulphus hic in eo Sancti Victoris Monaſterio ſepultus eſt:
ſed in altero illo Cliuatenſi, hodiéque celeberrimo, & Medio- B
lanenſibus notiſſimo. De quo quidem Triſtanus noſter Chal-
cus inter Annum Chriſti quinquageſimum-quintum & ſexage-
ſimum-ſeptimum ſupra Septingenteſimum, loquens de poſtre-
mo Longobardorum Rege Deſiderio, ſic ſcribebat: *Cœno-
bium Cliuati, in Incinati Præfectura, in honorem Petri Apoſtoli
condidit, & locupletiſſimum fecit*. Sic etiam illud Sancti Victoris
Monaſterium, non ab hoc ipſo Arnulpho conſtructum fuit; ſed
ab altero, nominis huius Secundo; qui quidem iam obierat
Anno Domini ſupra Milleſimum decimo-nono; ſicut ego quo-
que in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis commemini Nume- C
ro 213. Quocirca etiam ibidem poſtea Numero 224. Anno-
que Chriſti 1034. Abbatis & Monachorum eiuſdem Monaſte-
rij facta eſt mentio expreſſa in Ariberti Archiepiſcopi Teſta-
mento. Sed ſatis iam dictum de hoc Arnulpho Archiepiſco-
po. Nunc de ipſius Succeſſore.

V. Anſelmus hic fuit, cognomento de Buis, & inter noſtros huius no-
minis Archiepiſcopos ordine Quartus. Laurentianæ huius Ba-
ſilicæ, cui ſex & viginti ab hinc Annis ego in Archipresbyteri
munere deſeruio, priùs fuerat Præpoſitus: poſt Arnulphi au-
tem obitum accurſu & opera cuiuſdam è Monacho Cardinalis D
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Armahi de Ganardo (cuius tamen
nullam Ciaconius mentionem fecit) Mathildi Comitiſſæ ac-
ceptiſſimi, & recenter in Epiſcopum electi Brixienſem, à Po-
pulo Mediolanenſi electus & ipſe fuit: dehinc etiam conſecra-
tus, Stolam, ſiue Pallium Archiepiſcopale, ab Vrbano Papa Se-
cundo per eius Legatum accepit; nec vllatenùs huic ipſius pro-
motioni Henricus Rex veteri eo inueſtiturarum Epiſcopalium

præextu

prætextu ſemet immiſcuit. Et hæc quidem omnia perſpicuè constant ex ijs Landulphi de Sancto Paulo, Hiſtorici contemporanei pariter ac fideliſſimi, verbis, quæ iam ego in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis recitaui Numero 284. A

VI. Partim verò ex ijſdem illis verbis, partim etiam ex ijs rebus, quæ præſenti Libro, & præſertim Capite 52. narratæ de Gothofredo Pſeudoarchiepiſcopo fuerunt, perſpicuum eſt, commentitia planè illa eſſe, quæ in Catalogo *Succeſſores Sancti Barnabæ* hunc in modum Numero 76. deſcribuntur: *Anſelmus, huius nominis Secundus* (ſed legendum eſt *Quartus*) *Valuaſorius, Ciuis, à Gottifredo Schiſmatico & ſuis ſequacibus, Fidei & Religionis cauſa, in exilium miſſus: poſt varias innumeraſquè calamitates à Paſchale Secundo Pontifice vocatus, & Archiepiſcopus deſignatus, poſt mortem Arnulphi ſumma Populi gratulatione ſuſcipitur; expulſo Gottifredo cum ſuis ſequacibus, qui iterùm ſeditiones in Populo concitabant.* Nihil profectò minus; vt ex dictis iam liquet. B

## CAPVT LXXXIII.

*Anſelmus Archiepiſcopus è Sancti Celſi ad Sancti Dionyſij Eccleſiam, in qua ſepultus iam honorificè quieſcebat Herlembaldus, ſolemniter transfert Arialdi Collegæ Corpus.* C

I. POſteaquàm Sancti Corpus Arialdi fuiſſet ad Vrbem allatum, propè Celſianam illud Eccleſiam ſine dubio ſepultum fuit Anno Domini ſupra Milleſimum ſexageſimo ſeptimo, & à Fidelibus religiosè cultum: & hæc ex inſtituto narrata iam vidimus Libro 2. Cap. 32. & Libro 3. Cap. 35. præterquamquòd alibi etiam ſæpè vidimus ab alijs quoque Auctoribus teſtata.

II. Poſt aliquot verò Annos illud inde ad Sancti Dionyſij Eccleſiam ſolemniter tranſlatum fuiſſe ab Anſelmo Archiepiſcopo noſtro, nominis huius Quarto: huius itèm rei teſtes nobis in Libro noſtro Primo erant Landulphus ipſe Senior, & Arialdi pariter ac Herlembaldi hoſtis, Capite 2. Num. 6. Auctor etiam ille marginalium ad eiuſdem Landulphi Hiſtoriam Additamentorum, ibidem Num. 7. Chronicum itèm Kalendarium, & ex ipſo Gualuaneus Flamma Capite 4. Num. 4. fidemquè faciebant D

etiam

etiam indubitatam Verſus illi, eiuſdem Arialdi tumulo inſculpti, & in duobus illis Capitibus à me recitati, rurſumquè fidelibus oculis hoc loco ſubijciendi, videlicet hi: A

*Martyr Leuita iacet hac Arialdus in vrna:*
*Truncatus moritur; ſed vita dona meretur,*
*Hoc Mauſolao reuerenter condita digno.*
*His geminis cauſis Arialdus paſſus ab iſtis,*
*Martyr in Eccleſia Leuita reconditur iſta.*
*Tranſtulit Anſelmus Paſtor venerabile Corpus.*
*Sanctos Theſauros venerare per omnia charos,*
*Hos Pugiles Chriſti, Gens inclyta Mediolani,* B
*De cuius Sancti ſunt iſti ſanguine nati.*

III. Quoto autem præcisè Anno Anſelmus Archiepiſcopus huc tranſtulerit venerabile Arialdi Corpus: hoc item nobis aliquatenùs idem Landulphus eodem illo Capite 2. Num. 6. ſignificauit, cùm eum diceret illud tranſtuliſse *poſt biennium ſua Conſecrationis*. Et in hoc ego ipſi non aduerſor; ſed alteri quidem illi Additamentorum Auctori, qui tempus illud incidiſse aſserebat in Annum Chriſti nonageſimum-ſextum ſupra Milleſimum. Etenim ſecundùm ſupputationem noſtram, ſuperiori explicatam Capite, Annus ille ad minus fuit nonageſimus-nonus; cuius Septembri menſe propè finem, ſiue vigeſima-quarta vel vigeſima-quinta eius die, completum fuerat biennium, ab Arnulphi Deceſsoris Archiepiſcopi obitu elapſum; & poſt cuius quidem obitum Anſelmus mihi nunc videtur in eius Succeſſorem ſublectus ſecunda Nouembris die intra eumdem illum, quo ipſe obierat, Annum nonageſimum-ſeptimum. Sic enim ego ſuppurationem conficio è tempore, quo Anſelmus hic ſediſse Archiepiſcopus traditur in manuſcripto illo Beroldi noſtri Catalogo; quemquè propterea Anſelmum ego nunc arbitror obijſse centeſimo-primo ſuprà Milleſimum Anno, pridie Kalendas Octobris. In eo quippe Catalogo de hoc Anſelmo hæc habentur: *Anſelmus ſedit Annos tres, menſes decem, dies viginti-octo. Obijt pridie Kalendas Octobris. Sepultus eſt in Conſtantinopoli, in Monaſterio Sancti Nicolai.* Certè autem tantumdem temporis elapſum eſse comperiemus ex Anni eius nonageſimi-ſeptimi menſe Nouembri, ſeu è ſecunda eius die, vſque ad trigeſimam Septembris, Anno illo centeſimo-primo incluſi.

cluſi. Hic ipſe porrò Anſelmus Mediolani erat, & Anno nonageſimo-octauo, quo immunitatē conceſſit venientibus ad anniuerſariam Sanctorum Protaſij & Geruaſij feſtiuitatem: & Anno nonageſimo-nono, quo Sententiam quatto Nonas Februarij pronunciauit ſuper controuerſia quadam, inter Abbatem Sancti Simpliciani & Vicinos Eccleſiæ Sancti Protaſij agitata; ſicut ego in Diſsertatione mea Nazariana Cap. 95. & Cap. 9. iam oſtendi: ac denique Anno Milleſimo centeſimo, quo Vrbanam Sancti Sepulchri Eccleſiam Idibus Iulij ſolemniter dedicauit. A

IV. Sed & quo præcisè in loco Anſelmus Arialdi Corpus collocarit: hoc item Libro illo Primo, Cap. 2. Num. 14. iam vidimus ab Andrea indicatum Alciato ijs de ipſomet Arialdo verbis: *Iacuitque per quingentos fermè Annos in Diui Dionyſij, Epiſcopi noſtri, ſubterranea Ædicula, tumulo marmoreo.* Quæ quidem ſubterranea Ædicula, ſiue Confeſſio (vulgò Scurolum) aliàs ſubſtructa erat veteri Eccleſiæ illius Odæo, quocum etiam denique diruta fuit. Quocirca Paulus etiam Morigia, quem Libro huius Operis Primo, Capite 21. in teſtimonium ego adducebam, ſic etiam de hac Sancti Dionyſij Eccleſia ſcribebat in ſuo Ciuitatis ac Diœceſis Mediolanenſis Sanctuario: *E perche nel Santuario ouero Scurolo di detta Chieſa ci ſtauano riposti diuerſi Corpi Santi, che tutti rendeuano diuotione à queſta Chieſa; perciò ſi legge in vn Libro di Croniche antiche, & in vn'altro ſtampato, che in detta Chieſa ci furono il Corpo di Sant'Arioldo Leuita & Martire, di Sant'Erembaldo Martire* &c. Et aliquantò pòſt: *L'Anno poi Mille cinquecento quaranta-noue, trouandoſi Gouernatore di Milano Don Ferrando Gonzaga, volendo cingere di mura la Città, & metterla in Fortezza, diede principio al Beluardo di San Dionigi: e per ſeruar l'Hoſpitale di San Gregorio* (Noſocomium profectò magnificentiſſimum & ampliſſimum, de quo idem Morigia Libro 2. Hiſtoriæ Mediolanenſis, Cap. 36. & in Libro inſcripto *Teſoro pretioſo de Milaneſi* Cap. 13. & Libro 1. *Della Nobiltà di Milano* Cap. 35.) *fece gettar à terra parte della nuoua Chieſa di San Dionigi, cioè, tutta la Tribuna, e l'antico Santuario; di modo che ella è ridotta nella maniera ch'ella ſi vede così ſmembrata.* B C D

V. In ea igitur Ædicula ſubterranea Corpus Arialdi ab Anſelmo Archiepiſcopo conditum fuit marmoreo ſepulchro cum propria

ipſius

ipſius Inſcriptione illa, quam Numero 2. recitabamus, ab ijs A
incipientē verbis, *Martyr Leuita*: & propè Corpus & Tumulum & Inſcriptionem Herlembaldi conditum fuit. Cuius quidem propinquitatis (quæ cæteroqui, ſuppoſita eiuſmodi Translatione ab Eccleſia Sancti Celſi ad hanc Sancti Dionyſij, quammaximè credibilis eſt) manifeſtum indicium eadem ipſa quoque continetur Inſcriptione, pro Arialdo adiecta. Huius enim vera & plena intelligentia ſine dubio ex altera Herlembaldi pendet illa, quam denuò recitabam Capite 79. Num. 6. & ex illa idcircò pendet; quia illic in proximo illa extaret, quinetiam priùs inſpicienda legendaquè ſupponeretur, velut interpres poſ- B
terioris huius ac ſubſequentis. Quod enim hac in Arialdi memoriam Inſcriptione dicitur, *His geminis cauſis Arialdus paſſus ab iſtis*, abſque dubio referri debet ad binos illos alterius pro Herlembaldo Inſcriptionis Verſiculos, *Inceſtus reprobat, Simonias & quia damnat; hunc Veneris ſerui perimunt, Simoniſquè maligni*. Primo enim horum Verſiculorum ecce nobis indicatas geminas ſiue binas illas cauſas; ecce item ſecundo indicatos homines illos, à quibus martyrium Arialdus ob eas cauſas paſſus eſt. Ex eadem verò Arialdi & Herlembaldi eò in loco propinquitate ſimiliter interpretandi ſunt etiam tres ij Verſus poſtre- C
mi: *Sanctos Theſauros venerare* &c.

VI. Si quis autem, moræ diuturnioris impatiens, hic tandem requirat; vtrùm Sanctorum Arialdi & Herlembaldi Corpora etiamnùm in hac Sancti Dionyſij, ſi non Ædicula ſubterranea (quam vtique dirutam faſſi ſumus) certè ſaltem Eccleſia vtcumque ac latenter ſaltem perſeuerent, nec aliò deinde translata vnquàm fuerint; ego quidem nihil adhuc habeo cauſæ, cur de Corpore quicquam Herlembaldi ambigam. De ſolo igitur Arialdi Corpore incertus hærere cogor; & hoc, non quia illud credere poſſim translatum Annò Domini Milleſimo quingenteſimo oc- D
tauo Lutetiam Pariſiorum, ſicut Andreas affirmabat Alciatus Libro noſtro Primo, Cap. 2. Num. 14. ſed quia fortaſsè tranſlatum potiùs occultè fuerit hinc Brixiam, indequè poſtea (ſiue Annò Milleſimo trecenteſimo-quinto) Cremonam manifeſtè; quemadmodùm ex ijs ſuſpicari fortaſsè licet, quæ Libro Primo diximus, Capite 17. 19. 24. 25. Si tamen tot alijs noſtratibus credere fas eſt Scriptoribus, quot ego eodem nominabam Libro

Primo,

Primo, poſteriores Anno Chriſti Milleſimo trecenteſimo-quin- A
to; ſed nihilominùs affirmantes, Sacra illa Corpora etiamtum in hac noſtra Sancti Dionyſij Eccleſia quieſcere; tum profectò ne Sancti quidem Arialdi Corpus re vera dici poterit hinc aliò translatum; niſi fortè talia ipſorum pronunciata interpretari velimus eo tantùm ſenſu vera; quia ex Arialdi Corpore, quod in hac Sancti Dionyſij Eccleſia priùs extiterat, pars aliqua deinceps remanſerit, cui nihilominùs in poſterum tribuere perſeuerauerint primæuam Corporis appellationem; ſeruata nimirùm ea Catholicæ Eccleſiæ conſuetudine, quam ego quoque in Am-
broſianæ Baſilicæ Monumentis Num.471.comprobaui, qua vi- B
delicet nomen totius aliquãdo etiam eius parti accommodetur.

## *CAPVT LXXXIV.*

*Idem Vrbanus Papa Guibertum Antipapam eiuſquè complices in Concilio Romano rurſùs anathematizat.*

I. BErtholdus Conſtantienſis Anno Domini ſupra Milleſimum nonageſimo-nono idipſum nos edocet his verbis: *Romæ Dominus Papa Gene-*
*ralem Synodum centum quinquaginta Epiſcopo-* C
*rum, Abbatum & Clericorum innumerabilium, tertia hebdomada poſt Paſcha celebrauit* (Romæ videlicet) *in qua Synodo, confirmatis ſuorum Anteceſſorum Statutis, etiam Sententiam anathematis ſuper Guibertum Hæreſiarcham & omnes eius complices iterauit.*

## *CAPVT LXXXV.*

*Vrbanus Papa Secundus in Domino moritur, eiquè Paſchalis ſubſtituitur Secundus.*

D

I. NON alijs ego Caput præſens abſoluam verbis, quàm quibus breuiter Baronius vtramque illius partem comprehendit.

II. Tomo igitur Vndecimo, Annoquè Chriſti Milleſimo nonageſimo-nono, è Bertholdi Conſtantienſis ad Hermanni Contracti Chronicum Appendice narrare pergit Art. 24. in hunc modum: *Hoc*

*quoque Anno, quarto Kalendas Augusti, eumdem Vrbanum Papam eſſe defunctum affirmat* (Bertholdus) *rebus iam ſedatis, munitionibus vendicatis, Romanis omnibus ſibi conciliatis, paceque diu exule restituta, ipſaque Eccleſia Catholica in ſtatum tranquilliorem vendicata. Cùm igitur ſediſſet Annos vndecim, menſes quatuor, dies decem & octo, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Pontificatu benè perfuncto, vltimum ſpiritum Deo reddidit dicta die in ædibus Petri Leonis, apud Sanctum Nicolaum in Carcere Tulliano poſitis.* A

III. Et rursùs infra, poſt interpoſitum eiuſdem Pontificis Elogium, à Domnizone, temporis eius Poeta rudi quidem ſed veraci, contextum, ſic addit idem Baronius Art. 26. *Sed non prætereat, quod ad triumphum pertinet Vrbani Papæ: nimirùm eodem tempore contigiſſe, capi Hieroſolymam Ciuitatem ab Exercitu Chriſtiano ſub Godefredo Duce: cuius ſanctæ Expeditionis (vt vidiſtis) idem Vrbanus promotor fuit. Sic igitur in Cælo meruit ſanctiſſimus triumphare, cui non erat in terris par laboribus honor. Res geſtas, memoria dignas, omni Scriptorum genere illuſtratas, & ab eorumdem temporum Auctoribus fideliſſimis cuiuslibet propemodùm Nationis monimentis perpetuis conſignatas, adeò conſtat eſſe vulgatas, vt non indigeant ſtylo noſtro. Tu autem Lector, ſi iſta cupis, habes Vuillelmum, Tyri Archiepiſcopum: qui, colligens in vnum Volumen plura diuerſorum Volumina, iſta locupletiùs fide ſincera pertractat.* Hactenùs in rem noſtram de Vrbano Papa Secundo Baronius ad Annum Chriſti 1099. quo ſuorum Annalium Tomum concludebat Vndecimum. B C

IV. Eodem autē prorsùs Anno, quinetiam decima-quarta poſt Vrbani obitum die, ſublectus ei fuit Paſchalis hoc nomine Secundus; ſed hanc ipſius electionem Baronius narrare maluit Anno poſtero, Chriſtique Milleſimo centeſimo, è quo Tomum Duodecimum auſpicabatur; ne videlicet Lector non ſine moleſtia & incommodo cogeretur eiuſdem Pontificis electionem ab vno requirere Tomo, ab altero verò reliqua geſta. D

V. *Mortuo igitur, vt dictum eſt, Anno ſuperiori* (verba ſunt ipſius Baronij ad Annum 1100. Art. 1.) *Vrbano Papa, ſummus dolor Orthodoxos omnes obtinuit; eo quòd eius obitu videretur, ſecundùm illud Hieremiæ* (Thr. 2.) *lamentum, murus, ſeu antemurale, pariter diſſipatus. Ita quidem, cùm, qui aduersùs Schiſmaticum Imperatorem iugiter perſeueraſſet infractus, & Antipapæ reſtitiſſet inuictus,*

*victus, quique etiam aduerſus Infideles Chriſtianæ Religionis hoſtes* A *bella mouiſſet, viciſſet, & Loca Sancta ab impiorum manibus vendicaſſet, fuit ex hac vita Deo vocante ſubductus: Occidentali atque Orientali ſimul Orbi dolorem haud mediocrem reliquit. Contra verò deſertores Catholicæ vnitatis, Schiſmatis ſectatores, vehementer ſunt tanti Pontificis obitu gratulati: potiſſimum verò ipſe ſchiſmaticus Antipapa Guibertus, exultans ac inſultans pariter, quod tres, ipſo viuente atque in Petri Cathedra conſidente (vt vanè gloriabatur) Deo vindice eſſent extincti Pontifices, Gregorius Septimus, Victor Tertius, atque Vrbanus Secundus: neſciens infelix, iam ſuæ domus pulſantem oſtium aſtare mortem,* B *ancipiti gladio formidandam; vt, duplici feriens acie, & præſentem auferat vitam & futuram. Hoc ſiquidem Annò eum contigit ex hac vita ad Inferos morte repentina perduci; vt ſuo loco dicendum erit inferiùs.*

VI. Sequitur ibidem Art. 2. Baronius his verbis: *Vbi igitur Sacer Senatus, licet mœrens & triſtis, Vrbano Pontifici perſoluiſſet extrema; ad Succeſſoris electionem Comitia ex more frequentat diebus quatuordecim. Vna omnium illa erat precibus declarata ſententia, vt eo calamitoſo Eccleſiæ tempore nemo quod ſuum eſſet quæreret, ſed quæ Ieſu Chriſti: vtque conſuleretur lugenti Eccleſiæ,* C *viduatæ Paſtore; Ad hoc preces Fidelium adhibentur, & piorum omnium vota conſpirant. Nulla eos turbat diſſenſio, nulla diſcordia diuidit, vel ſchiſma diſſoluit, quos charitas in ſancta vnitate coniunxit, & pax ſancto fœdere ſtrinxit. Sic igitur die decimo-quarto ab Vrbani Papa obitu, hoc eſt duodecima menſis Auguſti, ſubrogatur in locum ipſius Rainerius, ſiue Raginerius, Presbyter Cardinalis Tituli Sancti Clementis, Abbas verò Monaſterij Sanctorum Laurentij & Stephani extra Muros: nominatuſquè eſt Paſchalis Secundus.* De cuius quidem diſciplina monaſtica & ad Cardinalatum promotione ſi quis fortè plura D cupit; Baronium ipſum ibidem conſulat. Non enim ea nobis ad præſens inſtitutum neceſſaria ſunt.

## *CAPVT LXXXVI.* A

*Anſelmo Archiepiſcopo Mediolanenſi, ad Expeditionem Ieroſolymitanam profecto, & Conſtantinopolitana in Vrbe mortuo, ſubſtituitur à nonnullis Groſulanus, eius Vicarius, & Epiſcopus Saonenſis; qui tamen ab alijs, & nominatim à Presbytero Liprando, Herlembaldi olim Commilitone, tamquàm Simoniacus repudiatur.*

I. ANſelmum hunc Archiepiſcopum ſuperiori Capite 83. Num. 3. ego defunctum computabam eſſe Anno Domini Milleſimo centeſimo B
primo, pridie Kalendas Octobris: eumdemquè mox addebam Mediolani iam anre extinctiſſe Anno etiam Milleſimò nonageſimo-nono, quarto Nonas Februarij, Annoquè prætereà Milleſimo cèmteſimo, Idibus Iulij. Quandonam verò ſemel iterumquè ad Ieroſolymitanam profectus fuerit Expeditionem: hoc ego ſanè in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis à Numero 284. vſque ad 291. ſatis expendi accuratè; ſed accuratiore profectò nunc etiam perquiſitione opus eſt; cauſamquè præſertim præbet Landulphus ipſe de Sancto Paulo, ſiue Iunior, quo præſer- C
tim teſte illic etiam vtebar; ſed à fine Capitis primi; cùm alioqui nunc paulò altiùs repeti tale oporteat ipſius teſtimonium.

II. *Coro quoque* (ſiue Conradus; ac verba ſunt eiuſdem Landulphi paulò poſt mediam illius Capitis primi) *Rex, qui, dum Henricus pater eius viueret, per contractationem Mathildis Comitiſſæ, & officium huius Anſelmi de Rhode fuit coronatus Modoetiæ & in Eccleſia Sancti Ambroſij regali more* (Coronatio autem illa eſt, de qua nos quoque agebamus Capite 70. Num. 5.) *ad horum Pontificum* (*ſcilicet Anſelmi de Buis, & Armani Brixienſis*) *Ordinationem non reſpexit; ſed regnans in Loco, qui* D
*Burgus Sancti Domnini dicitur, vidit Presbyterum Liprandum, propter Patariam naſo & auribus truncatum* (ſicut etiam hos eum vidimus ſuperiore Capite 58. Num. 5. & Capite 59. Numero 2.) *euntem ad Vrbanum Pontificem Romanum. Cui Presbytero Rex ipſe cum deuotione inquit: Cùm ſis Magiſter Patariorum; quid ſentis de Pontificibus & Sacerdotibus, regia iura poſſidentibus, & Regi nulla alimenta præſtantibus? Et Pres-*

*byter*

*byter ipſe abſque vllo rancore in beneplacito Dei & ipſius Regis* A
*reſpondit. Verumtamen altera die faciens iter ſuum cum Presby-*
*tero Arnaldo Magiſtro Scholarum Mediolanenſium, & Syro Sa-*
*cerdote Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Podoni* (ab hoc ego Syro in Præ-
fatione Libri Secundi interpretabar conſcriptam fuiſſe Sancti
Arialdi Vitam, quæ nunc non extat) *captus eſt ab hominibus*
*Parmenſis Epiſcopi, qui ducebatur, digerens pœnam ad locum,*
*qui dicitur . . . . . . . . . . . . . . . . . . ibique per quatuor*
*dies retentus, & expoliatus, inde Mediolanum rediit.* Rex verò
*ipſe, prout audiui à raptoribus illis, emendam & mulum ipſius*
*Presbyteri ſuſcepit, & mox in Tuſciam adire tentauit. Et* B
*cùm perueniſſet Florentiam; Rex ipſe, prudens & ſapiens, atque*
*decorus ſpecie (proh dolor!) adoleſcens, accepta potione ab Auia-*
*no Medico Mathildis Comitiſſæ, vitam finiuit.* Hæc eo Capi-
te primo Landulphus: è quibus perſpicuum profectò & indu-
bitatum eſt, hac ipſum fuiſſe opinione, vt Conradus hic Rex,
Henrici filius, non alio mortuus ſit tempore, quàm quo ſuper-
ſtes adhuc eſſet Vrbanus Papa Secundus; ad quem paulò ante
Liprandus ipſe Presbyter tendens, Romano ſeſe itineri commi-
ſerat. Cuius quidem opinionis Blondus etiam poſtea fuit Fla-
uius Decadis Secundæ Libro tertio; tametſi diuerſum ſenſe- C
rint alij, de quibus ego quoque infra non tacebo.

III. Proſequitur Landulphus, idemquè nobis tempus indicat illud, ex
quo Anſelmus hic Archiepiſcopus Ieroſolymitanæ illi Expedi-
tioni operam impendere ſuam incœperit. Ab initio enim ſe-
cundi Capitis ita prorſus narrare pergit: *Rege igitur* (hoc eſt,
Conone, ſiue Conrado, de cuius obitu proximè dixerat) *in Re-*
*gno deficiente, ſupradictus Anſelmus de Buis, Mediolanenſis Ar-*
*chiepiſcopus, quaſi monitus Apoſtolica auctoritate* (Vrbani nem-
pe Secundi) *iamdicto Presbytero nolente,* STVDVIT CON- D
GREGARE *de diuerſis gentibus Exercitum, cum quo caperet Ba-*
*bylonicum Regnum. Et in hoc ſtudio præmonuit prælectam iu-*
*uentutem Mediolanenſem Cruces ſuſcipere, & Cantilenam de Vl-*
*treia Vltreia cantare. Atque ad vocem huius prudentis Viri plu-*
*res Viri cuiuslibet conditionis, per Ciuitates Longobardorum Villas*
*& Caſtella eorum, Cruces ſuſceperunt; & eamdem Cantilenam*
*de Vltreia Vltreia contauerunt.* Et paucis interpoſitis hæc item
in eius Capitis extremo: *Archiepiſcopus verò ille de Buis, à*

*Turcis & Saracenis fugatus, in graui luctu Conſtantinopoli expi-* A
*rauit.*

IV. Tum rurſùs ab initio Capitis ſecundi: *Sed ne finis mei laboris hic
intelligatur; dico, cùm adhuc homo iſte ſimplex (* Anſelmus de
Buis, Archiepiſcopus*) Mediolani viueret, & Exercitum con-
gregaret, habuit conſilium ſtatuendi ſibi Vicarium, hominem mul-
tarum artium: Vnde quidam ſagaciſſimi Viri, ab eo ordinati Sa-
cerdotes, mandatum eundi Saonam ſuſceperunt; vt in ipſa Ciui-
tate ſuo iuſſu & auctoritate electionem Epiſcopi admouerent, &
fieri cogerent. Qui dum iter facerent, venerunt Ferrariam in
quo nemore amplexi ſunt Groſulanum; & eius conſilium. Quo-* B
*rum Sacerdotum exercitium in tantum valuit, quòd quidam è
Saonenſibus ipſum Groſulanum, in victu afflictum, in veſtitu
abiectum, elegerunt ſibi in Epiſcopum: & Eligentes vnà cùm ipſo
Electo, & illis duobus Sacerdotibus ab Archiepiſcopo miſſis, vide-
licet Presbytero Ioanne Aculeo, & Presbytero Nazario Muricó-
la, Mediolanum peruenerunt. Ibiquè per iuſſionem Archiepiſco-
pi, qui iam erat in Expeditione poſitus, Groſulanus ab Armano
Brixienſi, & Arialdo Ianuenſi, & Mamardo Taurinenſi, ordi-
natus eſt Epiſcopus, & Archiepiſcopi Vicarius. Verùm quia ip-
ſe Ordinatus Sedem Saonenſem nondum aſcenderat; ad ipſam* C
*Ciuitatem adire temptauit, & quodammodo peruenit; ſed requies
ibi, ſi quam habuit, paruiſſima fuit; at citiſſimè inde exiens,
Mediolanum rediit. Cuius Magnæ Ciuitatis commonuit Gentem,
vt per ſingulas hebdomadas in ſecunda feria ad Sancti Ambroſij
Eccleſiam conueniret, & pro Archiepiſcopo illo Anſelmo, eiuſquè
Exercitu Litanias facerent. Ipſe verò Groſulanus, non ſolùm in
ipſis ferijs, ſed ferè per ſingulas feſtiuitates illi Magnæ Genti lucu-
lente ſermocinabatur, & ſermocinando non magis affectabat eam
ſibi, quàm aſperitate veſtitus & cibi.*

V. Ab hac interim veſtitus & cibi aſperitate Presbyter Liprandus Gro- D
ſulanum dehortabatur, vt Landulphi Capite 4. narratum eſt,
cùm præterea hæc adduntur: *Attamen Vicarius (* Groſulanus*)
in hac ſua commoditate afflictionis & orationis atque ſermocina-
tionis per duos Annos laborauit; & laborando certitudinem de mor-
te prædicti Anſelmi de Buis accepit.*

VI. Summatim ergo, teſte Landulpho, ſeries huius Expeditionis
hunc in modum ſe habuit. Paulò poſt Conradi Regis obitum,
ſuperſtite

ſuperſtite adhuc Vrbano Papa Secundo ( quos alioqui ambos A
ſupponimus eodem obijſſe Anno Milleſimo nonageſimo-nono,
eodemquè menſe Iulio, vt partim iam vidimus, partim verò
mox è Domnizone audiemus) Exercitum de diuerſis partibus
congregare aggreſſus eſt: intereaquè ſimul etiam deliberauit
de Vicario tempus in illud, quo ipſe abeſſet, ſubſtituendo:
miſſiquè propterea Saonam fuerunt Sacerdotes, qui eum
quantocyùs eligerent. Electus eſt igitur Groſulanus: tantaquè
interim celeritate Anſelmus vnà cum Exercitu diſceſſit, vt in
Expeditione iam eſſet eo tempore, quo primùm Groſulanus
Mediolanum peruenit. Cùm igitur ille hac in Vrbe ordinatus B
eſſet Epiſcopus Saonenſis, & inſtitutus Archiepiſcopi Vicarius;
in hac itidem (pauculo illo excepto tempore, quo abfuit, vt
Epiſcopalem Saonæ Sedem aſcenderet) in hac itidem, in-
quam, vſque ad certum de Anſelmi obitu nuncium perſeuera-
uit per biennium. Hæc igitur ſummatim è ſuperiore Landul-
phi atteſtatione.

VII. Certè tamen (quod obſeruatione dignißimum eſt) intra bien-
nium illud non ſemper hinc abfuit Anſelmus Archiepiſcopus:
certoquè nobis & indubitato teſtimonio ea ſit Epiſtola, quam
ſuperiori Capite 83. in fine Numeri 3. innuebam, quamquè ad C
verbum ex autentico archetypoquè exemplari totam & inte-
gram in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis Numero 289. reci-
taui: qua ſcilicet ille Dedicationem conſignauit, à ſemetipſo
celebratam, Mediolanenſis Eccleſiæ Sancti Sepulchri. Ea
enim Epiſtola Mediolani data eſt Anno Domini Milleſimo cen-
teſimo, Idibus Iulij, & ante plurimas aliorum ſubſcriptiones
hiſce duabus comprobata: ✠ *Ego Anſelmus Quartus, Dei
gratia Archiepiſcopus, firmaui, & ſubſcripſi.* ✠ *Ego Groſula-
nus, indignus Epiſcopus, laudaui, & ſubſcripſi.* Tunc tempo-
ris igitur hac in Vrbe ſimul erant & Anſelmus Archiepiſcopus, D
& Groſulanus eius Vicarius; qui tamen Anſelmus in Expedi-
tione poſitus iam erat quo primùm tempore Groſulanus huc
peruenit, vt Epiſcopatus Ordinem atque Vicarij Archiepiſco-
palis munus acciperet. Quoniam verò idem Anſelmus poſtea
Conſtantinopoli tandem obijt, in Expeditione rursùm poſitus;
certè conſequens eſt, vt ad eam Expeditionem denuò profectus
ſit, poſteaquàm Mediolanenſem illam Sancti Sepulchri Eccle-

ſiam

ſiam ſolemniter dedicaſſet. Cur autem Groſulanus in illa ſui nominis ſubſcriptione ſe nominauerit Epiſcopum ſolummodò, & non etiam Vicarium: hanc ego crediderim fuiſſe cauſam; quia Groſulanus Vicarij officium illud ſuſcepiſſet exercendum in illud tempus, quo Anſelmus Archiepiſcopus ab hac abeſſet Vrbe; à qua tamen tunc temporis non aberat. A

VIII. Redeo nunc ad tempus, quo Rex ille Conradus re vera occubuerit. E ſuperiore Landulphi narratione ipſum colligebamus occubuiſſe Anno Milleſimo nonageſimo-nono, & in eiuſdem opinionis conſortium addebamus Blondum etiam Flauium.

Non defuere tamen graues alij Scriptores, qui eumdem Anno cenſuerint obijſſe Milleſimo centeſimo-primo, ac tertio poſt Vrbani Papæ Secundi obitum Anno. Sic enim cenſuerunt Domnizo Presbyter, eius temporis Poëta, in Vita Comitiſſæ Mathildis, Libro 2. Cap. 12. Sic etiam Otto, Epiſcopus Friſingenſis, in Chronico, Libro & Cap. 7. quem in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis ego Num. 600. probabam obijſſe Anno 1158. Conradus item Abbas Vrſpergenſis, quem poſtea mortuum fuiſſe tradunt poſt Annum 1229. ad quem vſque Annum ipſe ſuam Hiſtoriam ſiue Chronicum protraxit: ſic etiam Ioannes Naucleꝛus Chronographiæ ſuæ Volumine Secundo, Generatione 37. Carolus Sigonius de Regno Italiæ ad Annum 1101. & Cardinalis Baronius ad eumdem illum Annum, Art. 6. Domnizonem ipſum audiamus, ita quidem illic concinentem; ſed inconcinnè, vt Sæculi eius barbaries ferebat: B C

*Scribere res geſtas cùm non ſit res inhoneſta;*
*Carmen adeſto meum ſic, ne promas niſi verum.*
*Infra Chonradus Longobardos Comitatus*
*Dum ſtaret, diſcors à Mathilde fuit ipſo*
*Tempore. Durauit modicùm diſcordia talis.*
*Nam petijt partes Thuſcanas Rex: ibi tandem,* D
*Nobilibus quidam* (hoc eſt, *quibuſdam*) *facientibus, expulit iram.*
*Ad pacem firmam redijt benè cum Comitiſſa.*
*Poſt iſtam pacem febre tactus (Iulius autem*
*Menſis erat) Magnus moritur Chonradus: & Annus*
*Tertius, Vrbanus quòd tranſierat memoratus.*
*Eius habet Corpus Florentia, florida prorsùs.*

De Vrbani autem ipſius Papæ Secundi obitu ſic etiam ille cecinerat ſuperiori Capite XI. *Aureus*

*Aureus Antiſtes, color optimus, extitit iſte,* A
*Scilicet Vrbanus, Sanctis meritò ſociatus.*
*Talem, væ Roma, cùm perdidit Opilionem.*
*Mortuus eſt Roma, digno conditus honore,*
*Iulius ipſe dies binos cùm dat propè finem,*
*Anno Milleſimo nonagenoque noueno*
*A nato celſo de prima Virgine Verbo.*

Sin autem præterea placet in eamdem de Conradi Regis obitu opinionem audire Abbatem quoque Vrſpergenſem in Chronico ſen illum. Poſteaquàm enim ad Annum Domini 1099. multis verbis multas commendaſſet eiuſdem Conradi dotes; B ſic ille ad Annum 1101. *Chunradus Rex, adoleſcens, nono Anno* (Landulphus noſter diceret ſexto) *poſtquam à Patris Palatio diſceſſerat, Mathildis, magnæ illius & nobiliſſimæ & (vt quidam dicunt) religioſæ fœminæ, ſicut ſanguine, ita & contubernio coniunctus, & in rebus per Italiam diſponendis tam illius quam Domini Apoſtolici cæterarumquè Deum timentium perſonarum conſilio ſemper vſus, immaturo præuentus occaſu plena fide & bona confeſsione* A REGNO TRANSITORIO AD ÆTERNVM CREDITVR REGNVM MIGRASSE. *Sunt etiam qui veneno eum dicant interijſſe. Teſtari ſolent, qui aderant, in brachio* C *corporis exanimi Crucis ſignaculum ſubitò exortum ſe vidiſſe, ipſaſquè eius exequias quibuſdam miraculis honorificatas fuiſſe.* Talia ibi Vrſpergenſis: eademquè penè ad verbum Nauclerus loco ſuperiùs à nobis indicato. E quibus Baronium in primis corrigas, Articulo illo 6. ita recenſentem: *De Conrado Rege Vrſpergenſis teſtatur, funus eius Verſibus exornatum.* Nihil enim ipſe illic de Verſibus, ſed de miraculis tantùm: & ita locutus eſt etiam poſtea Nauclerus. Hinc autem profectò iuuat etiam, noſtroquè prodeſt etiam inſtituto, cognoſcere Conradi huius, à Patre ſuo Henrico Rege perditiſſimo rebellis, ſanctitatem, di- D uinis etiam miraculis teſtatam: pro qua quidem luculenter & ex inſtituto ſcripſit etiam ſeparatim Matthæus Raderus in Secundo Bauariæ Sanctæ Volumine, publicæ luci donato Monachij Anno 1624. Illic verò hic ipſe Auctor Ottoni Friſingenſi, & Abbati Vrſpergenſi, & Carolo Sigonio, quorum teſtimonijs ad verbum recitatis vſus eſt, ſimul etiam Conradum tacitè conſenſit obijſſe Anno ſupra Milleſimum centeſimum primo: quin-

etiam in eiuſdem Voluminis Indice Chronologico inſuper A
adiecit, eum vndecimo menſis Auguſti die obijſſe, contraquam
videlicet Domnizo affirmauerit. Ego autem, vt liberè loquar,
nondùm video, qua ratione de Anno ipſo, quo ille obierit, Dom-
nizoni cæteriſquè ipſius aſſeclis credi potiùs oporteat, quàm
Landulpho huic noſtro; cùm præſertim eo hic Hiſtoriæ ſuæ lo-
co rem narraret, non modò ſui temporis, ſcituquè ſibi facilli-
mam, & ab omni occaſione mentiendi remotiſſimam, ſed
etiam cum auunculi ſui Liprandi Presbyteri rebus (quas alio-
qui optimè noſſe credendus eſt) coniunctam; cumquè præte-
rea locutum ſe profiteatur cum ijs raptoribus, à quibus ipſemet B
Liprandus fuerat ſpoliatus, & quorum aſſeueratione Conradus
emendam ipſius & mulum proximè accepiſſet priùs, quàm in
Tuſciam proficiſceretur, vbi deinde paulò pòſt vitam finiuit.
Hæc autem à me in eum ſaltem diſſeruntur finem, ne Landul-
phus hic noſter, per omnia cæteroqui veraciſſimus ac fideliſsi-
mus, hiſtorici hac in parte damnetur erroris; niſi priùs veritas
huius rei, qua par eſt æquitate diligentia maturitate iudicio,
examinata ſit. Quæ cæteroqui ad iteratam illam Anſelmi Ar-
chiepiſcopi Expeditionem vſque ad certum de ipſius morte
nuncium, Conſtantinopoli ex Vrbe huc ad noſtram allatum, C
pertinent, à Landulpho narrata, & à nobis per eam eiuſdem
Anſelmi Epiſtolam comprobata: hæc ſanè nobis omninò rata
firma fixaquè ſunto: atque hinc ad reliquam noui Archiepiſco-
pi electionem progrediamur.

IX. *Primicerio ergo* (ſic enim ex eodem habemus Landulpho mox ibi-
dem Capite 4.) *ipſe Groſulanus & Ordinarijs Maioris Mediola-
nenſis Eccleſiæ inquit, vt, ſe præſente, eligerent ſibi & Populo Ar-
chiepiſcopum conuenientem, priuſquàm rediret ad Epiſcopatum
Saonenſem.*

X. Dehinc Capite 5. *Tunc Primicerius, habito conſilio cum nobilibus* D
*Clericis & Viris Mediolani, coram Populo, & ipſo* (Groſulano)
*alterum de duobus Landulphis, Mediolanenſis Eccleſiæ Ordina-
rijs, videlicet de Badaglo* (aliter de Badagio) *& Vareglate, à
Ieroſolymis redeuntibus, elegit; ſed Groſulanus de abſenti perſona
electionem fieri prohibuit. Pars itaque Cleri & Populi, ad nutum
Arialdi Abbatis Monaſterij Sancti Dionyſij, clamauit & lauda-
uit Groſulanum ſibi in Archiepiſcopum. Ipſe verò, ſtatim vt vi-*

*dit*

*dit ſe à quadam magna multitudine vulgi & Nobilium conclamatum, & ab Abbate illo plaudatum, Archiepiſcopalem Sedem aſcendit, & ſedit; & ſedens illum Arialdum Abbatem de Abbatia in Abbatiam maiorem, videlicet Clarenalenſem* ( legendum mihi videtur *Cliuatenſem* vel *Clauatenſem*, de qua idem Landulphus poſtea Capite 14. & 28.) *tranſtulit.* A

XI. *Sed ante huius translationem contigit, quòd quidam, qui videbantur in moribus & vita Viri & Clerici Mediolanenſes, quædam turpia de Groſulano, & eius electione, Presbytero Liprando notificauerunt. Quibus Viris & Clericis Presbyter ipſe conſilium præbuit, vt Litteras & duos idoneos Clericos mitterent Romam, rogando Papam* ( Paſchalis iam hic erat Secundus ) *quatenus Groſulanum in Archiepiſcopatu non firmaret, donec ſe ipſos, mittentes Litteras, in proximo tempore videret & audiret.* B

XII. *Bernardus autem, Abbas Vmbroſæ Vallis, & Cardinalis Romanus, ad has Litteras & Nuncios (videlicet Obizonem, qui cognominatur Niger: & Heribertum de Bruzano: contemnentes Groſulani cauſam, ipſiuſquè Legatorum verba, videlicet Arderici de Carimate, & Ioannis Presbyteri de Ploltelo) coram Apoſtolico & eius Curia non reſpexit. Sed, accepta Stola* ( ſiue Pallio Archiepiſcopali ) *Curiam Comitiſſæ Mathildis intrauit: ibiquè inito conſilio in beneplacito Arderici de Carimate, qui pro Groſulano & Stola Romam iuerat, Abbas ille Bernardus Mediolanum venire feſtinauit: &, cùm procul vidiſſet Mediolanum, Ardericus idem in protenſi virga vſque ad Maiorem Eccleſiam Ciuitatis portauit, clamando:* HECVM LA STOLA, HECVM LA STOLA. *Et in hoc clamore plenitudo vulgi fuit, & acclamauit:* MORIATVR, QVICVMQVE CONTRADIXERIT. *Clamor iſte ingens & continuus fuit, donec Abbas ille Cardinalis, & Groſulanus Pulpitum Maioris Eccleſiæ Mediolani aſcendit. Et cùm vterque ibi videbantur in victu afflicti, in veſtitu demiſſi, in ſermone præclari; tantum plauſum audierunt ſibi, veluti ſi purè forent Angeli Dei. Ibiquè Groſulanus Stola indutus, & Abbas in ſuo tempore remuneratus quieuit, & receſſit: & poſt paucos dies, in gratiam prædictæ Comitiſſæ Mathildis; idem Abbas Parmenſem Epiſcopatum ſuſcepit.* C D

XIII. Sic igitur in locum Anſelmi Archiepiſcopi electus eſt à Mediolanenſibus, & à Romano prætérea Pontifice approbatus Groſulanus;

nus; ſed cum aliquot aliorum (ac nominatim Presbyteri Li- A
prandi) contradictione, Simoniacam illi labem obiectantium;
& ita, vt ei tandem præualuerint, quemadmodùm ego in huius
Libri progreſſu explicabo.

## CAPVT LXXXVII.

*Guibertus Antipapa infeliciter moritur, eiuſquè poſtea exuuiæ in flumen proijciuntur.*

I. MIlleſimone centeſimo an centeſimo-primo Anno Guibertus hic Antipapa obierit, inter Auctores incertum eſt; vt benè Baronius ad Annum 1100. Art. 16. cuius verbis nos præſentis B
Capitis argumentum explicabimus.

II. Paſchalis Papæ Secundi ſtudia & conatus, pro Antipapa hoc longè ac longiùs ab Eccleſia Romana expellendo impenſos, recenſuerat illic Baronius, cùm protinùs hæc adiecit: *Feruens ſtudio cœtûs Orthodoxorum ſic feram illam beſtiam aſſiduo venatu eſt inſectatus, vt de loco ad locum fugere cogeretur, donec infelix cum fuga diem clauſit extremum hoc Anno, ſiue ſequenti; vt eſt diuerſa diuerſorum Scriptorum aſſertio. Huius* C
*namque temporis Germani Scriptores, Dodechinus, Sigebertus, & Vrſpergenſis hoc Anno eum defunctum affirmant; Itali verò Anno ſequenti ponunt; vt Domnizo, atque Petrus Diaconus in Chronico Caſſinate; iidemquè ipſi huius quoque temporis Auctores, & quidem integræ fidei.*

III. *Domnizo enim in Vita Mathildis hæc habet de tempore obitus Guiberti Antipapæ nefandiſſimi:*

*Hic per viginti-tres Annos denique Chriſti*
*Eccleſiam niſu toto turbarat iniquus.*
*Poſt Annos binos Vrbanus erat, quòd ab iſto* D
*Sæclo portatus, Cœliquè throno ſociatus:*
*Iſte, dolore graui tactus Guibertus inanis,*
*Mortuus eſt, ſecum portans anathema per æuum.*
*Propterea Cœli Populus, pariterquè fidelis,*
*Exultentquè boni; perijt quia perditionis*
*Filius. Vt ſurgat ſimilis, non det Deus vnquàm.*

*Iſta Domnizo hic poſuit, vti dignum perditiſſimo homine Epitaphium.*

*phium. Sed quomodò ad poſtremum ſepulchro quoque caruit, proiectis oſsibus eius in aquas, inferiùs ſuo loco dicturi ſumus.* A

IV. *Porrò quod ſpectat ad numerum viginti-trium annorum, quem ponit; non referendus eſt iſte ad tempus integrum, quo ſedit Pſeudopapa, quod contigiſſe vidimus Anno Redemptoris Milleſimo octogeſimo; ſed ex quo idem peſsimus omnium hominum, facto Schiſmate, à Gregorio Papa deſciuit. Sic igitur exitiale monſtrum, fax lueſquè Fidelium (cuius opus & ſtudium nonniſi ſuadere vel vrgere Chriſtianos adorare Beſtiam, ab Eccleſia vera recedere, & in latronum ſpeluncam cum Schiſmaticis conuenire) perijt infelix, mœrore conſumptus, deſperationis dentibus deuoratus. Quòd enim in Vrbani Papæ obitu ſuam omnem fiduciam collocaſſet; cùm vidiſſet, eo defuncto, nihilominùs res Catholicorum in Paſchale Succeſſore magis magiſquè vireſcere; exſiccatus eſt ipſe dolore; triſtitiaquè conſumptus, & triſtem animam Diabolo extorquente, deceſſit tandem; relinquens poſt ſe ſibi à cunctis Fidelibus maledictionem cum dira execratione atque blaſphemijs, in eum inferri iugiter conſuetis.* Hæc in Annum Milleſimum centeſimum Baronius; perinde ac ſi de tempore, quo Antipapa hic obierit, Germanis potiùs, quàm Italis, conſentiret Scriptoribus. B

V. Deinde verò ad Annum progreſſus eiuſdem Sæculi quintum, ſic habet Art. 12. *Hoc præterea Anno, qui numeratur quintus ab infelici exitu Guiberti Antipapæ (vt teſtatur Vrſpergenſis Abbas) eius oſſa, quæ Rauennæ ſepulta fuerant, exhumata, in fluenta proiecta fuerunt. De his enim idem Auctor, rerum præſentium Scriptor, hæc habet Anno ſequenti: Iam enim exaltatis ſibi diuinitùs Eccleſia Romana cornibus ad incutiendum timorem cunctis vſquequaque Schiſmatum membris, etiam Capitis ipſius oſſa, Guiberti ſcilicet dicti Papæ, de ſepulchro ſuo, quod per quinque iam Annos in Eccleſia Rauennenſi poſſederat, proijci fecerat; vniuerſaquè eius inſtituta, vt verè non Apoſtolici Sacerdotis ſed apoſtatici inuaſoris, annullari decreuerat. Hæc ipſe. Porrò, vt iſta decernerentur inſolita, eam affert Vvillelmus Bibliothecarius cauſam; quòd ſcilicet, qui adhuc eiuſdem Pſeudopapæ ſtudioſi remanſerant, quò minùs pollerent viribus, eò amplius mendacijs niterentur; ſpargerentquè in vulgus falſas viſiones, oſtenſas in ſepulchro ipſius; nimirùm viſas illic noctu ſplendere facellas, cælitùs miſſas, indices eius apud Deum receptionis. Quibus cùm traducere facilè* C D

*poſſent*

*poſſent ſimplices , atque ſeducere imperitum vulgus ; placuit , vt* A
*eiuſmodi decerneretur ei , Pſeudoprophetis illatum aliquando (* 4. Reg. 23.) *ſupplicium , vt oſſa ipſius exhumarentur ; non tamen, vt illorum, effoſſa cremarentur, ſed proijcerentur in flumen .*

VI. *Porrò exemplum de oſsibus Guiberti imitati ſunt Anno ſequenti Catholici in Germania ; cùm, Imperatore in ordinem redacto , acceperunt ex nouo Principe vires . De quibus iſta Vrſpergenſis Abbas: Denique in tantum Diuinæ Legis ſubitò zelus efferbuit , vt etiam ipſa cadauera Pſeudoepiſcoporum ab Eccleſijs eliminarentur. Vtpotè, quòd indigni cenſerentur Catholicæ Eccleſiæ ſepultura, qui viuentes eidem Catholicæ Eccleſiæ minimè communicaſſent.* Hæc B
igitur è Baronio mutuata , & pro præſenti Capite ſatis.

## *CAPVT LXXXVIII.*

*Liprandus Presbyter. Anno Domini* 1102. *innoxio per ignem tranſitu publicè in totius Vrbis noſtræ conſpectu probat , Groſulanum Simoniacè factum eſſe Archiepiſcopum.*

I. Mirabilis hic per ignem tranſitus illi profectò planè ſimilis eſt , quem Florentiæ in Vrbe factum Anno Chriſti ſupra Milleſimum ſexageſimo- C
tertio ego Capite 20. indicabam. Eumdem verò , iam ante in Baſilicæ Ambroſianæ Monumentis Num. 296. deſcriptum , binas ob cauſas Milleſimo centeſimo-primo Anno adiudicaueram. Vna erat illa poſteriorum aliquot Annorum ſupputatio , quam Num. 295. confeceram. Altera verò Num. 291. petita iam fuerat è Carolo Sigonio, qui Anſelmi Quarti Archiepiſcopi noſtri obitum non alteri aſſignaſſet Anno, quàm centeſimo ſupra Milleſimum. Sicut igitur ego poſtea eius obitum ſuperiori Capite 83. Num. 3. & Cap. 86. Num. 1. mutata, ſi Deo placet, in D
melius opinione , centeſimo-primo aſsignaui Anno , eiuſquè Calendis Octobribus ; ita etiam conſequens in præſenti eſt (quemadmodùm & ſupputatio illa mea , Num. 295. facta , facilè admittit ) vt hunc Liprandi per flammas tranſitum centeſimo-ſecundo Anno , eiuſquè Sanctiori Hebdomadæ Quadrageſimali adiudicem. Vniuerſam verò facti huius ſeriem Landulphus ipſe Iunior, & ipſius Liprandi nepos & alumnus, luculen-

ter

ter æquè ac fideliter ſicut olim ſuo Hiſtoriarum Libro conſi- A
gnauit, ita etiam nobis nunc renarrabit.

II. Prouinciales Epiſcopos ad Synodum conuocauerat Groſulanus (vt
habetur Landulphi Capite 9.) cùm ad ſedandos multorum ho-
minum tumultus, contra ſemetipſum excitatos, ſic etiam pu-
blicè in quodam veſpertino ad Populum Sermone dixit: *Si*
*quis vult aduersùm me dicere aliquid; nunc dicat. Quòd ſi mo-*
*do tacuerit; ampliùs aduersùm me audientiam non habebit.* Sed
quid Presbyter Liprandus ad hoc? *Hoc cùm Presbytero Lipran-*
*do renunciatum fuit* (proſequitur Landulphus) *& ipſe plures Ci-*
*ues ad Eccleſiam Sancti Pauli* (cuius erat Rector) *vocauit in* B
*die, quibus dixit: Videtis me abſciſſum naſo & auribus pro no-*
*mine Chriſti. Vnde mihi magna retributio eſt promiſſa, ſi in fi-*
*nem perſeuerauero. Pro amore itaque Chriſti, veſtraquè ſalute*
*& pace, rogo vos, vt ad me, & ea quæ vobis dixero, intenda-*
*tis. Et cùm hæc & plura, benè dicta benequè ſonantia, præſertim*
*aduersùm Simoniam dixiſſet; propoſuit dicens: Groſulanus, qui*
*pro Archiepiſcopo tenetur, eſt Simoniacus de Archiepiſcopatu Me-*
*diolanenſi per munus à manu, per munus à lingua, per munus ab*
*obſequio* (de quibus quidem Simoniæ ſpeciebus legi poteſt
Theologorum Coriphæus, Sanctus Thomas Aquinas, Secun- C
da Secundæ Partis, Quæſt. 100. Art. 5.) *Et cùm hæc in ſuo propo-*
*ſito procederet; ſæpiſſimè hortabatur omnes, vt conuenirent ad ve-*
*ram cognitionem huius propoſiti per diuinum iudicium* (erat hoc
autem tranſitus per ignem) *approbatum in vita vel morte ſua,*
*manifeſtata per ipſum. Sed Groſulani turba hoc perturbabat auc-*
*toritate Pontificum, qui Mediolanum venerant, ad celebrandum*
*Synodum cum Groſulano. Verumtamen Presbyter ipſe, aduer-*
*ſus Epiſcopos diſputans, rationibus & exemplis ſuam ſententiam*
*ſuſtinuit, nec dimiſit. Groſulanus verò, paruipendens huius Pref-*
*byteri verba, veluti in præſentia eius non eſſent prolata; Synodum* D
*ſuam in Eccleſia Sanctæ Mariæ, quæ dicitur Hyemalis, per duos*
*dies tractauit* &c. Tunc igitur ad hoc diuinum ignis iudicium
non venit Liprandus Presbyter; ſed certè venit poſtea, cùm
Epiſcopi Soffraganei, qui ad Synodum conuenerant, nondùm
ab Vrbe diſceſſiſſent; vt mox conſtabit.

III. Sic enim narrare Landulphus pergit Capite 10. *Attamen Groſu-*
*lani turba, dimicans aduersùs Primicerium, Landulphum, eiuſ-*

dem

*dem Primicerij Clericum, lapide occidit; deinde quaſi in conſenſu* A
*totius Ciuitatis dictum fuit Presbytero, vt ad faciendum iudicium multa ligna congregaret* IN PRATO, QVOD CLAVDITVR IN MVRO IVXTA SANCTI AMBROSII MONASTERIVM.

IV. *Et Presbyter ipſe, plenus magno ſpiritu, annonam & vinum, quæ ad edendum habebat, pauperibus erogauit: ſuamquè lupi tunicam pellem pro lignis pignorauit: cætera verò, quæ poſſidebat in libris & alijs rebus, ſtatuit, vt conſeruarentur Landulpho, nepoti ſuo & alumno* (hic nempe ipſemet Hiſtoricus eſt, à quo iſta deſcribuntur) *qui tunc temporis diſcebat Aureliani ab Egregio Ma-* B
*giſtro Alfredo, & nobili Iacobo. Statuit etiam, ſi contigerit illum mori in illo iudicio, ſi quid corporis eius reſiduum fuerit, portaretur ad Eccleſiam Sanctæ Trinitatis, quam ipſe, ſicut ſupra in Priuilegio legitur* (Cap. 8, conceſſumquè illi fuit ab Vrbano Papa Secundo) *in alodio ſuo fundauit, & Beato Petro tradidit.*

V. *His ita ſtatutis & ordinatis, idem ...... Ambroſij Eccleſiam iuit: & cùm ipſe facturus iudicium ........... manus Groſulani præualuit; & ipſa ligna, in Prato diſpoſita, diſperſit; ipſum Presbyterum ſeparauit ab illa diſpoſitione ignominioſe. Deinde in domo ſua & Sancti Pauli Eccleſia Presbyter ipſe ſiluit & quie-* C
*uit, donec pueri & puellæ, marès & fœminæ, in proximo tempore clamauerunt:* FORAS, FORAS GROSVLANE.

VI. *Hunc clamorem Groſulanus cupiens compeſcere, habuit conſilium cum ſatellitibus ſuis, quibus dixit: Ite & vos, & publicè eligite viros de Populo, qui dicant illi Liprando, aut ad ſatisfactionem meam veniat, aut de terra iſta exeat, aut iudicium, quod ſe facturum promiſit, faciat. Conſiliarij itaque, de latere eius venientes ad Concionem Populi in veſpertina hora Dominicæ diei de Ramis Palmarum ſeu Oliuarum, publicauerunt, quæ audierant à Domino ſuo Archiepiſcopo Groſulano. Quapropter non ſolùm viri* D
*in Concione electi venerunt ad Presbyterum, hanc Legationem dicere; ſed innumera hominum multitudo venit hanc Legationem confirmare.*

VII. *Ad quorum clamorem, clamantem, Veniat Presbyter ipſe Liprandus; ipſe humilis exiuit; &, vt Legationem audiuit & intellexit, manus ad Cælos leuauit, & Deo gratias egit, & interrogando Legatos inquit: Vult & mandat ipſe, quod mihi dicitis? Qui omnes*

*reſpondentes*

reſpondentes dixerunt: Vtique vult & mandat. Et Presbyter ad A
eos: Terram non exeo; ſed in iſtis duobus diebus ieiunium ago;
& in quarta feria faciam iudicium, præſtante Deo. Sed, vnde
ligna emam, non habeo. Tunc Groſulani & Reipublicæ Miniſ-
tri quercina ligna, ad flammam & ad calorem aptiſſima, triginta
ſolidis denariorum emerunt: quæ in campo ante Atrium Eccleſiæ
Sancti Ambroſij in duabus congeriebus, reſpicientibus ſe, compo-
ſuerunt. Longitudo quarum decem cubitorum fuit, & altitudo,
& latitudo maior ſtatura hominis cubitorum quatuor: via verò in-
ter ipſas congeries, vnius cubiti & ſemis.

VIII. Iis ita diſpoſitis, & quibuſdam lignis in via interpoſitis, in quarta B
feria Presbyter, indutus cilicio, camiſio atque caſula, more Sacer-
dotis, ab Eccleſia Sancti Pauli vſque ad Eccleſiam Sanctorum
Martyrum Protaſij & Geruaſij, & Beatiſſimi Ambroſij, nudis
pedibus Crucem portauit. Super quorum Sanctorum Altare, cæ-
teris Sacerdotibus deficientibus, ipſe ſibi Miſſam cantauit.

IX. Et Miſſa cantata, Groſulanus quoque, gerendo Crucem, eamdem
Eccleſiam intrauit, & Pulpitum cum Arialdo de Meregnano, &
Berardo Iudice Aſtenſi, aſcendit. Et facto ſilentio in Populo, &
Presbytero ſtante nudis pedibus ſuper lapidem marmoreum, QVI
IN INTROITV CHORI CONTINET HERCVLIS SI- C
MVLACHRVM, idem Groſulanus ait ad Populum: Attendite;
quia in tribus verbis hunc hominem vincam, & eius confuſionem
oſtendam. Et ad Presbyterum inquit: Propoſuiſti, quòd ego ſum
Simoniacus per munus à manu. Modò dic, cui dedi.

X. Tunc Presbyter ſuper Populum oculos aperuit, & digitum ad tres il-
los, qui ſtabant in Pulpito, extendit, dicens: Videte tres grandiſ-
ſimos Diabolos, qui per ingenium & pecuniam ſuam putant me
confundere. Et nonne Diabolus ille, qui ſuaſit illum fieri Simo-
niacum per pecuniam, ſuadere poteſt, vt adhuc maiorem pecuniam
daret, & veritatem occultaret, & teſtes & iudices mundanos mihi D
auferret? Et nonne ſcitis, quia propter vitandam aſtutiam Dia-
boli, & prauorum hominum, ego elegi Deum iudicem? qui neque
per pecuniam nec aliquo modo poteſt falli in iudicio. Ad cuius
iudicium ſi vultis venire; paratus ſum, quod promiſi, facere. Et
Groſulanus ad eum: Modò dic, de qua Simonia dicis. Et Preſ-
byter ad illum: Modò dic tu, quæ eſt bona. Et Groſulanus ali-
quantulùm ſubſiluit, & ait: Eſt Simonia, quæ Simoniacum non

*deponit. Et Presbyter ait: Ego dico de illa, quæ deponit Abba-* A
*tem de Abbatia, Epiſcopum de Epiſcopatu, Archiepiſcopum de*
*Archiepiſcopatu; in quo eſt. Et cùm his verbis ſatisfeciſſet om-*
*nibus; audiuit Populum clamantem: Exite foràs ad iudicium:*
*Exite foràs ad iudicium.*

XI. *Et Presbyter in hoc multiplicato clamore, licet ſenex,* DESVPER LAPIDE CONTINENTE HERCVLIS SIMVLACHRVM PROSILIVIT: *& vnà cum Populo in campo, in quo erant li-*
*gnorum congeries, venit. Ibique; dum ignis lignis accendebatur,*
*Presbyter circumſtantibus dixit: Vos præter me non cernitis Sa-*
*cerdotem, qui hunc ignem mihi benedicat. Sed cernitis chartam* B
*hanc, quam teneo, in qua ſancta verba & ſigna Sanctæ Crucis*
*continentur. Et ego Miniſter hæc verba & ſigna inferiùs dicam,*
*& faciam: & Deus, qui eſt Dominus meus, deſuper ignem be-*
*nedicat. Et audientes & benè intelligentes dixerunt: Amen.*

XII. *Atque cùm in circuitu ignis hæc verba dixiſſet, & ſigna feciſſet, &*
*Aquam benedictam & incenſum ſuper ignem, aſtante ibi Groſula-*
*no, aſperſiſſet; dubitabat de ordinando ſacramento apud Groſula-*
*num, & Arialdum de Meregnano, qui erat quaſi potentiſſimus*
*Princeps Groſulani, & procurator iudicij; & expectans, Presby-*
*terum per ignem in morte finiri, vel per nimium terrorem ad Do-* C
*minum ſuum Groſulanum conuerti. Ipſe namque Berardo Iudici*
*Aſtenſi, hanc legem non ſolùm per mortem ſed & per quamlibet*
*ignitam laſuram in Presbytero factam condemnanti, dixerat: Ab-*
*ſit, quòd laſura. Sed ignem adeò magnificabo, quòd procul oculos*
*ignis de capite eius eruet, & in ipſo igne ardens cinis putreſiet.*

XIII. *Attamen Presbyter cùm vidiſſet, eos de ordinando ſacramento du-*
*bitare; dixit ad eos: Sinite me; quòd ego benè ordinabo; nec fi-*
*niam ſacramentum, donec dixero tantum, quantum vobis ſatisfece-*
*rit. Et illicò in conſenſu eorum apprehendit cappam Groſulani, ip-*
*ſamquè quaſſauit, dicens: Iſte Groſulanus, qui eſt ſub iſta cappa,* D
*& non de alio dico, eſt Simoniacus de Archiepiſcopatu Mediolani*
*per munus à manu, per munus à lingua, per munus ab obſequio.*
*Et cùm illis videbatur ſufficere; addidit: Et ego ad fiduciam*
*maleficij, aut incantationis, vel carminis, non intro hoc iudicium.*
*Sic me Deus adiuuet, & iſta Sancta Euangelia in iſto ſancto iudicio.*

XIV. *Facto hoc ſacramento, Groſulanus concorditer equum aſcendit, &*
*ad Eccleſiam Sancti Ioannis, quæ dicitur* AD CONCHAM, *ve-*
*nit.*

*nit. Arialdus verò prædictus de Meregnano, inquirens & expectans plenitudinem ignis, Presbyterum tenuit; & tenendo, manum ſuam læſam procul ab ipſo calore ignis ſenſit; & tamen ad Presbyterum inquit: Presbyter Liprande vide mortem tuam in igne: Conuertere ad Dominum meum Archiepiſcopum, habita ſecuritate vitæ tuæ. Alioquin vade, & arde te cum Dei maledictione. Et Presbyter ad illum:* SATANA RETRO VADE. A

XV. *Illo retrocedente, Presbyter proſtratus à terra leuauit: &, ſigno Crucis ſibi appoſito, ingens flamma ignis in Meridiem & Septentrionem ſe diuiſit: & via apparuit; quam Presbyter intrauit. Et tranſiens per ipſos carbones ignis, ceu arenam calcaret, ſenſit: &, dum per ipſam viam tranſibat, flamma poſt ipſum corbat. Et, vt ipſe mihi dixit, & benè intellexi, donèc in via huius ignis fuit, hanc Orationem Deo protulit: Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & in virtute tua libera me: Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & in virtute tua libera me: Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & in virtute tua libera me. Et dum tertiò proferret hoc verbum Fac, ſe extra ignem vidit: nec in ſe, nec in ſuis Sacerdotalibus veſtibus lineis ac ſericis, quibus erat indutus, ſiue in cilicio, læſionem vllam ſenſit.* B

XVI. Hæc eo Capite decimo Landulphus; tum verò Caput vndecimum hinc exorditur: *Tunc Populus plenè, quaſi ex vno ore, laudem Deo & huic Presbytero extra & infra Ciuitatem contulit. Groſulanus verò intrepidus Sedem Archiepiſcopatus deſeruit & Ciuitatem; quia apertè communi Ciuitatis ore iuratum erat, quòd neutri eorum, nec alicui de parte illorum, pro hac actione malum fieret, niſi quod Dominus ſibi faceret.* Per ignem igitur Liprandus ita tranſijt illæſus, vt vniuerſæ interim Vrbi noſtræ manifeſtum videretur miraculum, quo Deus ipſe, ſumma & infallibilis Veritas, tale illud eius teſtimonium contra Groſulanum comprobaſſet, eiuſdemquè propterea Groſulani Simoniacam eſſet execratus electionem. C D

XVII. Per occaſionem verò miraculi huius, in Ambroſianæ item Baſilicæ Monumentis Num. 296. & eiuſdem Hiſtorici Landulphi verbis à me narrati, multa etiam ibidem ſubinde Num. 197. curiosè diſſerui de marmoreo illo Herculis ſimulachro, quod tunc temporis in eadem Baſilica extaret; teſtemquè illic proferebam Virum Clariſſimum, Antonium Olgiatum, Bibliothecæ

Ambroſianæ Præfectum (hic poſtea ſummo cum mœrore meo mortuus eſt) qui mihi affirmaſſet, illud ſibi videri traditum denique Proſpero Vicecomiti, Gaſparis Archiepiſcopi Vicecomitis conſanguineo, & ab ipſo donatum Sereniſſimo Bauariæ Duci. Certè autem, ita prorsùs ſe rem habuiſse, poſtea comperi. Pauca nimirùm quædam ego apud me habeo, quæ reliquis ſalua ſuperfuere Manuſcriptis nobiliſsimi Equitis Petri Pauli Porri: & ea quidem hoc prænotata titulo: *Eccleſiæ Mediolanenſi pertinentia aliqua Excerpta è quadam Chronica antiqua manuſcripta, intitulata Flos Florum, quæ eſt Magnifici Leandri Vicecomitis*. Quæ quidem Chronica (ſicut è foliorum numeris, ad vnamquamque rem inde exſcriptā ſingillatim adnotatis, liquidò conſtat) ille ipſe ad numerum eſt Codex *Flos Florum*, quem mihi felicis recordationis Aloyſius ab Eccleſia, Vrbanus Secretarius, commodauit; ac poſtea etiam eius filij, ſicut præſentis Operis Libro I. Capite 6. profitebar. Talium autem Collector Excerptorum Eques fuit Sanctorum Mauritij & Lazari ſub Sabaudiæ Duce: patremquè habuerat nomine Gabrielem, qui, Carolo Quinto noſtra etiam in Vrbe imperante, Cæſareus fuerat Fiſcalis. Idem verò natus etiam fuit Anno Domini Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo-octauo, ab decima-tertia Maij die: tandemquè Anno poſtea Milleſimo ſexcenteſimo-quinto Calendis Septembribus occubuit. Sic enim per ſingula teſtatum mihi oſtendit eius filius, & in præſentem vſquè diem ſuperſtes: vtquè nobilitatis ac virtutis per originem ac indolem, ſic etiam nominis hæres per Ordinis ingreſsum Ciſtercienſis: Domnus videlicet Petrus Paulus Porrus, Ambroſiani hac in Vrbe Monaſterij Alumnus, & è multis iam annis alibi Abbas probatiſsimus: à quo pariter eiuſmodi Excerpta mihi humaniſsimè ſuppeditata fuerunt. Inter hæc autem, tamquàm ex illius Chronici *Flos Florum* fol. 191. extat etiam formula illa Coronationis, in hac olim Baſilica peragi ſolitæ; quam ego quoque in eiuſdem Baſilicæ Monumentis Num. 102. ex eodem illo Chronico & folio deſcribebam. Cumquè litteratus hic Eques verba recitaſſet illa, *pedes illius Imaginis obſculatur propter reuerentiam, quæ debetur Regibus Angleriæ, qui portabant illam Imaginem in Vexillo*; tum verò protinùs hanc è ſuo interſerit parentheſim: *Hæc Imago hodie non eſt in dicto Templo* (Sancti Am-

broſij)

broſij) *ego verò Eques P. Paulus Porrus eam vidi. Quæ iacebat* A
*ſub Organo : & quæ à Canonicis alienata paruo pretio fuit nunc quondam Proſpero Vicecomiti : qui eam donauit Duci Bauariæ, tamquam Stemma antiquum Familiæ Vicecomitum, Regum primò, & poſtmodùm Comitum Angleriæ.* Hactenùs Eques ille Porrus. De cuius laudibus ac litterarijs lucubrationibus, & Poeticis præſertim, legi poteſt, qui fuit eius familiariſſimus, Paulus Morigia Libro 3. *Della Nobiltà di Milano*, Cap. 17. Et ſic etiam de Proſpero illo Vicecomite, Libro 4. *Dell'Hiſtoria di Milano*, Cap. 17.

## *CAPVT LXXXIX.* B

*Henricus Pſeudoimperator morte diuinitùs mulctatur repentina. Cumquè ſepultura priuatus eſſet Eccleſiaſtica; eidem poſtea traditur eo prætextu, quòd ante mortem reſipuiſſet.*

I. Sicut infelicem Antipapæ Guiberti iam vidimus obitum; ſic etiam par eſt, vt Henrici pariter videamus Pſeudoimperatoris, à quo ille contra fas & promotus & protectus fuerat, quique vnà cum illo toties Fidelium Communione à legitimo Papa priuatus fuit. C

II. *Sequitur Annus Redemptoris Milleſimus centeſimus-ſextus* (Baronij verba ſunt, hinc huius Anni geſta narrare incipientis) *Indictione decima-quarta, quo Henricus Imperator, à Filio ſpoliatus Imperio, demùm ab vlciſcente Numine priuatur vita. Sed, quæ iſta præceſſerunt, ſuo narranda ſunt ordine.*

III. Cùm igitur ea Baronius narraſſet; tum verò Articulo 22. hunc in modum proſecutus fuit: *Ex inſperato* (Henricus) *eſt morte repentina mulctatus. De qua Domnizo in Mathilde.*

*Mortem non ſperans, demùm tamen ipſa catena* D
*Mortis eum ſtrinxit, rapuit de corpore triſti:*
*Auguſti quarto defungitur Idus; in Anno*
*Chriſti Milleno centeno denique ſeno.*

*Agens ætatis Annum quinquageſimum-quintum. Natus eſt enim (vt Lambertus habet) Anno Domini Milleſimo quinquageſimo-primo, tertio Idus Nouembris.*

IV. Poſt hæc verò ſic etiam ex Abbate Vrſpergenſi proſequitur Articulo

culo 23. *Miſerabile tamen dictu eſt (pergit Vrſpergenſis) tanti* A
*nominis, tantæ dignitatis, tantiquè animi Virum, ſub profeſſione*
*Chriſtiana Mundum tanto tempore lucratum, nec ad inſtar cuiuſ-*
*libet pauperis defuncti, pium vel compaſſiuum luctum à quauis in-*
*ter tot Chriſtianos perſona promeruiſſe; ſed potiùs vniuerſorum tam*
*ibidem quàm vbiuis verè Chriſtianorum corda ſimul & ora infi-*
*nito nimis tripudio, ſui oblitos, rumore repleſſe. Non altiùs conci-*
*nebat Iſrael Domino* (Exodi 15.) *Pharaone demerſo: nec Au-*
*guſtiori ipſi Octauiano, ſiue vlli vnquàm Auguſtorum, applaude-*
*bat* Roma *triumpho. Frænum quippe, quod erat in maxillis Po-*
*pulorum* (Iſaiæ 30.) *verſum eſt illis in canticum, ſicut vox ſan-* B
*ctificatæ ſolemnitatis.*

V. *Igitur; quia ceſſante tandem exactore quieuit & tributum* (Iſaiæ iti-
dem 14.) *mox omnes, qui quæſtus dumtaxat gratia eidem Prin-*
*cipi eatenùs adhærendo ſuas animas venalitati propoſuerant, dedi-*
*tioni Regis* (Henrici nempe Iunioris) *ſimulquè & Communioni*
*Catholicæ ſubijciuntur.*

VI. *Leodienſis autem Epiſcopus cæteriquè Coepiſcopantes inter cætera re-*
*cipiuntur in Communionem pœnitentiæ hac conditione, quòd cada-*
*uer ipſius Excommunicati* (Henrici Senioris) *per ſe pridie in Mo-*
*naſterio tumulatum effoderent, & abſque vlla ſepultura vel exe-* C
*quiarum communione in loco non conſecrato deponerent; compro-*
*bantibus his, qui aderant, Archiepiſcopis & Epiſcopis; Quia,*
*quibus viuis Eccleſia non communicat, illis etiam nec mortuis com-*
*municare poſſit. Quo facto, paulò poſt corpus ipſum Spirenſi Ci-*
*uitati eſt in Sarcophago lapideo, Regis* (Henrici Iunioris) *con-*
*ſenſu delatum: ſicquè extra Eccleſiam ibidem per quinquennium*
*manſit inhumatum.*

VII. *Hic finis, hic interitus, hæcquè ſors vltima Henrici, illo ſub vo-*
*cabulo Quarti* (alijs Tertij) *Romanorum Imperatoris, à ſuis ap-* D
*pellati; à Catholicis verò, id eſt cunctis Beato Petro ſuiſquè Suc-*
*ceſſoribus fidem & obedientiam lege Chriſtiana conſeruantibus, Ar-*
*chipirata ſimul & Hæreſiarcha, necnon & Apoſtata, Perſecutor-*
*què plus animarum quàm corporum, competenter dicebatur.* Hæc
autem aliaq; nonnulla cùm Baronius ex eodē Vrſpergenſi eam-
dem in ſententiam ibidem recitaſſet; ita demùm concludit:
*Hanc à ſuo gentili eiuſdem temporis Scriptore Imperator omnium*
*nequiſſimus dignam meruit panegyrim.*

VIII. Quan-

VIII. Quandonam verò, & qua occaſione ac prætextu cadauer eiuſdem Imperatoris Eccleſiaſticæ traditum fuerit Sepulturæ: hoc item habemus ex eodem Baronio. Ad Annum enim Milleſimum centeſimum decimum, Art. 7. è Petri Diaconi Chronico Caſſinenſi, Libro 4. Cap. 38. (ſecundùm Laureti editionem Cap. 36.) hanc recitat Henrici Iunioris petitionem, viciſſimquè Paſchalis Papæ reſponſionem: *Poſtulat deinde Imperator, vt Patris ſui corpus in Eccleſia ſepeliri permitteret. Ad hoc ille reſpondit: Sanctarum Scripturarum his obſiſtit auctoritas, diuinorumque miraculorum reuerentia prohibet. Ipſos enim Dei Martyres, iam in cæleſtibus poſitos, ad terribiliter iuſſiſſe: ſcilicet, vt ſceleratorum cadauera de ſuis Baſilicis eijcerentur. Neque, quibus viuentibus non communicauimus, mortuis iam communicare poſſumus.* Et rurſus ad Annum ſubſequentem, Art. 26. poſteaquàm nefandiſsimum illud deſcripſiſſet ſacrilegium, quo idem Rex Henricus in Vrbe Roma captiuum tenuit eumdem Paſchalem Papam; tum verò inter cætera, quæ tunc ipſe ab eo impetrauit, hoc etiam ſummatim ex eodem Vrſpergenſi narrat: *Addit verò* (idem Vrſpergenſis) *dum adhuc Henricus Paſchalem apud ſe retineret, accepiſſe ab eo liberam facultatem ſepeliendi in Eccleſia Henricum parentem ſuum, parentandiquè more Catholico; cùm Sacerdotes Germaniæ teſtati eſſent* (quod vtinam ſecundùm rei veritatem ita ſe habuerit) *eum, peccatorum ſuorum pœnitentem, clauſiſſe diem extremum. Quo obtento, vt reuerſus eſt idem Imperator, ſumptuoſiſſimo funere eumdem Patrem ſuum in Eccleſia ſepeliuit.* Hactenùs ex Abbate Vrſpergenſi Baronius, & ego ex ipſo.

CAPVT

## CAPVT LXXXX. A

*Paſchalis Papa Secundus, poſteaquàm non acquieuiſſet aliquandiu probationi per innocuum ignis tranſitum à Liprando factæ, acquieſcit tandem poſtea, & in Concilio etiam Romano; atque, repudiato Groſulano, & ad ſuum Epiſcopatum Saonenſem amandato, Archiepiſcopatum Mediolanenſem Iordano, iam ante à Mediolanenſibus electo, confirmat.*

I. POſt innoxium illum, planequè admirabilem, ac naturæ vires diuinitùs ſupergreſſum Liprandi tranſitum per ignem, vix pauci fuerant elapſi dies, cùm Groſulani fautores hac in Vrbe tenebras tam euidenti miraculo offundere ac fidem per varios cauillos abrogare cœperunt. Inde Landulphus poſt illa ſtatim verba, quæ nos demùm ex ipſius Capite xi. recitauimus, ita narrare pergebat: *Sed quia præſentia Epiſcoporum Suffraganeorum (* qui ad Synodum conuenerant *) huic legi & triumpho fauorem integrè non præbuit: & ignis manum Presbyteri, in proijciendo Aquam & incenſum ſuper ignem, læſit: & quia pes equi Ioannis de Rode nudum Presbyteri pedem, de igne exeuntis, durè calcauit; turba, triſtis de caſu & ruina Groſulani, in Presbyterum & eius legem poſt paucos dies ſcandalizauit; & ſcandalizando, hortatu quorumdam Sacerdotum, prælia & homicidia multa commiſit.* B C

II. Quod autem longè pluris ad præſentem Groſulani & Liprandi Cauſam intererat: Paſchalis ipſe Pontifex Groſulano nihilominùs fauit; tametſi alij è Mediolanenſibus multi contradicerent. Landulphum hic item audiamus, ita protsùs eodem illo Capite xi. proſequentem: *Interea Groſulanus Dominum Papam Paſchalem gratum ſibi inuenit. Landulphus verò de Vareglate, qui primus in Coritiana fuga fuerat, rediens à Ieroſolymis, Romam peruenit: atque in Groſulano, iam inde regreſſo, didicit, non ſolùm quod actum fuerat Mediolani propter concertationem Preſbyteri & Groſulani, ſed & quàm ſolemniter Romanus Pontifex poſt talia facta Groſulanum ſuſceperat. Quia ipſe quidem Papa Paſchalis ſuper ſedem ſuam ipſum Groſulanum poſuit: &, per quot dies idem Groſulanus Laterani fuit, eumdem ſupra ſedem* D

*ſuam*

*ſuam ſedere fecit, atque ipſi ſedenti ceſsit, & locum dedit: ſuam quoque Curiam, & omnes cauſas Eccleſiaſticas, à ſe diſcernendas & iudicandas, ipſi Groſulano ad diſcernendum & iudicandum tradidit.* A

III. *Sed tamen Landulphus ille de Vareglate, veniens Mediolanum, non Presbyterum nec eius legem directè contempſit; ſed, Clero & Populo Mediolanenſi promittens deponere Groſulanum ab omni Eccleſiaſtico officio iuxta Canonum rationem, inquit: Cur de lege Presbyteri & Groſulano contenditis, & prælia & homicidia in vobis facitis? En vobis certiſsimè dico, & per Ioannem Vicomercatenſem Groſulano mando, quòd ego apud Dominum Papam Paſchalem, eiuſquè Curiam, vel Synodum, certis cum rationibus & iuſtis, & ſanctis Canonibus comprobabo, illum non poſſe ſubſiſtere in numero Epiſcoporum, vel Presbyterorum, aut etiam in aliquo Ordine Clericorum.* B

IV. *Clerus verò & Populus, huic authentico Viro, & ſecundùm quandam nouitatem Canonicæ Sancti Nazarij Præpoſito, & Maioris Mediolanenſis Eccleſiæ Ordinario, credulus, vnà cum Groſulano ad Romanam Synodum peruenire ſtuduit. Vnde rigidus & ſapiens Capitaneus Mediolanenſium, Amizo de Landriano, ait: Vos Ludriam in aqua negare vultis.* Fore ſiquidem Capitaneus ille exiſtimabat, vt Groſulano in Synodo Romana faueretur; indequè Mediolanenſes illi reportarent exitum votis ſuis planè contrarium; & ad eum ſanè modum, quo quiſpiam in aquas immitteret Ludriam ea ſpe, vt illam negaret (ſicuti Lombardus ille noſter loquebatur) hoc eſt, vt illam ſuffocaret ac vita priuaret; cùm alioqui ea non minùs in aquis, quàm in terra, viuere ſoleat. Fortè autem tunc temporis apud noſtros Mediolanenſes hoc erat communi vulgatum prouerbio, vt Ludriam in aqua negare velle diceretur is, qui contrario votis ſuis medio vti vellet ad aſſequendum finem, quem cæteroqui vnicè optaret. Ludria porrò amphibium eſt animal, hoc eſt, tum in aqua tum etiam in terra degens: de quo legi poteſt Conradi Geſneri Volumen de Quadrupedibus Animalibus, itemquè alterum de Aquatilibus, Verbo *Lutra*. Sic enim animal illud ab ipſo, ſicut & ab alijs multis & doctis, nominatur. Sed hinc ad Landulphi narrationem reuertamur. C D

V. *Sed Groſulanus* (verba ſunt eiuſdem Landulphi) *nil moratus, ad*

*pedes Apoſtolici prouolutus, ſibi & ſuis iterùm refugium ſuſcepit.* A

VI. *Presbyter verò Liprandus, cùm iam ſenex eſſet, & duo Anni poſt legem ab ipſo factam* (ſiue poſt tranſitum per ignem) *tranſiſſent; prouocatus & quaſi compulſus,* Romam ad Synodum venit. *In qua prædictus Landulphus de Vareglate, qui poſt ipſam Synodum fuit Aſtenſis Epiſcopus, neque ante Papam, vel eius Curiam, vel Synodum, aduersùs Groſulanum verbum ignominioſum protulit; ſed Presbyter Liprandus cauſam, quam aduersùs Groſulanum habuit, purè notificauit; & Apoſtolicus, non legem, per ipſum Presbyterum datam, & ſacramento & igne notatam, laudauit; ſed gratiam & officium Presbyteratus in illo firmauit; & dixit: Si hic* B *Presbyter iuraret, & duodecim Sacerdotes cum illo iurando affirmarent, quòd Groſulanus coegit, ipſum Presbyterum ire per ignem; ſuſtineret Groſulanus depoſitionem. Atque ſuper hoc ſpatium conſulendi per vnam noctem dedit.*

VII. Tranſit hinc Landulphus ad Caput 12. & illicò inquit: *Nocte autem illa tranſacta, Apoſtolicus coram Synodo à Groſulano ſuſcepit ſacramentum. In quo ſacramento Groſulanus ſic ait: Ego Groſulanus, gratia Dei Archiepiſcopus, non coegi dictum Liprandum Presbyterum ire ad ignem; & facere iudicium. Tunc & Ardericus, Laudenſis Epiſcopus, iurando firmauit idipſum. Azoni verò, Aquenſi Epiſcopo, proferenti idipſum iurare ex parte Groſulani, ab Apoſtolico fuit condonatum.* C

VIII. *Groſulanus itaque acceſſit, vt acciperet gratiam reſtitutionis: & cùm ad accipiendum reſtitutionem accederet, Gabuta & Paſtoralis Virga, quam idem Groſulanus ſua tenebat manu, coram Synodo ad terram corruit. Quod ſignum quampluribus fuit indicium, quòd ſacramentum eius fuit ſacramentum mortis. Verumtamen nec Papa nec eius Synodus ad hoc tunc reſpexit; ſed ipſum Groſulanum Azoni Aquenſi, & Arderico Laudenſi, atque Iordano de Clitti, & cæteris Mediolanenſibus, tam Clericis quàm Laicis,* D *verùm etiam Epiſcopis einſdem Eccleſiæ Suffraganeis, volentibus eum habere in Archiepiſcopum, licet otiosè, reſtituit.* Sic igitur tam Paſchalis Papa, quàm Romana eius hæc Synodus, Groſulanum exiſtimauit à Simoniaca immunem labe, quæ illi obiectabatur: neque quicquam illi officere, quòd Liprandus Presbyter per ignem illæſus tranſijſſet. Quocirca etiam illum Archiepiſcopatui Mediolanenſi reſtituerunt; ſed *otiosè*, vt Landulphus loquebatur;

loquebatur; hoc eſt, fruſtra, & in vanum. Non enim poſtea Mediolanenſes eam reſtitutionem admiſerunt, immò verò ne Pontifex quidem ipſe Paſchalis & Romana eius altera Synodus ad extremum admiſit; vt in præſentis progreſſu Capitis commonſtrabimus. A

IX. Nunc vnà cum Landulpho his eius ibidem verbis narrare perſeueremus: *Qui quidem Presbyter ille Liprandus, licet occaſione huius reſtitutionis foret ſuſpectus Groſulano reſtituto, & reſtitutum ſuſcipientibus; tamen in Eccleſia Sancti Pauli ſuaquè domo fuit Sacerdos idoneus in ſuo officio per ſeptem Annos poſt ipſam reſtitutionem.* B

X. Sed quid interim facit Groſulanus? *Groſulanus verò* (eodem mox Landulpho ibidem narrante) *gratia Gulielmi Abbatis Sancti Ambroſij, & Andreæ Mediolanenſis Eccleſiæ Primicerij, & aliorum multorum prudentum, tam Clericorum quàm Laicorum, nec Sedem, nec aliquam Munitionem Archiepiſcopatus, poſt legem primam à Presbytero factam, ſiue reſtitutionem à Synodo celebratam, habuit:* Ne videlicet aduerſantium ſibi animos denuò irritaret.

XI. *Meus verò ſæpedictus Auunculus* (ſic enim de Liprando ipſo addit Landulphus Capite 14.) *infra huius Anni & dimidij ſpatium homines, qui non pro amore Diuinæ Legis & Eccleſiaſticæ conſuetudinis litigabant de ſua lege* (ſiue de ſuo per ignem tranſitu) *& Groſulani reſtitutione, dimiſit, & eorum Ciuitatem* (Mediolanum) *exiuit, atque Valtelinam Vallem, à Mediolano vltra ſeptuaginta milliaria diſtantem, habitauit.* Cùm verò aliquantùm illic moratus eſſet; cùmquè altera ex parte Groſulanus ab Vrbe Mediolano tunc exularet; tùm verò Liprandus huc ad ſuam Sancti Pauli Eccleſiam ſuamquè domum reuertit; vt ab eodem Landulpho narratum eſt Capite 15. & 16. C

XII. Vt autem habetur eiuſdem Landulphi Capite 17. Groſulanus poſteà munitiſſimam obtinuit Archiepiſcopatus Arcem, Aronam; ſed eam tamen diù non retinuit; immò verò fautorum ſuorum ſuaſu Ieroſolymam perrexit; Annuſquè iam erat Chriſti Domini ſupra Milleſimum centeſimum vndecimus. D

XIII. *Octobri verò menſe ſequenti* (& hæc in eumdem illum Annum Chriſti vndecimum ſupra Milleſimum centeſimum ſcribebat idem Landulphus Capite 20.) *flumina per continuam pluuiam in*

*tantum creuerunt, quòd non ſolùm Villas, ſed ipſam Ciuitatem in* A
*mirum modum perturbarent. Quidam etiam ſibi & Mundo fi-*
*nem timuerunt; quia homo imperabat* (Henricus nimirùm ille
Iunior, de quo iam ſupra nos diximus) *qui Patrem ſuum oppreſ-*
*ſerat. Sed Guazo Cuminus vnà cum Amizone de Sala, & alijs*
*quampluribus, tam Clericis quàm Laicis, tendentes ad alia, cœ-*
*perunt prædicare & dicere, diſcordiam de Groſulano eſſe malitiam*
*altero diluuio dignam. Ad quorum voces Ioannes Maneri, &*
*Petrus de Carate, qui erant primi & maximi in parte Groſulani*
*pugnatores & defenſores, & conſcij conſilij Guazonis atque Ami-*
*zonis, coram Populo reſponderunt, & illis dixerunt: Dicite, quid* B
*vobis vultis fieri ex parte noſtra? Qui dixerunt: Volumus, quòd*
*Ardericus de Carimate* &c. Nouem igitur Eccleſiaſticos, Gro-
ſulani defenſores, elegerunt ab vna parte; totidemquè alios ab
altera; qui etiam vnà omnes hunc in modum iurarent: *Vſque*
*ad iſtas Calendas proximi Ianuarij concorditer dabimus iuſtam &*
*rectam Sententiam, ſecundùm Canones, de diſcordia Groſulani; ſi*
*poſſit eſſe Archiepiſcopus Mediolani, ſiue non: & ſi non poterit*
*eſſe; de alia perſona concorditer faciemus Catholicam electionem in*
*eodem die.* Qui quidem electi hoc etiam ſibi exegerunt, vt
nonnulli alij, ab ipſis expreſsè nominati, alijquè prætereà Cleri- C
ci & Sacerdotes, Milites & Ciues, quos pariter ijdem ipſi voca-
uerint, *veniant, & iurent tenere Sententiam, quam nos decem*
*& octo dabimus ſine diſcordia & ſchiſmate, de Groſulano, te-*
*nendo ſiue dimittendo; ſiue de alia perſona, quam nos concorditer*
*eligemus.*

XIV. Cùm igitur in eum finem condicta & iurata hæc eſſent; eodem
Landulpho teſte Capite [a 1.] hunc exitum res habuit: *Mane*
*facto, videlicet Calendis Ianuarij* (Annoquè Chriſti, vt nos com-
putamus, ſupra Milleſimum centeſimum duodecimo) *Arderi-*
*cus idem cum Vicedomino, & cæteris ſibi coniuratis in abijciendo* D
*Groſulanum vel in ſuſcipiendo, aut in alium eligendo Archiepiſ-*
*copum catholicè, Pulpitum aſcendit; & facto ſilentio in Populo,*
*coram illa maxima multitudine loquens, dixit: Nos, ſalua reue-*
*rentia Papæ, ſecundùm auctoritatem & iuſtitiam Canonum dici-*
*mus, quòd Groſulanus non poteſt eſſe Archiepiſcopus Mediolani.*
*Iſto dicto & confirmato, illicò Presbyterum Iordanum de Cliui ele-*
*git in Archiepiſcopum.*

XV. *Hoc*

XV. *Hoc cùm Presbyter Liprandus audiuit ; ægrotus è lecto ſurrexit; &* A
*in altera die illi Electo piſcem obtulit, dicens: Gratias Deo, quòd
nunc mihi teſtimonium perhibetis. Sed hi, qui te elegerunt in Ar-
chiepiſcopum, malè fecerunt, & Deus illis miſereatur; quia tu
poſſes eſſe vnus bonus Presbyter de clauſtro; nunc autem maſculus
eſto. Cùm autem Electus ille, nec aliquis de tot circumſtantibus,
ipſi Presbytero reſpondiſſet; Presbyter ipſe propinquiùs acceſſit; &
oſculatus Iordanum, ſicut vnum de cæteris Sacerdotibus reliquit.*

XVI. Februario deinde menſe Iordanus ab Epiſcopis Suffraganeis,
Landulpho Aſtenſi, Arialdo Ianuenſi, & Mamardo Taurinenſi,
conſecratus in Epiſcopum fuit. Eiuſdem verò tam Electioni
quàm Conſecrationi conſenſum etiam fuiſſe præſtitum à Paſ-
chali Papa Secundo, procul dubio inde conſtat, quòd illi ab eo- B
dem poſtea Pallium Archiepiſcopale tranſmiſſum fuit. *Ma-
mardus Taurinenſis* (verba ſunt Landulphi noſtri Iunioris eo-
dem illo Capite 21.) *illicò Romam adiuit, & Stolam petijt: &
rediens inde, Stolam, & chartam, continentem ſacramentum,
quod Papa poſcebat à Iordano, attulit; alioquin, Stolam dari
Iordano, Papa prohibuit; ſicut idem Mamardus notauit. At
Iordanus per ſex menſes ieiunus fuit, & Stolam non habuit.*
Eam quippe non habuit, niſi poſtea in feſto Sancti Nicolai, ſi- C
cut ego interpretor, Epiſcopi Myrenſis, ſexta Decembris die
celebrari ſoliti; nec enim Sanctus Nicolaus Tolentinus adhuc
in lucem prodierat. Quocirca etiam Landulphus Cap. 25. ſic
ſcribebat: *Igitur Presbytero Liprando poſito in Pontidij Monaſte-
rio* (qua de re nos Capite proximo dicemus) *fama de Groſula-
no, redeunte à Ieroſolymis, aures Iordani & Ordinariorum eius
impleuit. Et Mamardus, Taurinenſis Epiſcopus, iterùm Me-
diolanum venit: atque Stolam, quam in præcedenti Anno* (quæ
tamen præcedentis Anni mentio nonnihil patitur difficultatis;
vt in Ambroſianæ item Baſilicæ Monumentis Num. 317. obſer- D
uabam) *ſine ſacramento Iordano dare noluit neque dedit, nunc,
videlicet in feſto Sancti Nicolai, quando Presbyter Liprandus
Pontidium intrauit, ſuper Altare Sancti Ambroſij poſuit: & Ior-
danus, oſculans eam, de ipſo Altari aſſumpſit: quæ poſitio & aſ-
ſumptio, abſentibus Ordinarijs & Primicerijs, facta fuit.* In
teſtimonium verò eiuſdem conſenſus, à Paſchali Papa Secun-
do præſtiti pro Iordano contra Groſulanum, ſanè quidem ha-
bemus

bemus etiam Synodum Lateranenſem, Anno Domini Milleſi- A
mo centeſimo decimo-ſexto ab eodem Paſchali Papa celebratam, & ipſiſmet quidem Iordano atque Groſulano præſentibus, iuraque ſua producentibus. Vt enim Capite 29. concludit Landulphus noſter, qui pariter eidem Synodo aderat, & cuius verbis Acta illius ego in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis Num. 322. deſcribebam; in ea denique prolata fuit hæc Sententia: *Quæ prohibuit, Groſulanum Mediolanenſem Eccleſiam inquietare: & ad Epiſcopatum* (nempe Saonenſem) *dixit ei redire*. Cuius quidem Sententiæ mentionem fecit etiam Conradus Abbas Vrſpergenſis in Chronico ad eumdem hunc An- B
num 1116. eamque fecit his verbis: *Sabbato denique* (quo die finis ei Synodo eſt impoſitus) *inter Mediolanenſium Epiſcopos controuerſia tali diſpenſatione terminata eſt; Apoſtolico Paſchali docente, translationes Epiſcoporum duobus fieri modis, neceſſitate, vel vtilitate; huius autem translationis Groſolani, quæ videbatur, vtilitatem in animarum & corporum damna conuerſam; Groſolanum quidem in locum, vnde translatus fuerat, reſtituit; Iordanem verò Mediolanenſibus conceſſit*.

XVII. Quod autem obiter hoc loco pro notitia veritatis ſuperadditum ſit: ego in prædictis Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis C
Num. 326. Landulphi noſtri producebam verba, Capite illo 29. de Groſulano protinus ipſo hunc in modum ſcribentis: *Ipſe autem, non ad Saonam iuit, ſed in ipſa Vrbe* (Roma) *apud Monaſterium, quod dicitur* SANCTI SABAOTH, *per Annum vnum & menſes quatuor vt Epiſcopus vixit; atque ibi ſepultus eſt octauo Idus Auguſti*. Sic etiam mox ipſum memorabam, noſtratibus alioqui à Scriptoribus paſſim aſſeri ſepultum Romæ AD SANCTVM SEBASTIANVM. In hoc igitur ſepulturæ loco ego nunc ſuſpicor errorem latere; proptereaque legendum eſſe, non SANCTI SABAOTH, ſed SANCTI SABÆ; D
nec AD SANCTVM SEBASTIANVM, ſed AD SANCTVM SABAM. Hoc autem SANCTI SABÆ (aliter SABBÆ) Monaſterium in Monte perſeuerat adhuc Auentino ſitum, Annoque Chriſti Milleſimo centeſimo quadrageſimo-quarto Monachis Cluniacenſibus à Lucio Papa Secundo traditum; ſicut etiam Baronius ad eum Annum Art. 3. teſtatur. Olim verò Græcorum fuerat Monachorum Monaſterium; cu-

ius

ius etiam Ioannes Diaconus mentionem fecit in Vita Sancti A
Gregorij Papæ Magni. Cùm igitur Groſulanus, vt ego quoque Numero illo 326. poſtea memorabam, egregiè contra Græcos Schiſmaticos diſputaſſet in Oriente; hinc etiam minùs mirandum videtur, quòd Romam inde reuerſus, & illic moratus, cum Græcis Catholicis in eo Monaſterio habitauerit, ac ſupremum denique diem illic obierit, ſepultuſque ſit. De tali autem Scriptorum errore primus omnium amicè per Litteras, Anno 1646. ſeptimo Idus Martij datas, eruditiſsimus ac plurimos Annos in Vrbe Roma verſatus me admonuit Bartholomæus cognomento Maluicinus, Eccleſiæ Sancti Petri ad Veterem Lau- B
dis Pompeiæ Vrbem Vicarius perpetuus: cuius immaturum poſtea interitum ægerrimè tuli. Deinde verò etiam in eadem opinione me magis confirmauit manuſcriptus noſtrorum Archiepiſcoporum, à Sancto Anatalone vſque ad Sanctum Galdinum, Anno Domini 1176. defunctum, Catalogus, in Capituli Metropolitani Bibliotheca cuſtoditus. Medius autem ineſt pergameno Codici, quo hinc Landulphi Senioris, inde verò Arnulphi Hiſtoriæ, in tres ambæ Libros diſtributæ, continentur. In eo igitur Catalogo ſic etiam de Groſulano Archiepiſcopo noſtro teſtatum inueni: *Groſulanus Epiſcopus ſedit Annos* C
*ſeptem, & menſes quatuor.* SEPVLTVS EST ROMÆ AD SANCTVM SABA. Sed hinc, à Groſulani obitu, quem Anno Chriſti ſupra Milleſimum centeſimum decimo-ſeptimo illic adſcribebam, retrocedamus ad obitum Liprandi, & eum quidem miraculis nobilitatum.

## *CAPVT LXXXXI.*

*Liprandus Presbyter Anno Domini 1113. ſanctè moritur, & miraculis clarus.*

D

I. PResbyter *Liprandus* (ſic enim à Landulpho teſtatum eſt Cap. 25.) *in ſumma ſua ſenectute poſitus, mihi ait: Video, te aliquantulùm ſuper me erubeſcere propter ea, quæ aduerſus Groſulanum dixi, & feci. Sed, vt minùs idem erubeſcas, verè dico tibi, quòd ego illam Cauſam reſeruo ſoli Deo Omnipotenti: &, dum ſupereſt ſpes, multùm de-*

*ſidero*

*ſidero huius Mundi vitam meam finire in manibus eorum, quorum protectione corpus & anima, præſtante Diuina Gratia, protegatur à manibus eorum, qui protegendo Groſulanum voluntatem Dei occultare voluerunt, & volunt. De Eccleſia autem iſta Mediolanenſi, in qua conſulis mihi manere, & vitam finire, dico, quòd illa eſt mihi, cupienti Ieroſolymam adire, ceu nauis ſine nauta & remige, in portu putreſcens. Quòd ſi vixeris ſecundùm ætatem tuam; eam talem eſſe experieris.* Hæc & alia nonnulla eo tempore Liprandus ad Landulphum. A

II. *Huius mei Magiſtri conſilium ſequens* (ſequitur idem Landulphus Capite 24.) *cùm vellem prorſus dimittere Iordani adminiſtrationem; delatus eſt ipſe Presbyter ad Pontidij Monaſterium, me neſciente. In quo Monaſterio coram Monachis & Fratribus à Feſto Sancti Nicolai* (Myrenſis videlicet Epiſcopi, vt ſuperiori Capite Num. 16. præmonebam) *vſque ad Feſtum Epiphaniæ Domini ſplendidè vixit: atque in eiuſdem Feſtiuitatis nocte, quando ſpiritum emiſit, magnus & ſuauis ſplendor domum, in qua iacebat, admirantibus circumſtantibus, illuſtrauit & illuminauit: & ſic ipſe prædixerat Fratribus.* B

III. *In illa hora, quando Corpus eius ferebatur ad ſepulchrum, Solis ſplendor aerem illuminauit, & nubes cum niue ceſſauit.* C

IV. *Ipſo quoque Presbytero exiſtente in vita, cùm Iordanus* (legendum videtur *Groſulanus*) *& cæteri Groſulaniſtæ calumniabantur eum, & ſuam legem; nobilis Miles Placentinus de faucibus mortis ad laudem eius ereptus eſt. Quia cùm Miles ille eſſet quaſi in ſomno; ſenſit, hunc Presbyterum palpare guttur ſuum; & ſtatim euomuit os piſcis, quod ſuffocabat eum.*

V. *Eodem etiam tempore, cùm domus cuiuſdam ſui affinis, & ſibi attrahentis, arderet; repentè imber fuit; & paleam & domum ipſius Presbyteri integrè ſeruauit.*

VI. *Quòd ſi currerem per ſingula, quæ fecit; ad laudem eius deficeret quidem ſpiritus meus. Sed Deus, qui per omnia ſæcula viuit & regnat, nunc & ſemper animæ eius benedicat. Amen.* Hæc eo Capite 24. Landulphus de Liprandi obitu, eiuſquè miraculis. D

VII. Ad eiuſdem porrò Liprandi miracula mihi quidem illa etiam pertinere videntur, quæ ab eodem Landulpho ſcripta iam fuerant Capite 7. & 14.

VIII. Capite ſiquidem 7. ſic ille: *Cùm alter alterum* ( Groſulanus

nempe

nempe Archiepiſcopus & Liprandus Presbyter ) *ſuſpectum haberet ; contigit, quòd Heribertus de Bruzano, valde aggrauatus febribus, venit ad dictum Presbyterum, ſupplicando, vt aduersùs infirmitatem daret ſibi remedium. Miniſtri verò Presbyteri miniſtrauerunt cibum & lectum conuenientem illi ægrotanti, donec Dominus Virtutum per impoſitionem manuum eius Presbyteri præbuit ſalutiferum remedium ipſi ægrotanti. Vnde Groſulanus ſtimulatus ait ad Presbyterum: Quia participaſti Heriberto, meo excommunicato; præcipio tibi, vt Miſſam non cantes, quouſque pœnitentiam inde ſuſceperis, & mihi ſatisfeceris. Et Presbyter ad illum: Quod feci in Heriberto, bonum fuit, & à Deo venit; atque de bono & Dei opere non nouı pœnitere. Etſi non habes ſuper me hanc poteſtatem; tamen, propter hoc ſcandalum vitandum, tibi contemperabo.* A B

IX. Similiter etiam Cap. 14. loquens de ſua, quam deſtinauerat, profectione in Valtelinam Vallem, ad Liprandum, qui iam illuc ſeceſſerat, ſic inquit: *Aſſumpto igitur equo Anſelmi, & meo, vnà cum fratre meo, ad ipſum meum patronum feſtinaui. Et cùm proceſſiſſem viginti-quinque milliarijs, mihi Angelus occurrit, dicens: Presbyter Liprandus, rediens à Valtelina, infirmus iacet ad Monaſterium de Cliuate. Citiùs igitur, quàm ſperaſſem, inueni illum in lecto ſedentem, & lac edentem. Qui cùm me vidit, ambas leuauit manus, & gratias Deo dixit. Arialdus verò, illius Monaſterij Abbas* ( hic mihi videtur vnus idemquè fuiſſe cum Arialdo illo Abbate, quem Capite 86. Num. 10. videbamus ab eodem Landulpho nominatum ) *poſtquàm audiuit, me aduenîſſe, & conſolationem ipſi ægroto dediſſe; me meumquè fratrem extra cameram vocauit; & per plura verba ſe trepidare, fidelitatem, quam iurauerat Groſulano, nobis notauit; atque, neſcientibus Monachis, nos admonuit, vt ipſum deportaremus ægrotum à Monaſterio ſaltem duobus milliaribus. Infirmus autem vt ſenſit, me meumquè fratrem ſollicitari ſuper ſua infirmitate & portatione; ait: Nolite turbari; quia per gratiam Dei nunc mihi multùm eſt melius; & in craſtino, Deo annuente, in Ciuitatem iter habebimus. Et mane facto, ocrudatas quaſdam ſuas veſtes induit, & cibum ſumpſit, & quaſi ſanus factus ſuper mulam ſedit. Puer quoque eius, habens ſuum aſinum oneratum pellibus, licet de ſolito bis aut ter in die torqueretur caduco morbo; tamen,* C D

*Preſbytero ſedente ſuper mulam, puer idem venit nobiſcum in vna* A
*die vſque ad Sanctum Damianum de Baraza abſque vllo illius*
*infirmitatis impedimento. Ibi, gratia Dei, & Beatiſsimi Am-*
*broſij, cuius locus iſte Cella eſt, bene recepti pernoctauimus, &*
*alteram diem dimidiauimus; & ante Solis occaſum Eccleſiam*
*Sancti Pauli domumquè noſtram intrauimus; atque familiam, quæ*
*ibi aderat, noſtram lætam fecimus.* Hactenùs Landulphus.

X. Hæc igitur vnà cum innocuo illo per ignem tranſitu mirabilia ſunt
illa, propter quæ Liprandus hic Sacerdos mihi viſus eſt dignus,
vt miraculis clarus appellaretur.

XI. Accipe verò nunc, quàm honorificè de ipſo ſenſerit accuratiſsi- B
mus Eccleſiaſticæ Placentinorum Hiſtoriæ Scriptor, Landul-
phi pariter noſtri teſtimonio innixus. Petrus autem ille eſt
Maria Campus, quem Libro huius Operis Primo, Cap. 30. teſ-
tem mihi pro Sancto Martyre Arialdo aſciſcebam. Etenim
Primæ Partis Libro 12. ad Annum Chriſti 1114. ſic ille ſcrip-
tum reliquit: *Viddero i noſtri in queſt'Anno (ò, ſecondo il Si-*
*gonio, nel precedente) piouer ſangue dal Cielo; ſe vero è, che*
*tal pioggia non ſolamente in Parma veniſſe, mà per tutta l'Emi-*
*lia, e per la Romagna etiandio, con grandiſſimo terrore de Popo-*
*li. E ſe giunta foſſe in Milano; congietturar ſi potrebbe, eſſer* C
*ſtata forſe in dimoſtranza, che l'innocente ſangue, ſparſo in quei*
*contorni da maladetti Heretici e Simoniaci, i quali tuttauia per-*
*turbauan la Chieſa, non riſinaua co' ſuoi clamori al Cielo di chie-*
*derne la douuta vendetta.*

XII. *Comunque ſi foſſe, era l'Anno innanzi alla ſuperna gloria ſalito il*
*pijſſimo Sacerdote e Martire di Chriſto, Prete Liprando, Rettore*
*di San' Paolo in Compito ſu'l Milaneſe (* immò verò in Vrbe
ipſa Mediolano *) che, per eſſere ſtato acerrimo difenſore della*
*Catolica Religione in compagnia del Santo Martire Arialdo; da*
*noi commemorato altroue (* & hic in margine citatur *Baronius ad* D
*Annum* 1066. *) e contrario al volere de Simoniaci Arciueſcoui,*
*fù à lui per ordine di quelli nel* 1076. *tagliato il naſo e l'orecchie;*
*e contuttociò viſſe ſempre coſtantiſsimo nel ſuo ſanto propoſito tren-*
*ta-ſette anni ancora, e con mirabile patienza ne' trauagli continui,*
*che da que' ſcelerati riceueua; e dir ſoleua tal fiata: Videtis me*
*abſciſſum naſo & auribus pro nomine Chriſti; vnde mihi magna*
*retributio eſt promiſſa, ſi in finem perſeuerauero. Come così fece;*

e

*e meritò di eſſer fauorito da Dio, non ſolo in vita, mà anche doppo morte, di molti ſtupendi ſegni, che nel decorſo Anno* 1113. *auuennero.* A

XIII. Et, paucis interpoſitis, hæc item habet: *Frà i Miracoli di Liprando in vita narraſi, che, per prouare eſſer chiara la Simonia di Groſolano, egli paſsò intrepido & illeſo frà l'ardentiſsime fiamme del fuoco. Mà quello, che fà per noi, è, che liberò etiandio dalla morte vn nobil Caualiere Piacentino: il quale per vn'oſſo di peſce, che nel mangiare gli s'era attrauerſato nella gola, ſtaua per affogarſi: e già vicino alla morte hebbe in viſione l'ottimo Prete Liprando, che ancor viueua: e ſentendoſi da lui toccare la gola, ſubito vomitò l'oſſo, e rimaſe libero.* B

XIV. *Riferiſce queſto Miracolo Landolfo de San Paolo (che viſſe con detto Liprando alcun tempo) dopo il racconto della ſua ſanta morte, occorſa nel Monaſtero di Pontida, con le ſeguenti parole: Ipſo quoque Presbytero (Liprando) exiſtente in vita, cùm Iordanus* (hic ego iam ſupra obſeruabam legendum videri potiùs *Groſulanus*) *& cæteri Groſulaniſtæ calumniabantur eum, & ſuam legem; nobilis Miles Placentinus de faucibus mortis ad laudem eius ereptus eſt. Quia cùm Miles ille eſſet quaſi in ſomno, ſenſit, hunc Presbyterum palpare guttur ſuum; & ſtatim euomuit os piſcis, quod ſuffocabat eum. Il nome del Caualiere, che à noi ſarebbe ſtato di guſto, ò non lo ſeppe Landolfo, ò lo laſciò nella penna.* C Hæc ibi Petrus Maria Campus in rem noſtram, & è noſtri teſtimonio Landulphi: quem ibi præterea in margine identidem nominauit.

XV. Cæterùm Pontidienſe vel Pontidenſe illud Monaſterium, à Pontidio vel à Pontida Vico, vbi extat, ſic appellatum, & Sancto Iacobo Apoſtolo dicatum, trans flumen eſt Abduam, & ab Vrbe noſtra milliaribus circiter triginta diſtat, ab Oppido autem Brippio duobus. Primus illius Fundator & Abbas fuiſſe dicitur D Beatus quidam Albertus (aliter Adalbertus) origine Bergomenſis, idemquè nonageſimo-quinto Anno ſupra Milleſimum ex hac peregrinatione Cæleſtem ad Patriam migraſſe. Sicut autem intra Diœceſim ac Ditionem illud erat Mediolanenſem; ſic etiam Populi Mediolanenſis ære conſtructum fuit. Quamobrem Anno etiam Milleſimo centeſimo decimo-nono ex eodem illo Monaſterio tres Mediolanum venere Monachi:

qui, Populum in Theatro ( ſicuti moris tunc erat ) ſedentem A
præſtolati, prodierunt in medium: & gratijs actis, quòd eiuſ-
dem Populi conſenſu & impenſa fundarum illud & extructum
iamquè commodum & habitatorum capax foret; hoc inſuper
rogando impetrarunt, vt ſignatis illud tabulis etiam iuberent
immune ac liberum ſeruari ab ijs oneribus, quibus interdùm
grauari prædia ſolerent. Quibus de rebus legi poſſunt ad eum-
dem Annum Triſtanus Chalcus & Bernardinus Corius in ſuis
Mediolani Hiſtorijs, necnon etiam mea Baſilicæ Ambroſianæ
Monumenta Num. 316. & 331. Liprandus igitur ad illud Mo-
naſterium ſeceſſit, vt opinor; quia illic ſe crederet tutum fore B
contra Groſulani fautores illos, quos ( vt Numero primo vidi-
mus) tantopere deteſtabatur.

## C A P V T LXXXXII.

*Vtrùm Sanctus Ambroſius Clero ſuo Mediolanenſi permiſerit, vt virgini nubere ſemel poſſet.*

I. INter omnes Arialdi aduerſarios, qui ei dum
viueret, eiuſquè interim fautoribus ipſos reſ-
titerint, neminem profectò adhuc inueni, C
qui Cleri Mediolanenſis Coniugia expreſsè
aſſeruerit à Sancto iam olim Antiſtite noſtro
Ambroſio permiſſa vel etiam comprobata
fuiſſe. Quocirca ne tale quidem aliquod alicuius aduerſarij
effatum colligi poteſt ex vniuerſo hactenùs hoc Opere noſtro;
quò cæteroqui alia tam multa in medium proferuntur hinc in-
de argumenta, quibus Clerus, tam noſter quàm externus, ſua
eiuſmodi Coniugia tutari pertinaciter conabatur.

II. Non defuere tamen alij poſtea Hiſtoriarum Scriptores, qui tali-
bus Cleri Matrimonijs patrocinium Sapientiſſimi pariter ac D
Sanctiſſimi eius Doctoris diſertè non minùs quàm indubitan-
ter affinxerint; eorumquè primus ſe mihi Datius offert ille
Chronologus, quem multi noſtrum ac Sanctum fuiſſe Archie-
piſcopum, à Sancto Gregorio Papa Magno commendatum,
exiſtimarunt; quos ego quidem Diſſertationis meæ Nazarianæ
Capite 39. è Numero 10. refellebam: pauloquè pòſt in idem
figmentum ſecundus illi ſubſcribit Landulphus ille Senior,
quem

quem Capite pariter illo 39. Numero 13. tum etiam Præfatione in huius Operis Librum Primum, & eiuſdem Libri Primi Capite 2. indicaui. Ac ſuas quidem Hiſtorias contemporanei protraxerunt, Datius ad Annum Chriſti ſaltem ſeptuageſimum-quartum, Landulphus verò ad octuageſimum-quintum ſupra Milleſimum; ſicut ego pro Datio concludebam Capite illo 39. Numero 14. pro Landulpho autem in huius Operis Libro Primo, Capite 2. Numero 3. A

III. Datium ipſum audiamus. Licet enim tale illius Chronicum nullibi hoc tempore inueniatur; ipſiſſima tamen ipſius hac de re verba nihilominùs habemus è Gualuaneo Flamma, qui duo eius exemplaria ſuo tempore ſuos in vſus habebat in promptu. B In ſuo igitur Chronico Maiori, ſecundùm exemplar in Ambroſiana Bibliotheca cuſtoditum, Capite 397. Gualuaneus hæc inde poſteris exſcripta reliquit, quæ pariter ego Diſſertationis Nazarianæ Capite illo 39. Numero 11. recitabam: CHRONICA DATII; *In Synodo Damaſi Primi, centumquinquaginta Epiſcoporum, celebrata in Conſtantinopoli, vbi Beatus interfuit Ambroſius, grauiſſima diſſenſio exorta eſt inter Sacerdotes vxoratos ex vna parte, & inter Sacerdotes ſine vxore viuentes ex altera. Qui Sacerdotes ſine vxore dicebant, Sacerdotes vxoratos ſaluari non poſſe. Summus Pontifex hanc quæſtionem commiſit Beato Ambroſio. Qui ſic ait: Perfectio vitæ, non in caſtitate, ſed in charitate conſiſtit, ſecundùm illud Apoſtoli* (Primæ ad Corinthios Capite 13.) *Si linguis hominum loquar & Angelorum, &c. Ideò lex concedit, Sacerdotes ſemel virginem vxorem ducere; ſed Coniugium non iterare. Si autem, mortua prima vxore, Sacerdos aliam duxerit; Sacerdotium amittit.* Ipſiſſima igitur hæc de re verba Datij hæc erant, teſte Gualuaneo Flamma, qui eis etiam temerè conſenſit, vt paulò pòſt videbimus. C D

IV. Datium, ſicuti dicebam, concors ſubſecutus eſt poſtea Landulphus ille Senior, & eiuſmodi ſententiam Libro 1. Capite 11. & inſcripto *De Monogamis Sacerdotibus ſecundùm doctrinam Beati Ambroſij*, hunc in modum paulò aliter expreſſit: *Sedente Beato Ambroſio, grauiſſima diſſenſio orta eſt coram Apoſtolico in Synodo, inter Sacerdotes Monogamos, & alios ſub virginitate aut caſtitate degentes. Quod factum, Apoſtolico imperante,*

*rante, & alijs Epiſcopis conſentientibus, datum eſt in iudicio* A
*Beati Ambroſij; vt, quidquid ipſe diceret, ſanctum & firmum teneretur. At Beatus Ambroſius, cognoſcens ſenſus humanos pronos ad peccandum maximè propter incontinentiam: ſciens, aliquem nec virginitatem nec caſtitatem niſi à Deo habere poſſe; quod in Libro de Officijs iam dictauerat, ait: De Monogamia Sacerdotum quid loquar? quando vna tantùm permittitur copula, & non repetita: & hac lex eſt, non iterare Coniugium. Sicquè dicens, omnem diſſenſionem compeſcuit: Itaque Græci Sacerdotes, Ambroſianam tenentes ſententiam, vſque hodie ſancitum & pro lege ſacra habent, vt, quando in Sacerdotio vnguntur, aut* B
*virginitatem exinde promittant, aut vxores in teſtimonio bonorum virorum ſibi ſocient. Et ſi contigerit, quòd vxor ſua moriatur; aut caſtè viuunt, tenentes Sacerdotium; aut Sacerdotium amittunt, ſi ampliùs aliquam mulierem carnaliter cognouerint. Quorum Eccleſiam in plurimis officijs venerabiliter imitatus eſt. Quinetiam ſacrificium eorum, ſcilicet fermentatum, cum noſtro azimo in celeberrimis feſtiuitatibus, maximè in Reſurrectione Domini, benedicebat.* Talia Landulphus ille Senior, vxoratis per ea rempora Sacerdotibus & ipſe addictiſſimus; vt iam ſæpè dictum eſt. C

V. Sed quid item Gualuaneus Flamma, nonnullique poſt ipſum alij, qui ſine dubio cæteroqui tàlia Cleri Coniugia damnabant, meritiſſimequè vetita demùm eſſe profirebantur? En vt ille primam eorum originem iam inde ab Apoſtolicis temporibus perperàm traxerit. Chronici enim ſui, paulò ante memorati, Caput 226. ſic inſcripſit: *Sacerdotes & Epiſcopi habebant vxores*: moxquè ſic etiam illud proſecutus eſt, & argumentis confirmauit. *Potuit Beatus Barnabas ſucceſſorem inſtituere, & Eccleſias ordinare; & ordinati potuerunt vxores habere. Vnde dicit Apoſtolus prima ad Timothaum 3. Oportet Epiſcopum in-* D
*reprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum. Et idem Apoſtolus, de Diaconibus loquens, in eadem Epiſtola: Diacones ſint vnius vxoris viri, qui filijs ſuis benè præſint, & domibus ſuis. Et idem Apoſtolus dicit ad Titum primo Capitulo: Conſtitue per ſingulas Ciuitates Presbyteros, ſicut & ego tibi diſpoſui. Si quis ſine crimine eſt, vnius vxoris vir, filios habens fideles. Et Lucæ primo Capitulo habetur, quòd Zacharias Sacerdos genuit ex*

*Eliſabeth*

*Eliſabeth Ioannem Baptiſtam. Ex hoc manifeſtè apparet, quòd licet Epiſcopis & Sacerdotibus & Diaconibus vxores habere de iure, & in Nouo Teſtamento & in Veteri. Et ſimile habetur de Enberto de Arzago, Archiepiſcopo Mediolanenſi: quòd duxit in vxorem nobilem mulierem Vſeriam, quæ donauit Monaſterio Sancti Dionyſij Vſeriam. Sed poſtquàm Alexander Papa de Badagio, de Mediolano, ſtatuit, quòd nullus Clericus vxorem duceret, ſacro approbante Conſcilio, de cætero nulli Clerico licuit vxorem ducere; præcipuè quia in Ordine Subdiaconatus quilibet Clericus ſolempniter profitetur perpetuam caſtitatem.* Hæc ibi Gualuaneus. Idemquè poſtea Capite 397. (aliter 396.) inſcripto, *Cultus diuinus amplificatur per Beatum Ambroſium*, poſteaquàm è Datij Chronico varios recenſuiſſet Sacrorum Miniſtrorum Ordines, in Eccleſia Mediolanenſi ab ipſo inſtitutos, hæc ſubdit: *Quos omnes benedixit: &, quòd quilibet poſſet accipere vxorem virginem, conceſſit: Qua defuncta, & ipſi vidui permanerent. De iſta materia habetur ſupra Capitulo 227.* ſiue illo ipſo 226. quod ego ſupra proferebam, ſicut ibi fuerat ab eodem Gualuaneo numeratum. Neque verò his contentus; præſens Caput hunc etiam in modum proſequitur: *Gloſa.* CHRONICA DATII: *In Synodo Damaſi Primi, centumquinquaginta Epiſcoporum, celebrata in Conſtantinopoli, vbi Beatus interfuit Ambroſius*: & reliqua, ſicut à me recitabantur Numero tertio. Sed & rursùs Capite 737. de Archiepiſcopo noſtro Heriberto ſcribens, ſic etiam narrat: *Eius vxor, dicta Vſeria, mulier ditiſſima nimis, donauit Monaſterio Sancti Dionyſij poſſeſſionem, quæ dicitur Vſeria.* Talia Gualuaneus in eo Chronico. Eoſdem porrò Miniſtrorum Ordines in altero pariter Chronico ſuo, quod Manipulum Florum appellauit, enumerauerat ex eodem Datio, cùm ad extremum Capitis 40. hæc itidem adiecit: *Iis omnibus benedicens Beatiſſimus Ambroſius, vna vxore vti poſſe conceſſit: qua defuncta, & ipſi vidui in æternum permanerent. Quæ conſuetudo durauit Annis ſeptingentis vſque ad tempora Alexandri Papæ, quem Ciuitas Mediolani genuerat.* Quocirca etiam poſtea Capite 152. recenſere cœpit, quemadmodùm hæc ipſa controuerſia fuerit ab eodem illo agitata Pontifice, cùm Cardinalis adhuc ſiue Canonicus eſſet Ordinarius Eccleſiæ Mediolanenſis.

VI.Ma-

VI. Manuſcriptum illud Chronicum, *Flos Florum*, cuius teſtimonio A
vtebar ſuperiori Libro Primo, Capite 6. à me lectum iam fue-
rat ante Annum 1645. & antequàm typis ederem Ambroſianæ
Mediolani Baſilicæ ac Monaſterij Monumenta, in quibus fre-
quens habetur eiuſdem Chronici mentio. Cùm verò poſtea
illud domino ſuo, Aloyſio ab Eccleſia, mihi tempus in omne
grata commemoratione recolendo, reddidiſſem: cumquè
deinde Anno 1653. Sancti Laurentij Litræ Archiepiſcopi noſtri
Vitam conſcriberem, ſtatimquè per partes feſtinatam Typo-
grapho traderem intra ferias autumnales, neque tunc Codicem
illum (ſicuti neque Triſtani Chalci autographum, de quo item B
dicam poſtea) in promptu & ad manus habere poſſem; ſic
exiſtimaui, vt eius Chronici Auctor, per omnia fermè ſolitus
Gualuaneo Flammæ conſentire, in eo etiam conſenſiſſet, quod
ille de Matrimonijs Sacerdotum Sancto Ambroſio adſcripſe-
rat. Itaque Capite illic 20. Numero 16. idipſum affirmaui.
Sed in hoc tamen memoria me fefellit, vt recenter animaduer-
ti. Etenim Autor ille Chronici, Gualuaneum ſectatus Flam-
mam, in Ambroſio Epiſcopo longè quidem lateque deſcriben-
do proſequitur omnes illos Miniſtrorum Ordines ab ipſo inſti-
tutos; atqui de Coniugio iiſdem permiſſo ne verbum qui- C
dem facit; ſaniore nimirùm, quàm Gualuaneus, conſilio. Ac
tantummodò poſtea in Heriberto Archiepiſcopo inter alia
multa ſic inquit folio 128. pagina 2. *Hic Archiepiſcopus ha-
buit Vxeriam, nobilem mulierem, vxorem: quæ donauit dotem
ſuam Monaſterio Sancti Dionyſij, quæ vſque hodie Vxeria dici-
tur.* De quo tamen additamento quid item mihi videatur,
hoc ipſo Capite, ſuo loco aperiam.

VII. Certè autem Gualuaneo Flammæ in ea etiam parte conſenſit
Petrus ille Azarius, cuius teſtimonio ſimiliter vtebar ſuperioris D
Libri Primi Capite ſeptimo. In Sancto enim Archiepiſcopo
Ambroſio, facta mentione Cleri ab ipſo in Eccleſia Metropoli-
tana inſtituti, hunc protinùs in modum cum Gualuaneo Flam-
ma locutus eſt: *Iis omnibus benedicens Beatus Ambroſius, vna
vxore vti poſſe conceſſit; qua defuncta, & ipſi vidui in æternum
permanerent. Quæ conſuetudo durauit Annis ſeptingentis vſque
ad tempora Alexandri Papæ, quem Ciuitas Mediolani genuerat.*

VIII. Triſtanus quoque Chalcus in eodem fuiſſe mihi videbatur
errore,

errore, non quidem ſecundùm typographicam Hiſtoriæ ſuæ A
Mediolanenſis editionem, hac in Vrbe Anno Domini 1627.
elaboratam (in qua videlicet errorem illum prætermitti re ve-
ra oportuiſſet, ſicuti contra Bernardinum Corium iam fuerat
decretum, vt paulò pòſt videbimus) ſed ſecundùm exemplar
ipſius manuſcriptum, immò verò autographum, in Ambro-
ſiana Bibliotheca aſſeruatum. Itaque in Archiepiſcopi etiam
noſtri Laurentij Littæ Vita, Capite 20. Numero 16. Triſtanum
quoque Chalcum ex eo autographo connumerabam nonnullis
alijs eius erroris ſectatoribus. Verumtamen in eo nihil tale
nuper inueni, cùm præſens Caput conſcriberem, cumquè illa B
denuò ſcrutarer eius loca, in quibus hoc olim legiſſe mihi qui-
dem videbar. Eum igitur in præſenti tacitus prætermitto; ſi-
cut etiam eumdem interim hac in parte abſoluo. Certè ta-
men hac ipſa occaſione illum rurſùs reum denuncio erroris il-
lius, quem ipſi adſcribebam eodem hoc Libro Quarto, Capite
2. Num. 42. Sicut enim error ille ſine dubio extat in editione
typographica; ſic etiam extat in Auctoris autographo, necnon
etiam in altero exemplari pariter manuſcripto, quæ in Ambro-
ſiana Bibliotheca cuſtodiuntur. Quocirca mihi ſanè nulla vi-
detur habenda ratio tertij cuiuſdam exemplaris, quod mihi nu- C
per commodatum fuit ab Amico, erga me officioſiſſimo, eo-
demquè perquàm erudito, & ſelectis pro Re Hiſtorica Libris
alijſquè Monimentis abundè inſtructo, videlicet à Ioanne
Baptiſta Blanchino, Iuſtitiæ hoc Anno 1656. hac in Vrbe Conſu-
le meritiſſimo. Quo quidem in exemplari nulla prorsùs illic ha-
betur eius Præpoſituræ, vel Præpoſiti Metropolitani mentio.
Hanc enim de induſtria (vt ego interpretor) prætermiſit alius
quiſpiam ab Auctore diuerſus, qui benè certoquè noſſet pri-
mam eius Præpoſituræ inſtitutionem; quiquè Triſtanum cu-
peret ab eius erroris nota liberare. D

IX. Venio iam tandem ad Bernardinum Corium, vel hoc ipſo con-
tra Cleri Cælibatum errore, cenſuraquè contra ipſum ritè pro-
nunciata, in ore famæ celebrem. Chronici enim ſui Mediola-
nenſis Parte Prima, & ſecundùm Anni 1565. editionem Vene-
tam pagina duodecima, ſingillatim proſecutus ſacros Miniſ-
trorum Ordines, à Sancto Ambroſio in Eccleſia Mediolanenſi
ſeu in Baſilica Metropolitana inſtitutos, in hæc verba definit:

*Conſtituì anco molti Sacerdoti, Lettori, e Oſtiarij: e tutti li benedì: & conceſſe loro, che poteſſero hauere Moglie Vergine; la quale morendo, reſtaſſero poi vedoui: come chiaramente ſi legge nella prima à Timoteo. E che ciò ſia vero, apertamente ſi vede, come Enriberto di Antimiano, Arciueſcouo di Milano, del quale in proceſſo dell'Hiſtoria ampiamente trattiamo, hebbe per moglie vna nobil donna, per nome Vſeria: alla quale donò il Monaſtero di San' Dionigi* (legendum tamen hic eſt, *la quale donò al Monaſtero di San' Dionigi*; ſicut etiam Gualuaneus Flamma ſuperiore Numero quinto affirmabat) *doue fino al preſente è contiguo, vna fruttifera vigna, la quale dal nome di quella è* B *chiamata la vigna d'Vſeria. Mà poi in ſucceſſo di tempo da Aleſſandro Terzo Pontefice* (verè tamen hic Pontifex non Tertius nominis huius fuit, ſed Secundus) *fù ordinato, che alcun Sacerdote ò Cherico non toglieſſe Moglie: & queſto ancora fù approuato dal Sacro Concilio, ſogiugnendo, che in perpetuo oſſeruaſſero Caſtità. Per la qual coſa poi nell'Anno Mille ſeſſantadue Enribaldo Cotta, volendo perſeguitare i Cherici maritati, da eſſi fù crudelmente morto. Onde, come ſcriue Leone ne ſuoi Annali, eſſendo tenuto per Martire, dalla Republica fù con ſomma riuerentia fatto ſepellire nel Tempio dedicato à San' Dionigi, in* C *vna caſſa circondata di lame di ferro*. Quod quidem Corij pro Cottæ ſanctitate teſtimonium, hic tandem adiectum, ego iam ſupra recitaui Libro Primo, Capite Nono.

A

X. Hactenùs Auctores, quorum aſſertione Sanctus Antiſtes noſter Ambroſius matrimonia Sacerdotibus conceſſit. Sequitur nunc, vt deinceps oſtendamus, quàm falſa & deteſtabilis, quamquè Scriptore Catholico indigna ſit eiuſmodi aſſertio. Eam ſanè (vt hinc exordiamur) Sacra Indicis Congregatio iamdudùm in Bernardino ipſomet Corio, qui eam primus in publicam lucem typis euulgauerat, damnauit, & ex ipſius D Chronico abolendam eſse ſanciuit. Sic enim è ſubſequenti conſtat Epiſtola, non multò pòſt ad Cardinalem Archiepiſcopum noſtrum Federicum Borromæum ſcripta, & inter Ambroſianæ Bibliothecæ libros cuſtodita, & his exarata verbis:

*Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Sig. mio Oſſeruandiſs.*

*Hauendo la Sacra Congregatione dell'Indice conſiderato, quanto ſia deſiderato & vtile il Libro di Bernardino Corio ſopra l'Hiſtorie di*

*Milano,*

*Milano, che nell'Editto delli 16. di Marzo 1621. ſ'ordina non permetterſi, ſenon corretta: & che non v'erano ſtati notati altri errori, che nel foglio 12. iuxta impreſſionem Venetam,* ASSERIT, SANCTVM AMBROSIVM PERMISISSE SACERDOTIBVS VXOREM DVCERE, *& foglio 629. inquit, Summum Pontificem conceſſiſſe Indulgentiam Plenariam Eccleſiæ Mediolanenſi, etiam non contritis: quali errori anche ſi trouano nell'impreſſione antica di Milano del 1503. ſi ſono compiacciuti queſti Signori Illuſtriſsimi miei Colleghi, che auuiſi à ſua Signoria Illuſtriſſima, come fò con la preſente, che, corretti ò tolti via detti due lochi ſoli, poſs'ella à ciaſcuno della ſua Dioceſe dare liberà facoltà & licenza di leggere & tenere detta Hiſtoria; & che per tutto poſſa così corretta correre, & anche di nuouo riſtamparſi. Con che, bacciando à Voſignoria Illuſtriſsima humilmente le mani, me le offero di cuore. Di Roma li 6. di Ottobre 1621.* A B

*Di V.S. Illuſtriſſima & Reuerendiſſima*

*Humiliſsimo & Affettionatiſsimo Seruitore,*

*Il Cardinale Beuilacqua.*

*Al Sig. Cardinale Borromeo, Milano.*

Superioris autem Decreti, à Sacra Indicis Congregatione conditi, mentio itidem habetur in Librorum Prohibitorum Elencho, per Franciſcum Magdalenum Capiferreum, eiuſdem Congregationis Secretarium, digeſto. Littera enim B. in eo ſic legitur: *Bernardini Corij Hiſtoria Mediolanenſis non permittatur, niſi correcta. In Decreto 16. Martij, 1621.* C

XI. Quàm falſa porrò ſit & adulterina eiuſmodi aſſertio, Sanctus ipſe Ambroſius per aurea ſcripta ſua, Catholicæ per Orbem vniuerſum Eccleſiæ probatiſſima, commonſtret; eoquè in primis commonſtret loco, ad quem Landulphus itidem ipſe ſuperiore Numero 4. prouocabat. Locus autem ille citra dubium eſt Libri *De Officijs* Primi Caput quinquageſimum ſimul & vltimum. Quocirca etiam illud idem Caput in altero eorum Landulphi exemplarium, quæ in Capituli Metropolitani Biblitheca cuſtodiuntur, ego vidi charactere ſatis recenti adnotatum in ora marginali, iuxta eum Landulphi textum extante, ac ſimul quidem cum hac protinùs cenſura, meo etiam iudicio veraciſſima: *Vide locum malè relatum, & malè intellectum. Vnde maxima corruptela Eccleſiæ Ambroſianæ, & pernicioſi tu-* D

*mulnus, & querelæ toto hoc Libro expreſsæ.* A

XII. Eo igitur loco Sanctus Ambroſius, multa præfatus de virtutibus in Leuita & Altaris Miniſtro neceſsarijs, hunc in modum proſequebatur: *De Caſtimonia autem quid loquar? quando vna tantùm nec repetita permittitur Copula. Et in ipſo ergo Coniugio lex eſt non iterare Coniugium, nec ſecundæ Coniugis ſortiri Coniunctionem.* Et ecce nobis manifeſtum iam eſt, quemadmodùm locus ille à Landulpho malè referretur. Inſpiciamus nunc, quemadmodùm malè pariter ab ipſo intelligeretur. Verùs enim Ambroſij hoc in loco ſenſus hic eſt, vt Euangelicum Leuitam ordinari, ſiue ad ſacrum eiuſmodi Ordinem promoueri, non liceat, ſi Coniugium iam ante iterauerit, hoc eſt, ſi poſt obitum primæ vxoris alteram duxerit, ac propterea Digamus ſit: Illum enim debuiſse tantummodò Monogamum eſse; ac prætereа poſt eam promotionem debere ab officio coniugali penitùs abſtinere; ſic enim lege ſancitum eſse. Huc igitur abſque dubio ſpectant Ambroſij verba proximè recitata, necnon etiam deinceps recitanda. B

XIII. In hanc enim ſententiam ſic etiam progreditur Ambroſius: *Quod pleriſque mirum videtur, cur etiam ante Baptiſmum iterato Coniugio ad electionem Muneris & Ordinationis prærogatiuam impedimenta generentur; cùm etiam delicta obeſſe non ſoleant, ſi Lauacri remiſſa fuerint Sacramento. Sed intelligere debemus, quia in Baptiſmo culpa dimitti poteſt, lex aboleri non poteſt. In Coniugio non culpa; ſed lex eſt. Quod culpæ eſt igitur, in Baptiſmate relaxatur: quod legis eſt, in Coniugio non ſoluitur:* Vt enim Robertus Cardinalis Bellarminus de Membris Eccleſiæ Militantis Libro Primo, qui eſt *De Clericis*, Capite vigeſimoquarto, §. *Ad Hieronymi verò*, ſapienter docebat, *obſeruandum eſt, controuerſiam fuiſſe inter Veteres Patres, an qui vnam vxorem habuit ante Baptiſmum; eaquè mortua alteram duxit poſt Baptiſmum, Bigamus cenſendus eſſet, necne. Nam Sanctus Hieronymus in Epiſtola ad Oceanum contendit; eiuſmodi hominem non eſſe Bigamum; propterea quòd per Baptiſmum ſit factus nouus homo ex veteri; & nihil ei nocere poſſit eorum, quæ fecit ante Baptiſmum. Et ſanè huic ſententiæ multùm fauet Canon 17. Apoſtolorum, qui diſertè prohibet Epiſcopum fieri, qui poſt Baptiſmum bis Nuptias celebrauit. Contrà verò Ambroſius, Inno-* C D

*centius, & Auguſtinus locis citatis contendunt, omninò habendum Bigamum, qui duas vxores habuit, ſiue ante Baptiſmum, ſiue poſt Baptiſmum. Nam Baptiſmus diluit peccata, non ſoluit Coniugia; & renouat hominem quantùm ad vetuſtatem vitiorum, non quantùm ad ea quæ rectè ſe habent. Atque hæc ſententia tandem præualuit; & ab vniuerſa Eccleſia recepta eſt. Neque obſtat Canon Apoſtolicus. Fortaſsè enim eo tempore propter hominum paucitatem diſpenſabant Apoſtoli cum illis, qui ante Baptiſmum vxorem vnam vel plures habuerant, modo non habuiſſent plures poſt Baptiſmum. Neque enim eſt hoc præceptum Apoſtoli* (nempe Pauli, primæ ad Timotheum Capite 3.) *omninò indiſpenſabile.* Hactenùs Bellarminus ibi. Sed ad eiuſdem ſententiæ confirmationem nobis placeat Sanctum itidem Auguſtinum loco per ipſum indicato audire. Libro enim 20. *De Bono Coniugali*, Capite 18. ſic ille ſentiebat: *Quod acutiùs intellexerunt, qui nec eum qui Catechumenus vel Paganus habuerit alteram, ordinandum eſſe cenſuerunt. De Sacramento enim agitur, non de peccato; nam in Baptiſmo peccata omnia dimittuntur. Propter Sacramenti autem ſanctitatem, ſicut fœmina, etiamſi Catechumena fuerit vitiata, non poteſt poſt Baptiſmum inter Dei Virgines conſecrari; ita non abſurdè viſum eſt, eum, qui exceſſit vxorum numerum ſingularem, non peccatum aliquod commiſiſſe, ſed normam quandam Sacramenti amiſiſſe, non ad vitæ bonæ meritum, ſed ad Ordinationis Eccleſiaſticæ ſignaculum neceſſariam.* Sed hinc ad Ambroſium reuertamur.

A B C

XIV. Ille verò ſic etiam ſubinde protinùs interrogat: *Quomodò autem poteſt hortator eſſe viduitatis, qui ipſe Coniugia frequentauerit?* Quod quidem argumenti genus tametſi propriè ab Ambroſio in eos dirigatur, qui à primis nuptijs ad ſecundas tranſierint, quibuſquè propterea promotio Sacrum ad Ordinem negabatur; non immeritò tamen à Catholicis Doctoribus ſecundùm proportionem accommodatur ijs etiam Miniſtris, qui poſt Sacram Ordinationem officio coniugali operam darent. Bellarminus nominatim Libro pariter Primo *De Clericis*, Capite 19. varia enumerans impedimenta, quæ coniugale officium Sacerdotibus alijſquè ſacratis hominibus afferret, id etiam enumerat: *Tertio impedit efficaciam prædicationis, vt Ambroſius docet Libro primo de Officijs, Capite vltimo. Quomodò enim effi-*

D

*caciter exhortabitur viduas & virgines, qui liberis perpetuò ope-* A
*ram dat?* Similiter etiam Gregorius de Valentia in Libro *De*
*Cælibatu*, Capite 5. *Obſtat item* (Matrimonij vſus) *officio do-*
*cendi & exhortandi. Nam qui conſuetudine coniugali implica-*
*tus eſt, non poteſt certè cum ſatis magna efficacia & auctoritate*
*virgines & viduas, & alios de Populo, qui nondùm Matrimo-*
*nio iuncti ſunt, ad continentiam adhortari; vt Diuus Ambroſius*
*Libro Primo de Officijs, Capite vltimo adnotauit.*

XV. Quæ proximè ſubſequuntur ibidem Ambroſij verba, eadem ſa-
nè commonſtrant, quàm rationi conſentaneum quinetiam ne-
ceſſarium ille cenſuerit, vt Sacri Miniſtri poſt Sacram Ordina- B
tionem ab vſu Coniugij deinceps in perpetuum abſtinerent; ſi
fortè priùs nupſiſſent, atque ſuam ſibi vxorem adhuc ſuper-
ſtitem haberent. INOFFENSVM AVTEM (inquit) EXHI-
BENDVM ESSE ET IMMACVLATVM MINISTE-
RIVM, NEC VLLO CONIVGALI COITV VIOLAN-
DVM, COGNOSCITIS, QVI INTEGRO CORPORE,
INCORRVPTO PVDORE, ALIENI ETIAM AB IPSO
CONSORTIO CONIVGALI, SACRI MINISTERII GRA-
TIAM RECEPISTIS. *Quod eo non præterij: quia in pleriſ-*
*que abditioribus locis cùm Miniſterium gererent, vel etiam Sa-* C
*cerdotium, filios ſuſceperunt: & id tamquàm vſu veteri defen-*
*dunt, quando per interualla dierum Sacrificium deferebatur, &*
*tamen caſtificabatur etiam Populus per biduum aut triduum, vt*
*ad Sacrificium purus accederet, vt in Veteri Teſtamento legimus.*
*Et lauabat veſtimenta ſua.* Quem tamen prætextum hac Am-
broſius illicò refellit ratione: *Si in figura tanta obſeruantia;*
*quanta in veritate? Diſce Sacerdos atque Leuita, quid ſit la-*
*uare veſtimenta tua, vt mundum corpus celebrandis exhibeas*
*Sacramentis. Si Populus ſine ablutione veſtimentorum ſuorum*
*prohibebatur* (Exodi 19.) *accedere ad Hoſtiam ſuam; tu illotus* D
*mente pariter & corpore audes pro alijs ſupplicare, audes pro alijs*
*miniſtrare?*

XVI. Et hactenùs quidem ſatis à nobis examinatus ſit prior ille Sancti
Ambroſij locus, quem ſibi Arnulphus pro ſuo errore vſurpabat
in teſtimonium. Videamus nunc, quemadmodùm Sanctus
idem Doctor eamdem ſententiam ſuam disertè alijs etiam in
locis expreſſerit.

XVII. Certè

XVII. Certè autem Libro *De Dignitate Sacerdotali*, Capite 4. expli- A
cans illud Apoſtoli Pauli ad Timotheum primæ Capite 3.
*Oportet Epiſcopum eſſe vnius vxoris virum*, ſic habet: *Si ad ſu-*
*perficiem tantùm litteræ* (ſiue ad ſenſum litteralem) *reſpiciamus;*
*prohibet Bigamum Epiſcopum ordinari. Si verò ad altiorem* (ſi-
ue ad myſticum) *ſenſum conſcendimus; inhibet Epiſcopum duas*
*vſurpare Eccleſias. Et ſi adhuc introrsùs profundiora perſcrute-*
*ris; monet, ne poſt Catholicum dogma, ſenſum inueniatur Epiſ-*
*copus habere hæreticum, ſed Chriſtianam tantùm Orthodoxam &*
*Catholicam ſibi aſſociet Fidem; vt vnius tantummodò vxoris &*
*Catholicæ Eccleſiæ vir Epiſcopus vocitetur*. Et aliquantò pòſt, B
explicans illud item, quod ab eodem Apoſtolo ibidem adie-
ctum legitur, *Domui ſuæ benè præeſſe, filios habentem ſubditos*
*cum omni caſtitate*, ſic etiam inquit: *Domui ſuæ benè præeſſe*
*poteſt, qui corporis ſui ſeruauerit caſtitatem. Domui, inquit,*
*hoc eſt, corpori ſuo tali iure dominetur, vt non ſubdatur ipſius*
*voluntati, ne in deſiderio luxuriæ deditus in præcipitium demerga-*
*tur, ſed potiùs filios ſuo caſtitatis exemplo ad pudicitiæ regulam*
*doceat. Nam ſi quis Domui ſuæ præeſſe neſciat; quomodo Ec-*
*cleſiæ Dei diligentiam adhibebit? Hoc eſt enim de quo ſuperiùs*
*diximus: Qui cordis ſui domum excolere non valet, quomodò* C
*plurimorum adhibebit diligentiam?*

XVIII. Et rursùs in Epiſtola ad Eccleſiam Vercellenſem, quæ ſecun-
dùm Romanam editionem, à Sixto Papa Quinto, cùm Cardi-
nalis eſſet, emendatam, & Pontificio poſtea Diplomate com-
mendatam, vigeſima-quinta eſt Libri Tertij Epiſtolarum, hæc
habet: *Hæc poſui, quæ cauenda acceperim. Virtutum autem*
*Magiſter Apoſtolus eſt, qui cum patientia redarguendos doceat*
*contradicentes: qui vnius vxoris virum præcipiat eſſe: non quò*
*extorrem excludat Coniugij; nam hoc ſupra legem præcepti eſt:*
*ſed vt coniugali caſtimonia ſeruet ablutionis ſuæ gratiam*. NE- D
QVE ITERVM, VT FILIOS IN SACERDOTIO CREA-
RE APOSTOLICA INVITETVR AVCTORITATE; HA-
BENTEM ENIM DIXIT FILIOS, NON FACIENTEM:
*neque Coniugium iterare. Quod ideò non prætermiſi, quia pleri-*
*que ita argumentantur: Vnius vxoris virum dici poſt Baptiſmum*
*habitæ, eo quòd Baptiſmo vitium ſit ablutum, quo afferebatur*
*impedimentum. Et vitia quidem atque peccata diluuntur om-*

*nia ; vt ſi quis contaminauerit ſuum corpus cum plurimis , quas* A
*nulla Conugij lege ſociauerit, remittantur ei omnia : ſed Coniugia non reſoluuntur , ſi quis iterauerit . Culpa enim Lauacro , non lex , ſoluitur . Nulla enim culpa Coniugij, ſed lex eſt. Quod legis eſt igitur, non remittitur quaſi culpa , ſed tenetur quaſi lex. Ideò & Apoſtolus legem poſuit , dicens : Si quis ſine crimine eſt , vnius vxoris vir . Ergo qui ſine crimine eſt , vnius vxoris vir, tenetur ad legem Sacerdotij ſuſcipiendi : qui autem iterauerit Coniugium , culpam quidem non habet coinquinati , ſed prærogatiua exuitur Sacerdotis . Diximus , quid legis eſt : dicamus*
*etiam , quid rationis . Sed priùs cognoſcamus , non ſolùm hoc* B
*Apoſtolum de Epiſcopo & Presbytero ſtatuiſſe , ſed etiam Patres* IN CONCILII NICÆNI TRACTATV *addidiſſe , neque Clericum quemquam debere eſſe ; qui ſecunda Coniugia ſortitus ſit . Quomodò enim poteſt conſolari viduam , honorare , cohortari ad cuſtodiendam viduitatem , ſeruandam Marito fidem , quam ipſe priori Coniugio non reſeruauerit ? Aut quid intereſſet inter Populum & Sacerdotem , ſi iiſdem adſtringerentur legibus ? Debet præponderare vita Sacerdotis, ſicut præponderat gratia. Nam qui alios præceptis ſuis ligat , debet ipſe legitima præcepta in ſe*
*cuſtodire .* Hactenùs in ea Sanctus Ambroſius Epiſtola . C

XIX. Ad Precationem nunc progredior illam , quam idem Ambroſius primam concinnauit , vt ſemetipſum reliquóſque ſuos Sacerdotes ad celebrationem Sacroſancti Miſſæ Sacrificij præpararet : quæ Precatio legitur etiam propè finem Tomi eius Operum Quinti , hoc eſt , ante Hymnos ipſius . Illic enim , non procul ab initio , has item ad Deum preces fundebat : *Rex Virtutum , Caſtitatis & Integritatis Amator , Deus, cæleſti rore Benedictionis tuæ extingue in corpore meo totum fomitem ardentem libidinis ; vt maneat in me tenor totius caſtitatis animæ*
*& corporis . Mortifica in me carnis ſtimulos , & omnes libidi-* D
*nis commotiones : & da mihi veram & perpetuam caſtitatem cum cæteris donis tuis , quæ tibi placent in veritate ; vt Sacrificium laudis caſto corpore & mundo corde valeam tibi offerre . Quanta enim , Domine Ieſu Chriſte , cordis contritione & lachrymarum fonte , quanta reuerentia & tremore , quanta corporis caſtitate & animi puritate iſtud diuinum & cæleſte Sacrificium eſt celebrandum ? vbi Caro tua in veritate ſumitur , vbi Sanguis*

*tuus*

*tuus in veritate bibitur , vbi ſumma imis iunguntur , vbi adeſt* A
*præſentia Sanctorum Angelorum, vbi tu es Sacerdos & Sacrifi-*
*cium mirabiliter & ineffabiliter conſtitutus . Quis dignè hoc ce-*
*lebrare poterit , niſi tu Deus Omnipotens offerentem feceris dignum?*

**XX.** Poſtremùm nobis nunc eſt , vt in eiuſdem , quam contendimus,
veritatis teſtimonium veniant etiam Commentaria in Epiſto-
las Sancti Pauli , quæ communiùs Sancto Ambroſio adſcribi ſo-
lent, quæquè in ea etiam , quam ſupra memorabam , editione
Romana & emendatiori legitimis eius Operibus connume-
rantur. In Commentario enim primæ ad Timotheum Epiſ-
tolæ , ad ea Capitis tertij verba , *Oportet Epiſcopum eſſe vnius* B
*vxoris virum* , ità prorsùs interpretatur : *Quamuis ſecundam*
*numero vxorem non ſit habere prohibitum ; vt tamen quis dignus*
*ad Epiſcopatum ſit , etiam licitam debet ſpernere , propter ſubli-*
*mitatem ipſius Ordinis ; quia cæteris melior debet eſſe , qui cupi-*
*dus eſt ſedis illius* . Et aliquantò pòſt , ad ea verba , *Diaconi ſint*
*vnius vxoris viri*, ſic item progreditur: *Ea , quæ minùs dixe-*
*rat de Ordinatione Diaconatus , nunc ſubiecit . Oſtendit etiam ,*
*ipſos vnius vxoris viros eſſe debere , vt hi ad Miniſterium Dei*
*eligantur , qui non ſunt egreſſi Conſtitutum Dei . Homini enim*
*vnam vxorem decreuit Deus , cum qua benedicatur ; nemo enim* C
*cum ſecunda benedicitur : qui ſi filios benè gubernauerit & domos*
*ſuas, id eſt vernaculos aut domeſticos ; poterunt digni fieri Sacer-*
*dotio , & fiduciam habere apud Deum ; vt ſciant , ſe poſſe impe-*
*trare , quod poſtulant ;* IAM DE CÆTERO SE AB VSV
FOEMINÆ COHIBENTES . *Veteribus enim idcirco con-*
*ceſſum eſt Leuitis aut Sacerdotibus vxores ad vſum habere ; quia*
*multum tempus otio vacabant à Miniſterio , aut Sacerdotio .*
*Multitudo enim erat Sacerdotum , & magna copia Leuitarum:*
*& vnuſquiſque certo tempore ſeruiebat diuinis cæremonijs ſecun-*
*dùm inſtitutum Dauid . Hic enim viginti & quatuor claſſes* D
*conſtituit Sacerdotum , vt per vices deſeruirent . Vnde Abia*
*octauam claſſem habuit : cuius vice Zacharias* ( Lucæ primo )
*fungebatur Sacerdotio ; ſicut continetur in Paralipomenon . Itaut*
*tempore , quo non illos contingebat deſeruire Altari , domorum ſua-*
*rum agerent curam . At vbi verò tempus imminebat Miniſterij,*
*purificati aliquantis diebus accedebant ad Templum , offerre Deo.*
*Nunc autem ſeptem Diaconos eſſe oportet , & aliquantos Preſ-*

*byteros , vt bini ſint per Eccleſias , & vnus in Ciuitate Epiſco-* A
*pus :* AC PER HOC OMNES A CONVENTV FOEMI-
NÆ ABSTINERE. DEBERE ; QVIA NECESSE EST,
EOS QVOTIDIE PRESTO ESSE IN ECCLESIA , NEC
HABERE DILATIONEM , VT POST CONVENTVM
LEGITIME PVRIFICENTVR , SICVT VETERES. *Om-
ni enim hebdomada offerendum eſt , etiamſi non quotidie peregri-
nis , incolis tamen vel bis in hebdomada ; etſi non deſint qui fe-
rè quotidie baptizentur agri . Nam veteribus ideò conceſſum eſt;
quia multo tempore in Templo non videbantur , ſed erant priuati.
Si enim plebeis hominibus orationis cauſa ad tempus abſtinere ſe* B
*pracipit* ( Sanctus Paulus primæ ad Corinthios Capite 7. ) *vt
vacent orationi ; quanto magis Leuitis aut Sacerdotibus , quos die
noctuquè pro Plebe ſibi commiſſa oportet orare ? Mundiores ergo
eſſe debent cateris , quia Actores ſunt Dei .*

XXI. Hæc Sanctiſſimus Antiſtes noſter Ambroſius in ijs Commenta-
rijs; ſi tamen ipſe re vera illorum eſt auctor . Robertus ſanè
Cardinalis Bellarminus id pro certo & indubitato ſuppoſuit Li-
bro Primo *De Clericis* Capite 19. §. *Ambroſius*, cùm ſuperiorem
illorum textum innueret , & Capite 20. §. *Quod autem :* secùs
autem profectò ſenſit in Libro *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* . De C
Sancto enim Ambroſio Mediolanenſi ad Annum 374. agens ,
ſiue Obſeruationem in eius Opera contexens, ita concludebat :
*In Quinto Tomo ſunt Commentaria in Epiſtolas Sancti Pauli :
qua a multis non creduntur Ambroſij , nec ſine cauſa .* Qua de
re conſuli per me quidem poſſunt Alfonſus Salmeron Com-
mentariorum ſuorum Tomo Decimo-tertio , qui Primus eſt in
omnes Beati Pauli & Canonicas Epiſtolas : Libro ſcilicet pri-
mo, Diſputatione 19. & Cornelius à Lapide ſuis item in Com-
mentarijs in omnes Diui Pauli Epiſtolas , qua parte inter pri-
mordia Operis diſſerit de Interpretibus Epiſtolarum Sancti D
Pauli , pagina mihi 24. & in Caput ſeptimum ac Verſum vn-
decimum Epiſtolæ primæ ad Corinthios . Memini verò etiam,
me multis ab hinc Annis legiſſe luculentam eiuſdem argu-
menti Lucubratiunculam , ſeparatim editam , & à Nicolao
Ruſca contextam , & à Cardinali Baronio comprobatam .
Quam cùm ego Religioſo cuidam ex Ordine Prædicatorum &
è Ruſcarum Cognatione commodaſſem ( vt ſæpè mihi accidit)
amiſi.

amiſi. Nicolaus autem ille Ruſca erat Sacræ Theologiæ Doctor, Sondrij in Valle Telina Archipresbyter, & Federico Cardinali Archiepiſcopoquè noſtro Borromæo dilectiſſimus, mihiquè amiciſſimus, necnon etiam ſtudioſiſſimus Catholicæ Fidei Propugnator. Quocirca etiam iniquiſſimè tandem ab Hæreticis Anno Domini ſupra Milleſimum ſexcenteſimum decimooctauo necatus eſt: eiuſquè Vita & Mors à Ioanne Baptiſta Boiacha, Iuriſconſulto Comenſi, Latinè deſcripta & Comenſibus typis Anno Sæculi eiuſdem vigeſimo-primo euulgata circumfertur; ſicut etiam ipſiuſmet Nicolai Liber, Anno Sæculi ſuperioris nonageſimo-octauo editus, quo Acta Diſputationis Tiranenſis aduersùs Caluinum & Miniſtros Caluini Defenſores continentur. Sed hinc ad proprium præſentis Capitis inſtitutum redeamus. Pro ea igitur ſua & aliorum ſententia Bellarminus multas colligit cauſas & rationes: & inter illas hanc quoque nominatim tertio loco; quòd inter multa, quæ talium Auctor Commentariorum expoſuerit contra Sancti Ambroſij ſententiam, ita planè in Commentario primæ ad Timotheum exponat illud item Capitis Primi, *Regi Sæculorum, Immortali* &c. contraquàm ſcilicet Ambroſius ipſe reuera expoſuerit Libro ſecundo *De Fide*, Capite primo ac tertio, & Libro tertio, Capite ſecundo. Quid ſi verò Commentaria illa verè fuerunt à Sancto Ambroſio compoſita, ſed ab alio poſtea nonnullis in locis deprauata? & in ijs nominatim, quos Bellarminus alijquè opinionis eiuſdem homines reprehendunt; ſed non in eo, quem ſupra ego producebam; quippecùm ille planè conſentiat cum cæteris illis Lucubrationibus, Ambroſio noſtro indubitanter adiudicatis, nec ab vllo vitiatis. Quocirca ſi quis etiam conſtanter altercari velit, mordicuſquè contendere, Commentaria illa nullo modo adſcribi poſſe Ambroſio noſtro; ego ſanè in præſenti non valde repugnabo. Ad præſentis enim quæſtionis & Capitis inſtitutum ſatis etiam mihi ſunt reliqua illa, ſuperioribus illis è locis deprompta; vt ſummatim oſtendere mox aggredior.

XXII. Ea quippe tres habent haſcè partes: videlicet expoſitionem litteralem illorum Sancti Pauli verborum, quibus præſcribebatur, vt Epiſcopus eſſet vnius vxoris vir: ceſſationem ab vſu Coniugij, poſteaquàm ſuſceptus fuerit Ordo Sacer: differen-

tiam inter Veteris ac Noui Teſtamenti Miniſtros: quæ quidem A
partes mihi abundè ad præſens inſtitutum ſufficiunt.

XXIII. Secundùm Ambroſij ergo expoſitionem Sanctus Paulus in ea Epiſtola præſcribebat, ne, qui poſt primæ vxoris obitum alteram duxit, ad Epiſcopatum vel ad Diaconatum admitteretur. Benè autem Bellarminus Libro Primo *De Clericis*, Capite 23. veram excutiens eorum Sancti Pauli verborum intelligentiam, non dubitauit affirmare: *Sententia Catholicæ Eccleſiæ ſemper verba illa Beati Pauli ita intelligenda eſſe docuit, vt prohibitum ſit, Sacris Ordinibus initiare eos, qui quouis modo Bigami fuerint. Quam ſententiam probare poſſumus tribus argumentis.* B His ergo ſubinde illam optimè probat: & primo quidem Sacris ex Literis: ſecundo ex tempore, quo Sanctus Paulus hæc ſcripſit: tertio ex auctoritate Patrum, qui ſemper hunc locum de Monogamia ita intellexerunt, vt non liceat, Epiſcopum vel Diaconum creari eum, qui duas vxores, etiam diuerſis temporibus, habuerit. Inter hos ergo Patres, poſt Tertullianum ac Sanctum Epiphanium, teſtimonio etiam vtitur Ambroſij. Eiuſquè verba ſunt huiuſmodi: *Tertullianus Libro Primo Ad Vxorem: Quantùm Fidei detrahant, quantùm obſtrepant ſanctitati Nuptiæ ſecundæ, diſciplina Eccleſiæ, & præſcriptio Apoſtoli* C *declarat, cùm Bigamos non ſinit præſidere, cùm viduam allegi in Ordinationem, niſi vniuiram, non concedit.* Quibus Tertulliani verbis illicò ſubdit Bellarminus: *Neque dubium eſt, quin per Bigamos intelligat eos qui duas vxores habuerunt, non ſimul, ſed vnam poſt alteram. Nam de hac Digamia in toto Libro loquitur; hortatur enim vxorem ſuam, vt, ſe mortuo, non ineat ſecundas Nuptias. Similia habet in Libro de Monogamia, & in Libro de Exhortatione Caſtitatis.* Et paulò pòſt: *Epiphanius Hæreſi 59. Catharorum: Quæ ad Sacerdotium tradita ſunt, propter eminentiam celebrationis Sacrorum, ea æqualiter* D *ferri ad omnes putauerunt; cùm audierint, quòd oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum, continentem; ſimiliter & Diaconum, & Presbyterum. Re vera enim non ſuſcipit ſancta Dei prædicatio poſt Chriſti aduentum eos, qui à Nuptijs, mortua ipſorum vxore, ſecundis Nuptijs coniuncti ſunt, propter excellentem Sacerdotij honorem ac dignitatem. Et hæc certò Sancta Dei Eccleſia cum ſinceritate obſeruat. Hæc ille. Vbi*

*apertiſſimè loquitur de Digamia plurium vxorum ſucceſſiua ; cùm* A
*eos Digamos appellet , qui , mortua vxore , aliam ducunt ; &*
*cùm Catharos reprehendat , qui ex hoc loco Pauli etiam laicis interdicebant ſecundas Nuptias* . Hinc autem Bellarminus ad Sancti Ambroſij teſtimonium ita progreditur : *Ambroſius Libro* 10. *Epiſtola* 82. *ad Eccleſiam Vercellenſem , tractans hunc locum Pauli , Vnius vxoris vir : Qui inquit , Coniugium iterauerit , culpam non habet coinquinati , ſed prærogatiua exuitur Sacerdotis* . Et paulò pòſt : *Similia habet Ambroſius Libro Primo de Officijs Capite vltimo , & Libro de Dignitate Sacerdotali , Capite* 4. B

XXIV. Secunda pars, ex indubitatis illis Ambroſij teſtimonijs à me ſummarim deprompta, hæc erat : Vt Monogami etiam illi, qui, viuentibus etiamnùm ſuis vxoribus, Sacros ad Ordines promoti eſſent, nihilominùs ab vſu Matrimonij deinceps abſtinere in perpetuum deberent. Quocirca hinc præſertim apertè refellitur Matrimoniorum vſus, qui Arialdi tempore apud Clerum Mediolanenſem pariter ac Græcum vigebat. Qualis verò apud Mediolanenſem ille tunc eſſet : hoc iam vidimus præſentis Libri Quarti Capite 3. Num. 1. Qualis item apud Græcum tunc eſſet : me profectò non pœnitet hoc iamdudùm è Doctiſſimi Bellarmini Libro Primo *De Clericis* didiciſſe: neque nunc pudet eius hac de re verba hunc in locum afferre. Cùm ergo Capite 19. ipſe contenderet, Cœlibatum iure Apoſtolico rectiſſimè annexum eſſe Sacris Ordinibus, itaut nec ducere vxores, nec vxoribus antea ductis vti liceat poſt Ordinationem : poſitiuo quidem iure, ſed antiquiſſimo & æquiſſimo, & quod nullo modo expediat vt hoc tempore relaxetur; tum verò duos ſibi ad refellendum propoſuit errores ; vnum Græcorum, alterum Lutheranorum. Ac de Græcorum errore ſic inquit : *Prior error eſt : Oportere Clericos , antequàm Ordines Sacros ſuſcipiant , vxores ducere ; quia poſt Sacros Ordines ſuſceptos non licet id facere ; & nimis magno periculo fornicandi ſe exponit , qui ſine vxore viuit . Huius erroris aliqui auctorem faciunt Nicolaum , vnum ex ſeptem primis Diaconis . Sed , quidquid de hoc ſit , conſtat , Vigilantium hunc errorem expreſsè docuiſſe . De quo ſic Beatus Hieronymus initio Libri contra Vigilantium : Prò nefas , inquit , Epiſcopos ſui ſceleris dicitur habe-* D

*re conſortes ; ſi tamen Epiſcopi nominandi ſunt , qui non ordinant* A
*Diaconos , niſi priùs vxores duxerint , nulli cœlibi credentes pu-*
*dicitiam* . Dehinc verò Bellarminus ipſe ſic proſequitur :
*Hunc errorem receperunt Patres Concilij Trullani circa Annum*
*Domini Septingenteſimum ; vt patet ex Canone* 13. *vbi profana*
*illa Synodus damnat nominatim Canones Romanæ Eccleſiæ , &*
*contrarium ſtatuit : nimirùm , vt Clerici ante Subdiaconatum*
*vxores ducant , & cum eis viuant poſtea , in Sacris Ordinibus*
*conſtituti . Tempore huius Synodi cœpit mos Græcorum , qui nunc*
*eſt . Auctus autem eſt & confirmatus tempore Leonis Noni ,*
*quando diſſidium Græcorum à Latinis maximè creuit in multis* B
*alijs Articulis . Vnde extat Liber Humberti Cardinalis , eo tem-*
*pore ſcriptus de hac re contra Nicetam Abbatem , qui hunc mo-*
*rem Græcorum tunc acerrimè defendebat* . Et aliquantò pòſt :
*Synodus Trullana Canone ſexto prohibet , ne Epiſcopi , Presbyte-*
*ri , Diaconi , aut Subdiaconi , poſt Ordinationem ſuam , vxorem*
*ducant : & Canone quadrageſimo-octauo præcipit , vt Epiſcopus*
*non cohabitet vxori* . Sic etiam eodem Capite Bellarminus poſ-
tea colligit, *morem Græcorum , quem nunc habent , non fuiſſe*
*primis ſexcentis Annis ; vt patet* ( inquit ) *ex iiſdem Auctoribus*
( quos vtique multos iam produxerat ) *necnon ex Chryſoſtomo ,* C
*Hieronymo , & Leone , locis citatis* . Et rurſùs Capite 21. *Ad*
*Tertium* ( inquit ) *dico , illos Canones non eſſe vllius approbati*
*Concilij . Nam vera Sexta Synodus nullos Canones edidit ; vt*
*patet ex Septimâ Synodo , Actione* 4. & 5. *ſed poſt Sextam Synodum*
*quidam Epiſcopi conuenerunt Conſtantinopoli ; & in Palatio Im-*
*peratoris Iuſtiniani Secundi , quod Trullum dicebatur , Canones*
*iſtos ediderunt nomine Sextæ Synodi . Ceterùm hos Canones non*
*ſolùm nullus Romanus Pontifex probauit , ſed etiam apertè im-*
*probauit Sergius Papa , qui tunc ſedebat ; vt Beda ſcribit in Li-*
*bro De Sex Ætatibus , in Iuſtiniano ; & Paulus Diaconus Li-* D
*bro* 8. *Capite* 9. *De Rebus Romanis . Vocat autem Beda Er-*
*raticam Synodum Cœtum illorum Patrum , qui hos Canones edi-*
*derunt* . Et pauculis interpoſitis, de Synodo hac Trullana ſic
addit : *Non permittit , vt vlli Clerico , poſt Sacrorum Ordinum*
*ſuſceptionem , liceat vxorem ducere ; ſed ſolùm , vt liceat vti*
*vxore ante Ordinem ducta . Et hoc etiam non permittunt Epiſ-*
*copis , ſed ſolùm inferioribus Clericis ; vt patet ex Canone* 6. 12.

&

& 48. Hactenùs pro inſtituto noſtro Bellarminus; vt apertè A dignoſceretur, qualis apud Græcos eſſet Matrimoniorum vſus Arialdi noſtri tempore, quamquè concors ille tunc eſſet cum Cleri Mediolanenſis vſu. Accipe nunc, quemadmodum contra talem Matrimoniorum vſum, à Clero ſiue Latino ſiue Græco vſurpatum, idem Bellarminus eodem illo Capite 19. argumentatus fuerit Ambroſij etiam noſtri teſtimonio, poſteaquàm multos alios Patres, tam Græcos quàm Latinos, eidem illi vſui oppoſuiſſet. *Ambroſius* (his vtique verbis vtebatur illic Bellarminus) *Libro Primo de Officijs, Capite vltimo: Inoffenſum, inquit, exhibendum & immaculatum Miniſterium, nec* B *vllo coniugali coitu violandum cognoſcitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipſo conſortio coniugali, Sacri Miniſterij gratiam recepiſtis. Quod ideò non prateriui, quia in pleriſque abditioribus locis, cùm Miniſterium gererent, vel etiam Sacerdotium, filios ſuſceperunt. Idem in Epiſtola 82. ad Eccleſiam Vercellenſem: Habentem, inquit, filios, dixit Apoſtolus, non facientem &c. Et in Caput primum* (veriùs tertium) *Epiſtolæ Primæ ad Timotheum: Deinceps, inquit, ab vſu fœmina cohibentur &c.* Etenim talia in hanc Sancti Pauli Epiſtolam Commentaria Bellarminus hoc loco inter veros Ambroſij C noſtri fœtus computabat; vt ego quoque ſupra obſeruabam.

XXV. Sed operæ pretium eſt vnà cum eodem Bellarmino tertiam quoque illam in Ambroſij teſtimonijs examinare partem, quam ego innuebam, & ex ea ſimul cum ipſo argumentari. Quippe Capite illo 19. pro Clericorum Cœlibatu, ſibi ad probandum propoſito, multa collegerat Noui Teſtamenti pronunciata; cùm probationem ſuam ſic etiam confirmauit: *Præterea in Veteri Teſtamento continentiam ab vxoribus videmus inprimis fuiſſe requiſitam in ijs, qui Deo propinquaturi, vel rem aliquam ſanctam tractaturi erant. Nam Exodi 12. præcipitur, vt comeſturi Agnum Paſchalem renes ſuos accingerent: quo ſignificabatur, vt Gregorius exponit Homilia 22. ſuper Euangelia, debere eos carnis voluptatem edomare, qui Agnum Paſchalem comedunt. Exodi 19. cùm Populus Legem à Deo accepturus eſſet; ait illis Moſes: Eſtote parati in diem tertium; & ne appropinquetis vxoribus veſtris. Quo teſtimonio vtitur Ambroſius Libro Primo de Officijs, Capite vltimo, ad probandam* D

*continentiam*

*continentiam Clericorum*. Atque hoc quidem illud eſt, quod A
propriè hoc loco nos intendimus; ſed nihilominùs cum eodem
Bellarmino ad vberiorem probationem progrediamur. Sub-
dit ergo deinceps: *Item Exodi 28. præcipit Deus, vt Aaron
& filij eius, cùm ingrederentur Tabernaculum, feminalibus li-
neis a renibus vſque ad femora tecti eſſent: quo exponit Beda
Libro Tertio de Tabernaculo, Capite 9. ſignificatum eſſe, debere
Sacerdotes Noui Teſtamenti aut virgines eſſe, aut contracta
cum vxoribus Fœdera diſſoluiſſe. Item Libri Primi Regum Ca-
pite 21. noluit Achimelech Sacerdos dare Dauid Panes Propoſi-
tionis comedendos, niſi priùs intellexiſſet, eum ab vxore aliquam-* B
*diu ſe continuiſſe: ex quo deducit Beatus Hieronymus in Ca-
put Primum ad Titum, perpetuam requiri in Sacerdotibus con-
tinentiam etiam ab vxoribus, qui Corpus Chriſti, quod illo Pa-
ne Propoſitionis ſignificabatur, conficiunt, edunt, alijſquè tradunt.
Denique ex Libro Primo Paralipomenon Capite 24. & Lucæ 1.
colligitur, Sacerdotes Veteris Teſtamenti per vices ſuas miniſtra-
re ſolitos: & toto eo tempore, quo miniſtrabant in Tabernaculo, à
domo & vxore abfuiſſe. Ex quo deducunt Syricius Papa in
Epiſtola ad Himericum, & Innocentius Primus in Epiſtola ad
Victricium, necnon Beda in Caput primum Lucæ, quòd ſi illi* C
*tempore, quo miniſtrabant, ab vxoribus abſtinebant, omninò de-
cere, vt Sacerdotes noſtri, qui non per vices ſed ſemper miniſtrant,
ſemper ab vxoribus ſe contineant.* Hæc ibi Bellarminus.

XXVI. Cùm igitur indubitata illa Sancti Ambroſij teſtimonia docti-
nam eiuſmodi contineant: cumquè pro indubitato ſimul ille
ſupponatur de Sacrorum ſiue Græcorum ſiue noſtratum Mi-
niſtrorum Cœlibatu non aliter vnquàm iudicaſſe, quàm ſuis in
Libris luculenter & expreſsè iudicauerit; conſequens profectò
eſt, vt inexcuſabilis temeritatis & impudentiæ notam euadere
non poſsit, qui eum nihilominùs contendat Matrimonijs fauiſſe D
illis, quæ Græci vel etiam noſtrates Sacerdotes vnquàm vſita-
rint. Negat enim Diuinus ille Doctor, præciſequè negat,
eiuſmodi Matrimonia fuiſſe à Sancto Apoſtolo Paulo appro-
bata, ſi contracta fuerint ab ijs, qui mox ad Ordinem Sacrum
promouendi eſſent. Negat, eorum vſum eſſe licitum pro-
motis ad Ordinem Sacrum. Eorumquè pariter vſum con-
gruere negat Miniſterio, Teſtamenti Noui proprio, quod longè
maioris

maioris eſt dignitatis & ſanctitatis, quàm eſſet Teſtamenti Veteris Miniſterium. Et hæc quidem planè iam conſtant ex ipſiſmet Ambroſij verbis iam ſupra recitatis; ſed planiùs aliquantò etiam conſtabunt, ſi paulò minutiùs inſuper & accuratiùs ipſaſmet examinemus aſſertiones Hiſtoricorum, quos nobis ſupra opponebamus. A

XXVII. Datius in primis Ambroſium aſſerebat eius diſſenſionis conſtitutum fuiſſe arbitrum ab eius Patribus Concilij, Conſtantinopolitana in Vrbe congregati, cui tunc etiam ipſe intereſſet. Hoc autem Concilij nomine non aliud profectò intelligere potuit, quàm Conſtantinopolitanum OEcumenicum, quod (vt B benè computat Baronius) Anno Domini Trecenteſimo octuageſimo-primo celebratum fuit, & cui centum-quinquaginta Epiſcopi citra omnem controuerſiam ea in Vrbe interfuerunt. Atqui certiſſimum etiam ex aduerſo eſt, neque Damaſum Papam, neque Ambroſium noſtrum illic interfuiſſe; ſed ſolos interfuiſſe Orientales Epiſcopos; ac propterea etiam non alium, quàm ipſos, ei tandem ſubſcripſiſſe. Concilium quippe illud auctoritate quidem Damaſi Papæ (ſiue per eius Litteras, ab Imperatore Theodoſio Seniore ad Orientales Epiſcopos tranſmiſſas) conuocatum illuc fuit; atqui non ipſemet Damaſus, C nec alius quiſpiam ex Occidentalibus Epiſcopis illuc perrexit. Et hæc quidem omnium etiam Eccleſiaſticorum per ea tempora Hiſtoricorum conſenſu teſtatiſsima ſunt. Quocirca etiam Bellarminus *De Concilijs & Eccleſia* Libro Primo Capite 5. poſteaquàm Conſtantinopolitanum hoc Concilium inter Generalia & à Pontifice Romano approbata ſecundo loco numeraſſet, ita ſubdit: *Eſt verò animaduertendum, in hoc Concilio neminem adfuiſſe ex Prouincijs Occidentalibus. Siquidem Damaſus Papa Romæ coegerat Synodum Occidentalium, atque ad eum locum inuitauerat Epiſcopos, qui Conſtantinopoli conuenerant; vt eo modo Romæ celebraretur Concilium pleniſſimum.* D *Sed quia Patres Orientales iuſtis de cauſis Romam venire non potuerunt; accepit Damaſus excuſationem eorum; & animis ac ſententijs duæ illæ Synodi coniunctæ ſunt, ac ſi vna & eadem fuiſſent. Atque propter huiuſmodi coniunctionem habita eſt Synodus Conſtantinopolitana vna ex OEcumenicis & legitimis Synodis. Vide Theodoretum Libro Primo Hiſtoriæ Capite 9. & 10.*

Hactenùs Bellarminus. De qua tamen Orientalium excuſatione paulò aliter ſenſit Baronius ad Annum Chriſti 582. Non igitur re verà illic affuit Ambroſius; ac propterea ne Concilij quidem illius Patres dijudicationem illius diſſenſionis ei ſoli reſeruarunt. A

XXVIII. Sed illud etiam huc accedit, quòd nemo veterum Scriptorum aſſeruiſſe vnquàm legitur, talem illam diſſenſionem in eo fuiſſe Concilio excitatam. Quòd ſi etiam tunc ibi fuiſſet excitata, ibiquè tunc pariter Ambroſius ipſe affuiſſet; ne credibile quidem videtur, eos Patres ei ſoli reſeruare voluiſſe hoc iudicium, quod alioqui de re ſanè grauiſſima eſſet. Sicut enim de nonnullis alijs minoris momenti rebus ipſi Decreta vnanimes condiderunt; ſic etiam vniuerſi pariter quæſtionem illam dijudicaſſent. Sed hinc progrediamur ad rationem, qua permotus Ambroſius à Datio dicebatur ſententiam in vxoratorum fauorem Sacerdotum pronunciaſſe. B

XXIX. *Perfectio vitæ* (inquit) *non in caſtitate, ſed in charitate conſiſtit.* O rationem planè irrationabilem, atque Ambroſio indigniſſimam: &, vt nihili prorsùs ab ipſo faciendam, ſic etiam nihili prorsùs ab ipſo factam! Quidni verò cæteroqui Ambroſius ſimiliter ob eamdem rationem Virginibus, quæ Sacrum ad Velamen admitti cuperent, conceſſit, vt vna vice Matrimonium contraherent? Etenim, ſecundùm illud Apoſtoli, quemadmodùm vitæ perfectio non in caſtitate, ita neque in virginitate conſiſtit, ſed in charitate. Quidni verò præterea ille Sacris etiam Miniſtris conceſſit, vt non ſolùm ſemel nubere poſſent, ſed etiam iterùm ac tertiò, quinetiam toties, quoties Laicis licitum eſſet? Non enim ſolo primi eius Matrimonij tempore, ſed omni prorsùs tempore perfectio vitæ, ſecundum illud Apoſtoli, conſiſtit in charitate, non autem in caſtitate. C D

XXX. Priuſquàm tamen actiùs Datium abſurdis eiuſmodi conſectarijs vrgeamus, percommodùm profectò ac peruтile erit luculenter explicaſſe, quemadmodùm perfectio vitæ ſpiritualis, ſecundùm rei veritatem, atque ſecundùm Apoſtoli Pauli ſententiam, conſiſtat in charitate. Præclarè autem Bellarminus *De Membris Eccleſiæ Militantis* Libro Secundo, qui eſt *De Monachis*, Capite ſecundo, ſic docebat: *Sunt autem hoc loco anno-*

*tanda quadam. Primum illud eſt, veram perfectionem in charitate conſiſtere. Perfectio enim vniuſcuiuſque rei in eo poſita eſt, vt fini ſuo vltimo quàm arctiſſimè coniungatur. Finis autem hominis Deus eſt: charitas verò maximè vnit hominem cum Deo, iuxta illud Primæ Ioannis quarto, Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo: & ad Coloſſenſes tertio, Charitas eſt vinculum perfectionis, id eſt vinculum, quod, ligans hominem cum Deo, hominem reddit perfectum vel (vt Chryſoſtomus exponit) vinculum, quod, ligans & continens in homine omnes virtutes, hominem reddit perfectum. Vt enim ſpiritus humanus ligat & continet omnes humores & partes, alioqui dilapſuras; ita* B *Spiritus Sanctus, inhabitans corda noſtra per charitatem, continet omnes virtutes, alioqui facilè dilapſuras. Quod etiam idem Apoſtolus oſtendit, cùm ait Primæ ad Corinthios 13. Charitas patiens eſt, benigna eſt, & quæ ſequuntur. Itaque Irenæus Libro Quinto, ante medium, exponens illud Apoſtoli Primæ ad Theſſalonicenſes vltimo, Vt integer ſpiritus veſter & anima & corpus conſeruetur, dicit, hominem perfectum tribus conſtare, corpore, anima, & Spiritu Sancto, inhabitante per charitatem. Vt enim, ſi deſit ei corpus vel anima, erit imperfectus in genere naturæ; ita, ſi deſit charitas, erit imperfectus in genere moris.* C *Quo modo locum illum Pauli intelligunt etiam ferè omnes Græci, Chryſoſtomus, Theodoretus, OEcumenius, Theophylactus, & cum eis Hieronymus in Epiſtola ad Hedibiam, Quæſtione vltima. Denique, quòd charitas ſit Chriſtiana perfectio, ex eo patet, quòd ad eam omnia referuntur. Matthæi 22. In his duobus mandatis vniuerſa Lex &c. & Primæ ad Timotheum 1. Finis præcepti charitas.*

XXXI. Subinde verò ſic etiam proſequitur: *Nota ſecundò, ex Beato Thoma in Opuſculo De Perfectione, quatuor eſſe gradus charitatis, proinde etiam quatuor eſſe gradus perfectionis. Dicitur* D *enim perfectum id, cui nihil deeſt in ordine ad aliquem finem. Quare non repugnat, aliquid eſſe perfectum, & imperfectum, ſi comparetur ad diuerſos gradus, ſeu etiam fines.*

XXXII. Hos igitur etiam gradus ſeu fines ille aſsignat. Sed quoniam primus ad vllam creaturam, ſecundus autem ad præſentem hominis vitam non pertinet; eos ego propterea prætermitto, neque ad tertium & quartum recipio. *Tertius gradus*

*eſt* ( ſubdit ergo Bellarminus) *diligere Deum, non quantùm eſt diligibilis, nec quantùm poteſt cretura qualibet abſolutè diligere, ſed quantùm poteſt creatura mortalis, quæ à ſe remouit omnia diuini amoris impedimenta, & totam ſe Dei obſequio conſecrauit. Qui in hoc gradu verſantur, imperfecti ſunt reſpectu Beatorum; ſed perfecti reſpectu aliorum hominum, etiam iuſtorum & piorum.* A

XXXIII. Et rursùs: *Quartus gradus eſt* (concludit ille) *diligere Deum, non quantùm eſt diligibilis, non quantùm poteſt creatura vel abſolutè vel in hac vita diligere; ſed tamen ita, vt nihil æquè aut magis quàm Deum diligat, id eſt, nihil admittat contrarium dilectioni. Et hic gradus præceptus eſt omnibus, & quamdam habet perfectionem, licet reſpectu ſuperiorum ſit imperfectus. Vnde Prima Ioannis ſecundo dicitur: Qui ſeruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt. Et tamen Matthæi 19. Dominus ei, qui dicebat ſe omnia præcepta ſeruaſſe, ait: Si vis perfectus eſſe; vade, vende omnia &c. Loquitur enim Ioannes de iſto quarto gradu; Dominus autem de tertio.* B

XXXIV. His ergo per nos item præmunitis, ſi nunc quæramus, quo ſenſu Ambroſius opinione Datij aſſeruerit, perfectionem vitæ, non in caſtitate, ſed charitate conſiſtere ſecundùm illud Apoſtoli Pauli teſtimonium, pro charitatis virtute, quin etiam virtutum Regina, tam luculentum & palmare; non aliud profectò reſpondere poſſet Datius, quàm locutum eſſe Ambroſium de vitæ perfectione vnicuique homini ad æternam ſalutem neceſſaria; & propterea locutum etiam eſſe de charitate ſecundùm eam tantummodò perfectionem, quam Bellarminus proximè in eo quartu gradu collocabat. Certè autem ita prorsùs eumdem illum Apoſtoli locum probati etiam Interpretes communi conſenſu exponunt, nec aliter eum ipſemet etiam expoſuit Ambroſius, tam in Commentario (ſi tamen ipſius re vera eſt, vt ſuperiore Numero 21. excipiebam) quàm libro Quarto, Epiſtola 33. propè finem, ad Virginem Sacram ſcribens Demetriadem. Si ergo Ambroſius ex eo Apoſtoli loco, in eum, quem Datius dicebat, modum argumentatus fuiſſet; non aliud profectò perfectionis genus in Sacris Teſtamenti Noui Miniſtris neceſſarium eſſe ſuppoſuiſset, quàm quod in vnoquoque Laico neceſſarium eſset conſtat, vt æter- C D

nam

nam ſalutem aſsequatur. Niſi enim hoc ille ſupponebat; riſu A
profectò & cachinnis digniſſimum fuiſſet tale ipſius argumentum; quippe cui promptiſſimè atque inuincibiliter reſponderi poterat, altioris ordinis, quàm Laicorum, eſse perfectionem talium Miniſtrorum; eamquè, non in ſola quidem caſtitate, ſed in charitate ſimul & caſtitate conſiſtere; ſicut in charitate ſimul & virginitate citra dubium conſiſtit; & ſicut ipſiuſmet Datij confeſſione (non enim hoc negari ab illo poteſt; ſi modò conſtare ſibi velit, & Ambroſium ſibimet ipſi conſtantem ſupponere) poſt primæ illorum Miniſtrorum vxoris obitum, in charitate ſimul cum caſtitate, ſiue cum abſtinentia in poſte- B
rum ab officij coniugalis vſu, conſiſtit. Pro primo igitur illo Sacrorum Noui Teſtamenti Miniſtrorum Matrimonio ratio illa, ex eo Apoſtoli teſtimonio deſumpta, nihil prorsùs valet, niſi eorum perfectio interim ſupponatur ordinis eſſe non altioris, quàm ſit perfectio Laicis etiam omnibus ad æternam ſalutem neceſsaria. Atqui nihil tale, ne interim quidem, ſupponitur ab Ambroſio: à quo certè ſupponitur oppoſitum; ſicuti iam vidimus è Numero 12. ad multos alios ſubſequentes. Non igitur credi par eſt, eum ita fuiſse argumentatum, ſicut ei Datius adſcribebat; & hac quidem in parte fatuus, & ineptus, & ſibi- C
met ipſi parùm conſtans.

XXXV. Ecquis verò ſanæ mentis præterea credat, Ambroſium eo fuiſse animo, vt talem illam pro Sacerdotibus vxoratis auderet pronunciare legem, quæ Sanctorum Apoſtolorum Sacriquè Concilij Primi OEcumenici Nicæni Decretis aduerſaretur? Ac Sacrorum quidem Miniſtrorum Cœlibarum ab ipſiſmet Apoſtolis præſcriptum fuiſse, teſtimonio nobis eſse poſsunt Canones ipſi Apoſtolorum, à Clemente Primo Papa recitati. Eorum enim Vigeſimus-ſeptimus ſic habet: *Innuptis autem, qui ad Clerum prouecti ſunt, præcipimus, vt, ſi voluerint, vxores accipiant; ſed Lectores Cantoreſquè tantummodò.* Benè autem Bellarminus Libro Primo *De Clericis*, Capite 19. D
poſteaquàm hunc Canonem recitaſſet, ſic adiecit: *Quod autem de Lectoribus & Cantoribus dicitur, idem de alijs Minoribus Ordinibus intelligitur; cùm ſit omnium eadem ratio.* Quocirca etiam vice verſa ſecundùm ſanam Canonis huius intelligentiam Miniſtris omnibus innuptis & ad Sacros Ordines promo-

tis

tis vetitum erat vxores accipere. Atque huic quidem intelli- A
gentiæ quamoptimè congruit ſuperior eorumdem Apoſtolo-
rum Canon Sextus, quo ſic præcipiebatur: *Epiſcopus, vel
Presbyter, vel Diaconus, vxorem ſuam ne eijciat religionis præ-
textu. Sin autem eiecerit; ſegregetur: &, ſi perſeueret; depo-
natur*. Hoc enim Canone agebatur de Epiſcopis, Presbyteris,
& Diaconis, qui ante Ordinationem duxiſsent vxores, quiquè
ſolicitè atque religiosè cauere propterea deberent, ne illis in
poſterum vterentur. Ne igitur prætextu religionis huius, ſiue
cautelæ, cæteroqui ob legem Cœlibatus neceſſariæ, deponerent
earum curam, nec eas interim alerent, cæteraquè ad victum ne- B
ceſsaria ſuppeditarent, conditus eſt hic ipſe Canon; vt ſapienter
Viri docti præcisè affirmarunt, quorum multos enumerat etiam
Seuerinus Binius Tomo Primo Conciliorum à ſemetipſo edito-
rum, ſiue in ſuis ad eumdem Canonem Notis. In eamdem porrò
ſententiam nobis etiam Calixtus adſtipulatur Papa Primus, qui
Romanam Eccleſiam rexit ab Anno Domini ſupra Ducenteſi-
mum vigeſimo-primo, vſque ad vigeſimum-ſextum. Is enim
apud Gratianum Diſtinctione 27. Cap. *Presbyteris*, ita inquit:
*Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, & Monachis, concu-
binas habere, ſeu Matrimonia contrahere, penitùs interdicimus:* C
*contracta quoque Matrimonia ab huiuſmodi perſonis, diſiungi,*
IVXTA SACRORVM CANONVM DEFINITIONES,
*iudicamus*. Benè ſiquidem Gregorius de Valentia in Libro *De
Cœlibatu* Capite 3. inter alios Theologos ſic obſeruat ad hunc
locum: *Quo loco, cùm Calixtus Canones Sacros antiquiores ſe
ipſe etiam antiquus Pontifex ad eam rem citet; argumento id eſt,
hanc legem Cœlibatus eſſe Apoſtolicam*. Id ipſum verò ſatis
apertè colligitur etiam è Sacrorum Conciliorum ac Romano-
rum Pontificum & veterum Patrum teſtimonijs, quæ Catholi- D
ci Doctores aduersùs Hæreticos pro eodem Cœlibatu college-
runt, ac nominatim Bellarminus Libro Primo *De Clericis* Ca-
pite 19. E quibus quidem teſtimonijs vnicum illud in præſen-
ti producere placet, quod eſt Concilij Carthaginenſis, vt com-
muniùs numeratur, Secundi, de quo Baronius ad Annum
Chriſti Trecenteſimum nonageſimum-ſeptimum, & Binius
Tomo Primo Conciliorum pagina 541. id affirmans celebra-
tum tempore Cæleſtini Primi Papæ (fuit autem ab Anno Chriſ-

ti

ti ſupra Quadringenteſimum vigeſimo-tertio vſque ad trigeſimum-ſecundum) & à Leone Papa Quarto comprobatum Capite *De Libellis*, Diſtinctione vigeſima. Eius enim Concilij verba hæc erant Canone 2. *Omnibus placet, vt Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes, etiam ab vxoribus ſe abſtineant;* VT, QVOD APOSTOLI DOCVERVNT, ET IPSA SERVAVIT ANTIQVITAS, NOS QVOQVE CVSTODIAMVS. En igitur pro Sacrorum Cœlibatu Miniſtrorum videmus legem à Sanctis Apoſtolis ſancitam, itemquè antiquitùs ſeruatam. A

XXXVI. Progreſſu tamen temporis non defuere, qui à veteri & Apoſtolica illa diſciplina nonnihil declinauerint, & in Eccleſia nominatim Orientali. Quamobrem nonnulla etiam eiuſdem Eccleſiæ Concilia varijs viciſſim Decretis eamdem diſciplinam in vſum reuocare ſtuduerunt. B

XXXVII. Concilium in primis ſe nobis offert Ancyranum, ſiue in Ciuitate Ancyra, in Prouincia Galatiæ congregatum Anno Domini Trecenteſimo decimo quarto: eiquè octodecim Epiſcopi, & perinſignes (vt benè Baronius ad eumdem Annum Articulo 77. & 78. obſeruauit) interfuerunt; ſicut & poſtea eorum multi Concilio Neocæſarienſi, plerique autem Nicæno, de quibus Concilijs proximè dicemus. Cùm igitur Ancyranum illud Concilium varios ſanciuiſſet Canones pro recipiendis ad Catholicam Communionem ijs, qui propter Maximini Tyranni perſecutionem à Fide Catholica defecerant; tùm verò Canone nono (aliter decimo) ita decreuerunt, vt Baronius ad eum ipſum Annum Artic. 88. his exprimat verbis: *Lapſis igitur eiuſmodi remedijs impartitis; de Eccleſiaſtica diſciplina incorruptè ſeruanda Patres alias regulas addiderunt; ſed illam in primis, quæ ad Sacros Eccleſiæ Miniſtros magnoperè ſpectare videbatur; nempe, vt abſque vxore cœlibem vitam ducerent: quæ quidem lege (vt aliàs dictum eſt) non Sacerdotes tantùm; ſed & Diaconi obligati erant ab ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ: illoſquè ſolùm Diaconos ab ea eximi voluerunt, qui, cùm ordinarentur inuiti, fuiſſent pariter conteſtati, ſe non poſſe continentes viuere, ac proinde ducere vxorem velle. Qui enim ſic reclamaſſet, & nihilominùs ordinatus fuiſſet, quiſquis eſſet huiuſmodi, poſt Sacrum Diaconatus Ordinem vxorem poſſe ducere, Patres illi conſenſerunt,* C D

A *conſenſerunt, ſic ſtatuentes* (Canone nono, vel decimo) *Diaconi, quicumque ordinantur; ſi in ipſa Ordinatione proteſtati ſunt, & dixerunt, velle ſe Coniugio copulari, quia ſic manere non poſſunt; ſi poſtmodum vxores duxerint, in Miniſterio maneant, propterea quòd eis Epiſcopus licentiam dederit. Quicumque ſanè tacuerint, & ſuſceperint manus Impoſitionem, profeſſi continentiam, & poſtea Nuptijs obligati ſunt, à Miniſterio ceſſare debebunt.* Hactenùs ex eo Canone Baronius ſecundùm Donyſij Exigui editionem. Tum verò ſic etiam ſubdit: *Additur in ſecunda editione* (quam ipſemet ſuperiore Articulo 81. dixerat incerti eſſe Auctoris) *Laicam tantùm recipientes Communionem.* B Quibus è verbis idem Baronius id obſeruat: *Nimirùm, non cum Sacris Miniſtris ampliùs, ſed cum Populo extra cancellos communicantes.* Ac demùm ita concludit: *Ex his videas, tum in vniuerſa Eccleſia Catholica, tum in Oriente, quàm firmus atque ſtabilis aſſertuſquè ab omnibus eſſet Sacrorum Miniſtrorum Cælibatus. Sed de his actum eſt Primo Annalium Tomo pluribus.* Ancyrani ergo eius Concilij Patres (vt ego quoque pro meo ſenſu hic denique concludam) certam ſupponebant legem, quæ Sacris in vniuerſum Miniſtris vſum Matrimonij vetaret, quæquè nihilominùs ab Epiſcopo relaxati poſſet in eum, C quem ipſi præſcripſere modum; itaut eis non aliter vti Matrimonio liceret.

XXXVIII. *Poſt Ancyranum verò* (proſequitur Baronius ad eumdem Annum Trecenteſimum decimum-quartum, Art. 90.) *Neocæſarienſe Concilium celebratum eſt. Quoto tamen Anno, neſcimus: Sed quantum coniectura aſſequi licet, cùm ijdem propè omnes Epiſcopi, qui interfuerunt Concilio Ancyrano, ſubſcripti pariter habeantur illi, quod Neocæſareæ celebratum eſt: & inter alios Baſilius Epiſcopus Amaſeæ, quem diximus in Perſecutione Licinij, quæ proximè eſt ſubſecuta, Martyrem occubuiſſe, recenſeatur; planè neceſſe eſt affirmare, haud diu poſt Ancyranum iterùm Neocæſareæ eoſdem fermè Epiſcopos conueniſſe, antequàm Licinius Orientalem Eccleſiam Perſecutione vexare aggrederetur.* Et pauculis interpoſitis: *Neocæſareæ igitur in Ponto, cuius Epiſcopus tunc erat (quod nuper dictum eſt) Longinus, fama celebris, cùm Patres illi Sanctiſſimi Conuentum agerent, nihil antiquius habuerunt, quàm Sacerdotum vitæ* D

*integritati*

A *integritati proſpicere. Quamobrem de eorum cœlibi vita ducenda* A
*in primis hæc ſtatuerunt* (Canone primo) *ex præſcripto antiqui vſus Eccleſiæ: Presbyter, ſi vxorem duxerit; ab Ordine deponatur: ſi verò fornicatus fuerit, vel adulterium perpetrarit; ampliùs pelli debet, & ad pœnitentiam redigi. Hæc ex Dionyſij verſione.* Cuius quidem Decreti (quoad primam nempe partem) hanc ego interpretor fuiſſe cauſam, quòd nonnulli ex ijs Diaconis, quibus in Concilio Ancyrano permiſſa fuerat nubendi facultas, huius facultatis executionem reſeruarent in illud etiam tempus, quo Sacerdotium accepiſſent. Hoc ergo ij Pa-
B tres tanto indecorum Ordini iam ſuſcepto iudicarunt; ac proinde talia illorum Matrimonia vetuerunt. B

XXXIX. His tamen Conciliorum Prouincialium Decretis, quibus aliquid è vetere illa & Apoſtolica Sacrorum Miniſtrorum diſciplina remittebatur, contenti non fuerunt trecenti decem & octo Patres illi, qui Anno Trecenteſimo vigeſimo-quinto Nicæam in Bithynia conuenerunt ad Sacroſanctam OEcumenicam Synodum. Quippe Miniſtris eiuſmodi non permittentes habitationem cum vxoribus, ſimul etiam illis omnibus Matrimonij celebrationem vſumquè vnanimes negarunt. Synodi
C profectò illius Canon tertius ſic ad verbum ſe habet: *Interdixit* C
*per omnia Magna Synodus, non Epiſcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omninò, qui in Clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem,* NISI FORTE AVT MATREM, AVT SOROREM, AVT AMITAM, VEL EAS TANTVM PERSONAS, QVÆ SVSPICIONES EFFVGIVNT. Quidni verò nos item ad hæc verba ſimul cum Bellarmino Libro Primo *De Clericis* Capite 19. hunc in modum argumentemur? *Nulla vxoris mentio fit: quæ tamen primo loco poni debuit, ſi cum ea habitare liceret. Item, cur prohibetur Clericis cohabitatio mu-*
D *lierum, ſi vxorati eſſe poſſunt? Nonne vxores ancillas habere* D
*poſſunt in eadem domo?* Quidni rurſus argumentemur vnà cum eodem poſtea Capite vigeſimo propè finem: *Quomodo cohæret illa narratio de Paphnutio cum Canone tertio Concilij Nicani? vbi prohibetur Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, ne vllam domi mulierem habeant, præter Matrem, Sororem, Amitam.* Hæc ipſa nimirùm Bellarminus hoc demùm Capite opponebat argumento, quod erat huiuſmodi: *Argumentum*

*quintum & vltimum Caluini ſumitur ex Hiſtoria Socratis Libro primo, Capite 8. & Sozomeni Libro primo, Capite 22., vbi dicunt, quòd, cùm Nicænum Concilium legem ferre vellet, ne liceret Clericis cum vxoribus ſuis dormire, ſurrexit Paphnutius Confeſſor; & Synodus tota in eius ſententiam iuit, & continentiam ab vxore in arbitrio cuiuſque reliquit.* Vt igitur Bellarminus hoc argumentum refellat, ante omnia præmittit id, quod ambo nihilominùs ij Scriptores Græci vltrò concedebant. *Nam vterque Auctor* (verba ſunt ipſius Bellarmini) *in eodem loco teſtantur, Paphnutium adieciſſe, bonum ſibi videri, vt ſecundùm antiquos Canones prohibeatur Clericis, ne poſt Ordinationem vllo modo vxores ducant; ſed ſolùm permittantur vti illis, quas ante Ordinationem acceperunt.* Subinde verò multis & magni momenti argumentis eoſdem illos Auctores oſtendit non eſse fide dignos in hac narratione, quam cæteroqui, vt vidimus, contendit eodem illo tertio Nicæni Concilij Canone refelli. Talem verò illorum narrationem ijſdem fermè argumentis egregiè confutarunt etiam Gregorius de Valentia in Libro *De Cœlibatu* Capite 6. in Reſponſione videlicet ad Decimum-tertium Argumentum: & Baronius Tomo Tertio Annalium, ad Annum Trecenteſimum vigeſimum-quintum, Articulo 148. & ſequentibus; ſed hic in eo quidem præterea ſingularis, quòd Articulo 151. ſuam tertij eius Canonis Nicæni expoſitionem confirmauit Sancti Baſilij Magni teſtimonio, ex ipſius Epiſtola 17. ad Peregorium carptim deprompto; & ita ſanè ad præſens inſtitutum per alias etiam ſui partes, à Baronio prætermiſſas, accommodato pariter ac opportuno, vt eam ego integram hoc recitare loco ſtatuerim. Ea verò, ſecundùm Pariſienſem Anni 1603. editionem pagina 1040. ſic ad verbum ſe habet: *Paregorio Presbytero Baſilius. Legi Litteras tuas magna cum animi lenitate: admiratuſquè ſum, quomodò coneris rebus incurabilibus longis mederi ſermonibus; cùm, breuiter nobis & facilè re ipſa ſatisfacere valens, in illis, de quibus accuſaris, permanere conſtitueris.* NEC PRIMI, NEC SOLI (*Paregori*) SANCIVIMVS, NON DEBERE MVLIERCVLAS COHABITARE VIRIS. LEGE CANONEM, A SANCTIS PATRIBVS NOSTRIS IN NICÆNA SYNODO CONSTITVTVM: QVI MANIFESTE INTERDIXIT, NE QVIS

MVLIERCVLAM SVBINTRODVCTAM HABEAT. A
COELIBATVS AVTEM HONESTATEM SVAM IN
EO HABET, SI QVIS A NEXV MVLIERIS SECESSE-
RIT. *Itaque, ſi quis Cœlibatum nomine tenùs profeſſus, re ipſa
faciat ea, quæ à coniugatis fiunt; manifeſtum eſt, quod virgini-
tatis honeſtatem nuncupatione quidem illius præſtet, verùm inte-
rea ab inconuenienti voluptate non deſiſtat. Tantò faciliùs ad-
monitioni noſtræ acquieſcere poteras, quantò magis liberum eſſe te
à corporalibus affectionibus affirmas. Neque enim credo, virum,
ſeptuaginta Annos natum, cum eiuſmodi affectionibus cohabitare
mulierculæ: neque propterea iſta determinaui, quòd aliquid ab-* B
*ſurdi deſignaueris; ſed quòd ab Apoſtolo edocti ſumus; non eſſe
fratri ponendum offendiculum, vel ſcandalum. Scimus autem,
vſuuenire, vt, quod à nonnullis rectè geritur, alijs in occaſionem
peccati cedat. Ob hanc cauſam,* CONSTITVTIONEM
SANCTORVM PATRVM SEQVVTI, *præcepimus, vt à
muliercula ſepareris. Vt quid igitur Chorepiſcopum accuſas, &
veteris inimicitiæ mentionem facis? Immò quid nos quoque, quaſi
aures habeamus delationibus admittendis procliues? Et non ma-
gis te ipſum reprehendis, quòd à conſuetudine mulierculæ abſtine-
re detrectas?* EIICE IGITVR ILLAM EX ÆDIBVS C
TVIS, ET TRADE IN MONASTERIVM. SIT ILLA
CVM VIRGINIBVS, ET TV INTER VIROS MINIS-
TRA; NE NOMEN DEI PROPTER VOS BLASPHE-
METVR. *Donec iſta feceris, etiamſi innumera per Epiſtolas
cauſeris; nihil efficies; ſed otioſus* ( id eſt, *ſine functione Presby-
terij*, ſicut ibi eſt in ora marginali adnotatum) *morieris; dabiſ-
què Domino otij tui rationem. Si verò ſine correctione tui ipſius
auſus fueris Sacerdotij retinere functionem; anathema eris omni
plebi; &, ſi qui te receperint, per omnem Eccleſiam excommu-
nicabuntur.* Hucuſque Baſilius ille, doctrina pariter ac ſan- D
ctitate verè Magnus, & Antiſtitis noſtri Ambroſij perquàm fa-
miliaris, & Anno Chriſti Trecenteſimo ſeptuageſimo-octauo,
vt benè computat Baronius, ex hac mortali ad immortalem ac
beatam vitam Calendis Ianuarij ſublatus. Quocirca nulli du-
bium eſse iam debet, quin re vera Concilium Nicænum tertio
illo Canone vſum coniugij Sacris illis Miniſtris in omne poſtea
tempus vetuerit; necnon etiam deinceps eadem lex commu-

niter vſu recepta ſit; & id quidem conuenienter ad obedientiam & fidem, tam ſancto tantæquè auctoritatis Concilio iuſtiſſimè debitam. A

XXXX. Quàm ſanctum verò quantæquè auctoritatis illud eſset, vel ex eo ſanè colligi poteſt, quod Theodoretus Libro Primo Hiſtoriæ Capite 7. narrabat, Epiſcopos deſcribens illos, qui eidem Concilo interfuerunt; & his quidem verbis: *Fuit autem numerus Epiſcoporum congregatorum decem & octo ſupra trecentos. Romanus Epiſcopus, ſenio confectus, ipſe non affuit; miſit tamen Presbyteros duos, qui Compoſitioni intereſſent. Multi tum Apoſtolicis donis excellebant: multi ferebant in corpore ſuo, iuxta Diuum Paulum, inuſtas notas Domini Ieſu. Ex horum numero conſtabat, Iacobum, Epiſcopum Antiochiæ in Mygdonia, quam vocant Syri & Aſſyrij Niſibin, mortuos ſuſcitaſſe, & vita reſtituiſſe, aliaquè feciſſe innumerabilia miracula: quibus in Hiſtoria, quæ Philotheos inſcribitur, ſeparatim expoſitis, non putaui hac in narratione locum futurum. At Paulus Epiſcopus Neocæſariæ (Caſtellum hoc eſt in ipſa Euphrata) rabiem Licinij ſenſerat; debilitatas enim gerebat manus ambas, contractas candente ferro, & correptis enectiſquè articulorum mobilibus neruis. Alijs oculi dextri offoſſi erant, alijs dextera eneruata brachia: in quibus & Paphnutius Ægyptius conſpiciebatur. Et, vt breui abſoluam, cernere illo in Conuentu erat Populum quendam Chriſti Teſtium.* Hactenùs Theodoreti verba. Paphnutius ille porrò (vt cæteros tacitus prætereram) non alius erat, quàm qui paulò ante à Socrate ac Sozomeno memorabatur, & cuius item mentio habetur in Sancti Abbatis Antonij Vita per Sanctum Athanaſium conſcripta, necnon etiam in Martyrologio Romano, & in adiectis Baronij Notationibus ad vndecimam Septembris diem. De quo prætetea Ruffinus Aquileienſis Libro Primo Capite 4. ita ſcriptum reliquit: *Quem Conſtantinus* (videlicet Imperator) *in tanta veneratione & affectu habuit, vt ſæpius eum, intra Palatium euocatum, complecteretur: & oculum illum, qui in confeſſione Fidei euulſus fuerat, auidioribus oſculis demulceret.* Atque hinc quidem intelligamus par eſt, ab hoc Paphnutio (quem cum Baronio & alijs ſupponimus Thebaidis Superioris Epiſcopum fuiſſe) omninò diuerſum eſſe Ieroſolymitanum illum Epiſcopum, cuius item oculum pro Catholica

B (beside "Apoſtolicis donis excellebant") · C (beside "Alijs oculi dextri") · D (beside "Capite 4.")

Fide

Fide à Perſecutoribus erutum, Conſtantinus ſæpè oſculabatur; A
vt ſuperiori Capite 59. Numero 2. Sanctus nobis affirmabat
Gregorius Papa Septimus. Quòd ſi fortè Nicæno Concilio hic
etiam Epiſcopus interfuit; non alius profectò nomine fuit,
quàm Macarius. Inter eos enim Prouinciæ Paleſtinæ Epiſcopos, qui eidem interfuerunt Concilio, primus ſubſcripſit *Macarius Ieroſolymitanus*. Tali autem pro Macario coniecturæ non mediocriter hæc etiam ſuffragantur; quòd Eccleſiam ille Ieroſolymitanam, *Vir dignus beatitudine nominis ſui, & multiplicibus bonis ornatus* (quo elogio à Theodoreto commendatur Libro primo Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Capite 3.) rexit ab Anno ſupra Trecenteſimum duodecimo vſque ad trigeſimumprimum; B quòd etiam interim *eius hortatu Loca Sancta à Conſtantino* (cui Crucis Signum eodem illo Anno duodecimo primùm è Cælo apparuerat) *& Helena expurgata, & Sacris Baſilicis illuſtrata ſunt*, vt in Martyrologio Romano habetur die Martij decima; quòd præterea *ſemper Ario ab exordio naſcentis eius hæreſis acerrimè reſtitit*, vt in Notationibus ad eumdem diem benè probat Baronius; quòdquè tandem iure merito credi poſſit non minùs ijs etiam reſtitiſſe Perſecutoribus, à quibus Fideles per varia illa ſupplicia tentati, & ad defectionem C ſolicitati proximè fuerant. Sed hinc ad Nicæni Concilij auctoritatem reuertamur.

XXXXI. Illud autem pro certo & indubitato ſupponimus fuiſſe Generalium Conciliorum Primum, & à Romano Pontifice approbatum; vt Bellarminus accuratè docuit Libro Primo *De Concilijs*, Capite 5. Quocirca ſimul etiam, tamquàm è Fide Catholica certiſſimi, ſupponimus errare non potuiſſe, nec in Fide, nec in moribus; vt in vniuerſum pro omnibus eiuſmodi Concilijs egregiè idem diſſeruit Bellarminus Libro Secundo *De Conciliorum Auctoritate*, Capite 2. multiſquè alijs ſubſequentibus. D Sed & ſingularia nobis non deſunt pro eodem illo Concilio teſtimonia: & hæc quidem præ cæteris. Sanctus Athanaſius in Epiſtola ad Epictetum (quam recitat etiam Sanctus Epiphanius Hæreſi 77.) miratur, quomodò aliqui audeant quæſtionem mouere de rebus in eo Concilio definitis; cùm non poſſint eiuſmodi Conciliorum decreta mutari, niſi errando. *Qua igitur* (inquit) *audacia fit, vt poſt tanti Concilij*

*auctoritatem*

*auctoritatem diſceptationes, aut quæſtiones inſtituant? Quòd ſi ex genere Arianorum ſunt; nihil mirum, ſi, quæ contra ipſos promulgata & ſcripta ſunt, calumnijs oppugnent* &c. *Sin ex eorum numero ſunt, qui, cùm Orthodoxorum ſpeciem habeant, & amplecti videantur quæ à Patribus ſunt edita, diſputando tamen ea ſubuertere moliantur; nihil aliud faciunt, quàm proximum portant ſubuerſione luculenta, verborum pugnis digladiantes, non ad alicuius vtilitatem, ſed ad ruinam hominum ſimpliciorum.* Idemquè Athanaſius in Epiſtolà ad Epiſcopos Africæ illud ipſum Concilium teſtatur anathema ijs denunciaſſe omnibus, qui contraria ſuæ ipſorum confeſſioni ſentirent. *Huic certè Concilio* (addit ille) *vniuerſus Orbis aſſenſum præbuit: & quamquàm multa habita ſunt Synodi; huius tamen omnes ſunt memores, tum per Dalmatiam, Dardaniam, aliaſquè Inſulas, Siciliam, & Cyprum; tum per Iſauriam, Pamphiliam, Lyciam, & vniuerſam Ægyptum & Lybias; & plerique in Arabia hanc agnouerunt, & admirati ſunt, & ſubſcriptione approbarunt, adeò vt, ſi quis reſtet ex Ariana radice progerminante amaritiem (loquimur autem de Vrſatio, Valente, cæteriſquè qui idem ſentiunt) per iſta ipſa ſcripta abſciſſi reiectiquè comperiantur. Sufficiunt igitur ea, quæ Nicææ confeſſa fuere: ſatiſquè per ſe virium habent, quemadmodùm ſuperiùs diximus, tum ad ſubuerſionem impij dogmatis, tum ad tutelam vtilitatemquè Eccleſiaſticæ Doctrinæ.* Et paulò pòſt: *Verbum illud Domini per OEcumenicam Nicææ Synodum in æternum manet.* Nonne verò ipſemet etiam Conſtantinus Imperator apud Euſebium Libro 3. de ipſius Vita, Epiſtolam ſcribens ad Eccleſias, eiuſdem Concilij Decreta diſertiſſimè appellabat *Cæleſtia Mandata?* In eamdem porrò ſententiam Sanctus etiam Gregorius Nazianzenus Oratione in Athanaſium affirmare non dubitauit, *ad Concilium Generale Nicænum Epiſcopos à Spiritu Sancto congregatos eſſe.* Sanctus etiam Cyrillus Libro 1. de Trinitate, Decretum eiuſdem Concilij appellauit *Diuinum & Sanctiſſimum Oraculum.* Quocirca Sanctus etiam Baſilius Epiſtola 78. docebat, ſuſpectis de Fide proponenda eſſe Nicæni Concilij Decreta; inde ſiquidem appariturum, Hæretici ne illi ſint, an Catholici. Sin autem aliquos etiam huc addere velimus ætate Ambroſij poſteriores; Sanctus profectò Pontifex Leo Primus in Epiſtola

A (margin, line 1) · B (margin, at "qui contraria") · C (margin, at "tur. Sufficiunt") · D (margin, at "cilium Generale")

71. ad Leonem Auguſtum præcisè aſſeruit, non poſſe in Catho- A
licorum numero computari eos, qui Nicæno Concilio reſiſte-
rent: & in Epiſtola 53. ad Anatholium, & 54. ad Martianum
Imperatorem, Nicæni Concilij Canones per Sanctum Spiri-
tum eſſe ordinatos. Sic etiam Sanctus Gregorius Magnus Li-
bro Primo Epiſtola 24. eò vſque proceſſit, vt ſcriberet: *Quia*
*corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem;*
*ſicut Sancti Euangelij quatuor Libros, ſic quatuor Concilia ſuſ-*
*cipere & venerari me fateor; Nicænum ſcilicet, in quo peruer-*
*ſum Arij dogma deſtruitur; Conſtantinopolitanum quoque, in*
*quo Eunomij & Macedonij error conuincitur; Epheſinum etiam* B
*Primum, in quo Neſtorij impietas iudicatur; Chalcedonenſe*
*verò, in quo Eutychis Dioſcorique prauitas reprobatur, tota de-*
*uotione complector, integerrima approbatione cuſtodio; quia in*
*his, velut in quadrato lapide, Sanctæ Fidei ſtructura conſurgit,*
*& cuiuslibet vita atque actionis norma conſiſtit. Quiſquis eorum*
*ſoliditatem non tenet, etiamſi lapis eſſe cernitur, tamen extra*
*ædificium iacet.* Hinc itaque Bellarminus Libro Primo *De Cle-*
*ricis,* Capite 1. cùm eiuſdem Concilij Teſtimonium productu-
rus eſſet; præfatus ei ſic fuit: *Prodeat igitur, non ex hominibus*
*ſingulis, ſed ex cætibus hominum, Concilium Primum Nicæ-* C
*num, OEcumenicum, vetuſtiſſimum, frequentiſſimum, celeber-*
*rimum, cuiuſquè auctoritas tanta ſemper apud omnes veteres*
*fuit, vt ab Euſebio Libro 1. de Baptiſmo, Capite 18. Orbis ter-*
*ræ Concilium appelletur: ab Athanaſio in Epiſtola ad Epiſcopos*
*Africæ, & Leone Epiſtola 53. ad Anatholium cum Oraculis*
*Spiritus Sancti: à Gregorio verò Libro Primo Epiſtola 24. cum*
*ipſo Euangelio conferatur.* Cùm igitur tantæ foret auctoritatis
hoc Concilium; cumquè Sacris illis Miniſtris vſum Coniugij
vetuerit; credibile profectò non eſt, Ambroſium illis eumdem D
permittere vſum voluiſſe, reque ipſa permiſiſſe.

XXXXII. Non ego tamen propterea nego defuiſse interim aliquos,
qui eumdem nihilominùs Matrimoniorum vſum ſibi vſurpa-
uerint: ſed ſicut eum ſibi vſurpabant contraquàm Sacroſan-
cta illa OEcumenica Synodus ſtatuiſset; ſic eum nego ite-
rumquè nego illis, vel eiuſdem generis alijs, permiſſum ab
Ambroſio fuiſse. Tales vtiquè Miniſtros Ambroſius abſque
dubio damnabat ſuperiore Numero 15. neque minùs dam-

naſset

naſset eos, quos Sanctus Epiphanius deſcripſit immò verò A
damnauit Hæreſi 59. quæ eſt Catharorum. Etenim ſecun-
dùm Pariſienſem atque Græcolatinam Anni 1622. editionem,
ſtudio & opera Dionyſij Petauij emendatam, Epiphanius illic
inter cætera ſic inquit: *Si quis poſt Baptiſmum ſecundam vxo-
rem duxerit; ab illis non ampliùs admittitur. Quod quidem
planè ſtolidum eſt.* Et paulò pòſt: *Siquidem, quæ Sacerdotio
propter ſingularem functionis illius dignitatem præcipuè tributa
ſunt, ea ad omnes communiter pertinere iudicant. Illud quidem
audierunt: Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe oportere, vnius vxo-
ris virum, ſimiliter & Diaconum, & Presbyterum. Ita enim* B
*profectò ſe res habet, vt, poſt Chriſti in Orbem terrarum aduen-
tum, eos omnes, qui ſecundùm priores Nuptias mortua vxore al-
teris ſe ſe nuptijs illigarint, ſanctiſſima Dei diſciplina reijciat,
propterea quòd incredibilis eſt Sacerdotij honor ac dignitas. At-
que iſtud ipſum Sacroſancta Dei Eccleſia cum omni prouiſione
diligentiaquè ſeruat. Quin eum inſuper, qui adhuc in Matri-
monio degit, ac liberis dat operam, tametſi vnius ſit vxoris vir,
nequaquàm tamen ad Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi, aut Hypo-
diaconi Ordinem admittit; ſed eum dumtaxat, qui ab vnius
vxoris conſuetudine ſe ſe continuerit, aut ea ſit orbatus:* QVOD C
IN DICTIS LOCIS PRÆCIPVE FIT, VBI ECCLE-
SIASTICI CANONES ACCVRATE SERVANTVR. *At
enim nonnullis adhuc in locis Presbyteri, Diaconi, & Hypodia-
coni liberos ſuſcipiunt. Reſpondeo,* NON ILLVD EX CA-
NONIS AVCTHORITATE FIERI; SED PROPTER
HOMINVM IGNAVIAM, *quæ certis temporibus negligenter
agere ac conniuere ſolet ob nimiam Populi multitudinem; cùm
ſcilicet, qui ad eas ſe functiones applicent, non facilè reperiuntur.
Quod ad ipſam quidem Eccleſiam attinet; ea, vtpote à Sancto
Spiritu benè ordinata atque conſtituta, quod decentius eſt omni-* D
*bus in rebus conſiderans, ei rei ſtudere potiſſimùm inſtituit, vt
quæ Diuino Numini miniſteria præſtantur, nulla re, quoad fieri
poteſt, diſtrahantur; vtquè ſpiritalia omnia officia quàm optima
lætiſſimaquè conſcientia gerantur. Hoc igitur dico, propter ſubitas
functiones atque officia conuenire, vt Presbyter, ac Diaconus, &
Epiſcopus Deo penitùs vacet. Nam ſi illis etiam qui è Populo
ſunt, idipſum Apoſtolus præcipit, vt (inquit) ad tempus vacent*

A *orationi ; quanto id magis Sacerdoti præſcribit? Nimirùm nullis vt impedimentis auocetur, quò in ſpiritualibus ſecundùm Deum negotijs, in ipſo vſu Sacerdotij adminiſtrationequè feretur.* Hucuſque Sanctus Epiphanius: & hic quidem Sancto Ambroſio contemporaneus, vt è Baronij Annalibus intelligi datur. Ambroſius enim Eccleſiam Mediolanenſem rexit ab Anno ſupra Trecenteſimum ſeptuageſimo-quarto vſque ad nonageſimum-ſeptimum. Epiphanius autem ab Anno Sæculi eiuſdem Septuageſimo vſque ad Quadringenteſimum circiter ſecundum Eccleſiam rexit Conſtantiæ, ſiue Salaminæ, Vrbis in Cypro primariæ. Quin etiam hic ipſe nobis eo etiam B præcipuè memorandus eſt titulo, quòd Anno Trecenteſimo octuageſimo-ſecundo (ſiue poſteriore, quàm celebratum fuiſset Concilium illud Conſtantinopolitanum, in quo Ambroſius à Datio dicebatur in fauorem vxoratorum Sacerdotum iudicaſſe) quòd eo, inquam, Anno citra dubium interfuit Concilio Romano, ſub Damaſo Papa celebrato, cui pariter Ambroſius citra omnem controuerſiam interfuit, & cuius mentionem nobis faciebat Bellarminus ſuperiori Numero 27. Quo quidem in Concilio Romano (vt benè Baronius ad eum Annum animaduertit) prohibitum eſt etiam ex præſcripto C Nicæni Canonis, ne ante horam tertiam diebus feſtis Miſsæ canerentur; alijs verò diebus à media hora quarta vſque ad nonam facere liceret. Vt hinc etiam intelligamus, quantopere alienus ab eo fuerit Ambroſius, vt pro Clericis coniugatis aliquam conderet legem Nicæno Canoni aduerſantem.

XXXXIII. Quòd ſi quis fortaſsè adhuc hæret hac de re dubius; Ambroſium ipſum audiat, ac dubitare iam tandem erubeſcat. In Proemio quidem Libri Primi de Fide ſic ille ad Gratianum Auguſtum ſcribebat: *Petis à me Fidei Libellum Sancte Imperator, profecturus ad prælium. Noſti enim, fide magis Imperatoris, quàm virtute militum, quæri ſolere victoriam. Nam & Abraham trecentos decem & octo duxit ad bellum* (Geneſis 14.) D *& ex innumeris trophæa hoſtibus reportauit. Signoquè Dominicæ Crucis & Nominis, quinque Regum victriciumquè turmarum ſubacto robore, & vltus eſt proximum, & fratris filium meruit, & triumphum.* Et paulò pòſt, Concilium indicans Nicænum: *De Concilijs id poſitiſſimum ſequar, quod trecenti decem*

*cem & octo Sacerdotes, tanquàm Abrahæ electi iudicio, conſona* A
*Fidei virtute victores, velut trophæum toto Orbe ſubactis perfidis extulerunt; vt mihi videatur hoc eſſe Diuinum, quòd eodem numero in Concilijs Fidei habeatur oraculum, quo in Hiſtoria pietatis exemplum.* Et eodem poſtea Libro, Capite nono: *Accepiſti Sancte Imperator, eos qui talia aſſerunt* (Ariana nempe pronunciata, qualia proximè recenſuerat) *iure damnatos, non humana induſtria, non compoſitione aliqua; ſed trecenti decem & octo, vt ſupra dixi, Epiſcopi ad Concilium conuenerunt. Sed vt in numero eorum per ſignum ſuæ Paſſionis & Nominis*
*Dominus Ieſus ſuo probaret ſe adeſſe Concilio, Crux in trecentis, Ieſu nomen in decem & octo eſt Sacerdotibus.* Præterea B
verò etiam in Libro de Incarnationis Dominicæ Myſterio, Capite 7. *Non enim quod eiuſdem ſubſtantiæ eſt, vnus, ſed vnum eſt. Nam vtique Filium eiuſdem cum Patre ſubſtantia confitentes* IN TRACTATV CONCILII NICÆNI, *non vnam perſonam, ſed vnam diuinitatem in Patre & Filio crediderunt.* In Enarratione pariter de Paſchalis Celebritatis Ratione ſic incipit: *Non mediocris eſſe ſapientiæ, diem Celebritatis definire Paſchalis, & Scriptura Diuina nos inſtruit, & traditio Maiorum: qui conuenientes ad Synodum Nicænam, inter illa Fidei* C
*vt vera ita admiranda Decreta, etiam ſuper Celebritate memorata, congregatis peritiſſimis calculandi, decem & nouem Annorum collegere rationem, & quaſi quendam conſtituere circulum; ex quo exemplum in Annos reliquos gigneretur. Hunc circulum Enneadecaterida nuncuparunt* &c. Et aliquantò pòſt: *Nec abſurdum arbitror, vt inde obſeruandi Menſis trahamus exemplum, vbi primùm Paſcha celebratum eſt. Vnde & Maiores noſtri* IN TRACTATV CONCILII NICÆNI *eumdem Enneadecateridem, ſi quis diligenter intendat, ſtatuendum putarunt, & ipſum Menſem Nouorum rectè cuſtodierunt, quia in* D
*Ægypto hoc primo Menſe noua ſecantur frumenta.* Sed & Libro ſecundo, Epiſtola 13. ad Valentinianum Auguſtum: *Cum ijs planè benè conuenit Ariano, qui creaturam Chriſtum dicit; quod etiam Gentiles ac Iudæi promptiſſimè confitentur. Hoc ſcriptum eſt in Ariminenſi Synodo: meritoquè Concilium illud exhorreo*, SEQVENS TRACTATVM CONCILII NICÆNI, A QVO ME NEC MORS, NEC GLADIVS PO-

TERIT

TERIT SEPARARE : *Quam Fidem etiam Parens Clementiæ* A
*tuæ Theodoſius Beatiſſimus Imperator & ſequitur, & probauit.*
*Hanc Fidem Galliæ tenent, hanc Hiſpaniæ, & cum pia Diui-*
*ni Spiritus confeſſione cuſtodiunt :* Talibus autem Ambroſij de
Concilio Nicæno pronunciatis illud etiam connumera, quod à
nobis recitatum iam eſt ſuperiore Numero 18. ac tùm planiſ-
ſimè conſtabit, quanta ille reuerentia proſecutus fuerit, quam-
què fideliter & religiosè ſeruare ſemper voluerit Nicæni
Concilij Tractatum, ſiue Decreta eius omnia, tam quæ ad
Catholicam Fidem, quàm quæ ad Eccleſiaſticam diſciplinam
pertinerent; ad quam vtique diſciplinam pertinebat Canon iſ- B
le, quo Sacris illis Miniſtris vetitum fuiſſe Coniugij vſum
abundè iam probauimus.

XXXIV. Attende nunc, quàm idoneis & ad intelligentiam com-
modis Datius verbis expreſſerit eam legem, quam ſomniabat
à Sancto eſſe Ambroſio pro Sacerdotibus vxoratis pronuncia-
tam. Eius vtique verba hæc erant: *Ideò lex concedit, Sacer-*
*dotes ſemel virginem vxorem ducere, ſed Coniugium non iterare.*
*Si autem, mortua prima vxore, Sacerdos aliam duxerit; Sa-*
*cerdotium amittit.* Hæc igitur vt ad purum & ſincerum intel-
ligantur, hunc ego in modum diſſeruerim. Quemadmodùm C
aliud eſt filios in Sacerdotio facere, aliud habere, vt benè Am-
broſius etiam nobis Numero 18. in Apoſtoli Pauli Epiſtola ob-
ſeruabat; ſic etiam ſine dubio aliud eſt vxorem in Sacerdotio
ducere, aliud habere. Hanc enim Sacerdos habere poteſt
ductam priùs, quam Sacerdotio initiaretur; ac præterea ſic ha-
bere, vt vel ea interim vtatur, vel in perpetuum non vtatur.
Quocirca etiam Græci (vt explicatum iam eſt Numero 24.)
ſecundùm Trullanam Synodum permittebantur vxorem in
vſus etiam coniugales habere quidem, ſi eam, non poſt, ſed
ante Subdiaconatus Ordinem duxiſſent; eademquè conſuetu- D
do ſimiliter à Clero Mediolanenſi demùm ſeruabatur Arialdi
tempore, vt hoc ipſo Libro Quarto iam vidimus Capite 3.
Nunc igitur ego quæro, quinam eſſet genuinus ac legitimus
eius legis ſenſus. Ex vna enim parte videtur ea Sacerdotibus
conceſſiſse, vt poſt Sacerdotium etiam ſuſceptum ducere poſ-
ſent vxorem. Sicut enim ea ipſa lege Coniugium iterare alte-
ramquè poſt obitum primæ ducere vetabatur Sacerdotibus,

qui Sacerdotio iam ſungerentur, quiquè propterea contrafa- A
cientes deberent amittere Sacerdotium, non vtique cæteroqui
acquirendum poſtea, ſed priùs acquiſitum; ita etiam vice ver-
ſa Sacerdotibus ad Sacerdotium iam promotis conceſsum vi-
debatur, vt ſemel vxorem ducere virginem poſsent. Quòd ſi
Sacerdotibus hoc ita cõcedebatur; quidni multò magis conce-
debatur Diaconis & Subdiaconis? En igitur vt Ambroſius Sacris
illis Miniſtris facultatem conceſſiſset longè diuerſam, longe-
què ampliorem illa, quam ipſi poſtea vſitarunt: quod tamen
quis credat? Sin autem Datio potiùs placet, vt credamus, ea
lege Sacerdotibus ab Ambroſio conceſsum fuiſse, vt vxorem B
ducere ſolummodò poſsent ante Subdiaconatum, & eo pror-
sùs ordine, quem denique nouimus ſeruatum à Græcis poſt
Trullanam Synodum, & à noſtris Mediolanenſibus Arialdi
tempore; negari profectò non poteſt, quin ea lex, talibus con-
cepta verbis, parùm admodùm congruat ad huiuſmodi ſen-
ſum, & hanc etiam ob cauſam cenſenda videatur doctiſſimo
Ambroſio indigna.

XXXXV. Et hactenùs quidem ſatis à nobis examinatum ſingillatim
ſit primarium illud Datij teſtimonium. Ad illud porrò Lan-
dulphi Senioris, quod ſecundo loco ſequebatur, ſiue ad illius C
potiorem partem, iam reſpondimus Numero XI. Nunc li-
benter ab ipſo percunctaremur, quænam fuerit illa Synodus,
quam ipſe innuebat. Si enim Conſtantinopolitanam reſpon-
deret fuiſſe illam, quam Datius expreſsè nominabat; ergo, ſi-
cut Datius, ita etiam ipſe pariter in hoc iam conuictus erroris
tenetur. Si diuerſam fuiſſe; nonne Datium ipſe in hoc erraſſe
fateretur, ipſequè nobis primus oſtenderet, quàm parui fa-
cienda ſit eius auctoritas & hiſtorica fides? Nonne pariter di-
uerſæ Synodi prætextus iiſdem fermè omnibus refelleretur ar-
gumentis, quibus Conſtantinopolitanæ illius Synodi prætex- D
tus refellebatur?

XXXXVI. Senſus humanos ad peccandum eſſe pronos, & præſertim
propter incontinentiam: itemquè virginitatem atque caſtita-
tem non aliunde, quàm à Deo, haberi poſſe: abſit à me vt hæc
negem Ambroſio quàm optimè cognita & comperta fuiſſe.
Atqui ne hoc quidem tantus Eccleſiæ Catholicæ Doctor igno-
rare poterat, quod eiuſdem Eccleſiæ Patres ac Sacri Theologi

paſſim & communi conſenſu docent : hoc eſt, continentiam A
eſſe quidem peculiare Dei donum ; ſed eam nihilominùs in
hominis arbitrio & poteſtate poſitam eſſe ; ſi tamen ipſe remedijs ad eam neceſſarijs, ac diuinitùs inſtitutis, & ad vſus noſtros
paratis, vti velit. Qua de re præ cæteris Æui noſtri Theologis
ego ſuaſerim vt Cardinalis conſulatur Bellarminus Libro Primo *De Clericis*, Capite 21. in Reſponſione ad Quartum aduerſariorum Argumentum : & aliquantò copioſiùs Libro Secundo *De Monachis*, Capite 31. vbi etiam inter alia multa Patrum
teſtimonia, quibus probatur Cœlibatum eſſe in poteſtate noſtra, diuinæ gratiæ auxilio innixa, videre licet Ambroſij quoque B
Antiſtitis noſtri teſtimonium, & his verbis comprehenſum :
*Ambroſius Libro 3. de Virginibus, Dominus (inquit) qui sciret, prædicandam omnibus integritatem, imitandam paucis ; Non omnes (inquit) capiunt verbum iſtud. Et Libro de Viduis : Sunt (inquit) ſpadones, qui ſe caſtrauerunt propter Regnum Cælorum; ſed hoc non omnibus imperatur, ſed ab omnibus flagitatur. Et infra : Scit Creator omnium, affectus eſſe varios ſingulorum ; & ideò præmijs virtutem prouocauit, non infirmitatem vinculis alligauit.* Hactenùs Ambroſij verba. Quibus
illicò Bellarminus ita ſubdit: *Hæc ille. Vbi vides, continentiam* C
*omnibus prædicari, ab omnibus flagitari ; nimirùm, ſi ipſi velint præmia eius conſequi.*

XXXXVII. Cæterùm in eo quoque Landulphus ille Senior errabat, quòd, Græcorum explicans nubendi conſuetudinem, his eam verbis deſcripſit : *Itaque Græci Sacerdotes Ambroſianam tenentes ſententiam, vſque hodie ſancitum & pro lege ſacra habent, vt, quando in Sacerdotio vnguntur, aut virginitatem exinde promittant, aut vxores in teſtimonio bonorum virorum ſibi ſocient.* In hoc, inquam, ille citra dubium errabat ; & ipſiſmet Trullanæ Synodi Canonibus, à Bellarmino fideliſſimè D
propoſitis (vt à nobis recitatum iam eſt Numero 24.) apertiſſimè refellitur. Non enim ea tunc peragebant (ſicut ne hodierna quidem peragunt die) Græci, quando in Sacerdotio vngebantur, ſed antequàm Subdiaconatu initiarentur.

XXXXVIII. Sed ne in eo quidem immunis ab errore videtur Landulphus, quòd omnes in vniuerſum Sacerdotes monogamos exiſtimauerit non viuere ſub caſtitate, ſed vxores ita ſecum dein-

cepiſſe habere, vt ijs etiam vterentur: quod tamen falſum eſt. A
Etenim ſecundùm Sacros Canones, & ſecundùm Catholicam
& Sancti Ambroſij doctrinam, in ſuperioribus explicatam, hoc
illis vetabatur.

XXXXIX. Ad Gualuanei Flammæ atteſtationem Numero 5. recitatam, nunc reuertimur, & propria pariter ipſius errata commonſtramus. In eo autem primùm errauit, quòd ea Sancti Pauli ad Timotheum & ad Titum monita malè interpretatus eſt contra perpetuam & communem illam Eccleſiæ Catholicæ ſententiam, quam nos vnà cum Bellarmino indicabamus Numero 23. cùm alioqui certiſſima ſit ea quoque Tertulliani regula, Libro de Præſcriptionibus aduersùs Hæreticos Capite 17. conſignata; *Tantùm veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantùm & corruptor ſtylus.* Inde igitur Gualuaneus corruptè ac deprauatè, quinetiam contra Canones illos Apoſtolicos, quos Numero 35. indicabamus, iudicauit, iam inde ab initijs Eccleſiæ Chriſtianæ licuiſſe Diaconis, Sacerdotibus, & Epiſcopis habere vxores; quibus vtique interea vterentur. Hic enim abſque dubio erat Gualuanei ſenſus. B

L. Quòd item ille à Zacharia, Sancti Ioannis Baptiſtæ Genitore, ac Veteris Teſtamenti Sacerdote, argumentabatur ad Noui Teſtamenti Sacerdotes; in hoc itidem abſque dubio errabat; & in hoc ab ipſomet etiam Sancto Ambroſio refellitur; vt iam vidimus Numero 15. 20. & 25. C

LI. Vtrùm verò Eribertus ille Archiepiſcopus (à me ſolitus appellari potiùs Aribertus) eam re vera vxorem habuerit, quam Gualuaneus dicebat; ne hoc quidem mihi verum aut veriſimile videri poteſt. Aribertus nimirùm ille ad Eccleſiæ Mediolanenſis regimen euectus eſt Anno Domini ſupra Milleſimum decimonono, & in eo perſeuerauit vſque ad Annum poſtea quadrageſimum-ſextum; ſicut ego in Ambroſianæ Baſilicæ ac Monaſterij Monumentis commemini Numero 213. & 246. Eodem verò illius tempore viuebant etiam Rerum Mediolanenſium Scriptores, Arnulphus & Landulphus Senior, ſæpiſſimè hactenùs à nobis in teſtimonium producti. Eiuſdem igitur Archiepiſcopi Geſta luculenter ambo & copiosè ſuis Hiſtorijs conſignarunt; neque tamen vxoris illius, quam Præſul ille tunc haberet, mentionem fecerunt vllam; quam tamen cæteroqui fa- D

cere

cere debuiſſent; vt appareret, quanti etiam Præſulis exemplum ſequerentur vxorati per ea tempora Sacerdotes, quibus illi vnicè fauebant; vt ſæpè iam diximus. De illo autem Sancti Dionyſij Monaſterio Arnulphus Libro ſecundo, Capite vndecimo, hæc tantùm: *Sepultus eſt autem (* Aribertus *) ad Sanctum Dionyſium, vbi elegans fundauerat ipſe Monaſterium.* Landulphus autem Hiſtoriarum ſuarum Libro ſecundo, poſteaquàm per multa Capita de Geſtis eius Archiepiſcopi ſcripſiſſet, ſic etiam tradidit Capite 32. *Migrauit enim Beatus* (tanti eum hic Auctor faciebat *) Heribertus ad Dominum decimo-ſeptimo Kalendas Februarij, Milleſimo quadrageſimo-quinto, & ſepultus eſt ad Sanctum Dionyſium: cuius Monaſterium & Eccleſiam ipſe ad Dei honorem & Beati Dionyſij exaltans magnificauit, & multis prædijs multiſquè honoribus eam ditando & honorando ſublimauit.* Multa verò etiam ego ipſe legi quinetiam exſcripſi publica & autentica eiuſdem Monaſterij Documenta, quibus à prima eius inſtitutione (quam vigeſimo tertio ſupra Milleſimum Anno Chriſti adiudicabam in Ambroſianæ Baſilicæ ac Monaſterij Monumentis Numero 228.) vſque ad Annum 1164. ſuis expreſſa vocabulis ſingillatim enumerantur omnia eius bona immobilia; neque tamen ijs connumeratam vnquàm vidi tam ſingularem illam Vineam, proprio Vteriæ nomine appellatam, quæ Monaſterio eidem contigua fuiſſe ſupponitur, quæquè propterea etiam eo magis connumeranda videbatur, ſi iam tum fuiſſet in eius poteſtate. Nondùm igitur donata illi fuerat hæc Vinea; proindequè ne donata quidem illi fuit à muliere, quæ Archiepiſcopi eius Ariberti vxor eſſet. Eiuſmodi verò Documenta mihi, de fide mea ſibi iamdudùm comperta certiſsimus, Anno 1642. ex eius Abbatiæ Archiuo commodauit Eminentiſsimi Cardinalis Antonij Barberini Abbatis Commendatarij tunc Procurator, Bernardus Bellonus, Ambroſianæ Baſilicæ Canonicus: cuius mentionem faciebam in eiuſdem Baſilicæ Ambroſianæ Monumentis Numero 280. & rurſùs in Diſſertatione feci Nazariana Capite 107. Numero 12. Ac tria quidem prima generis huius Documenta ego ad verbum recitabo Capite ſubſequenti: reliqua verò ſunt huiuſmodi. Quartum nempe eſt Oberti Archiepiſcopi noſtri Priuilegium, eidem Monaſterio conceſſum *Anno*

*Dominicæ*

*Dominicæ Incarnationis Milleſimo centeſimo quadrageſimo-ſexto*, A
*menſe Octubris*, *Indictione decima*. Quintum eſt Priuilegium, eidem pariter Monaſterio ab Eugenio Papa conceſſum, ac *datum Vercellis per manum Guidonis*, *Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarij*, *quinto nonas Martij*, *Indictione decima*, *Incarnationis Dominicæ Anno Milleſimo centeſimo quadrageſimo-ſexto*, *Pontificatus verò Domni Eugenij Tertij Papæ Anno Tertio*. Sextum eſt Adriani Papæ Priuilegium, *Datum Laterani per manum Alberti*, *Sancti Adriani Diaconi Cardinalis*, *vicem Domni Rolandi*, *Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteri Cardinalis & Cancellarij*, *gerentis*, *quarto Idus Nouembris*, *Indictione ſexta*, *Incarnationis Dominicæ Anno Milleſimo centeſimo quinquageſimo-ſeptimo*, *Pontificatus verò Domni Adriani Papæ Quarti Anno Tertio*. Septimum eſt Friderici Imperatoris Ænobarbi Priuilegium, ita denique ſubſcriptum, *Ego Fridericus*, *Colonienſis Archiepiſcopus*, *& Italici Regni Archicancellarius*, *recognoui*, *Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo centeſimo quinquageſimo-octauo*, *Indictione ſeptima*, *Regnante Domno Frederico Romanorum Imperatore Glorioſiſſimo*, *Anno Regni eius Septimo*, *Imperij verò Quarto*, *fæliciter*, *Amen*. *Datum in Runcalia decimo-quinto Kalendas Decembris*. Octauum & poſtremum eſt Alexandri Papæ Priuilegium, *Datum Senonis per manum Hermanni*, *Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiaconi & Notarij*, *ſecundo Nonas Nouembris*, *Indictione decima-tertia*, *Incarnationis Dominicæ Anno Milleſimo centeſimo ſexageſimo-quarto*, *Pontificatus verò Domni Alexandri Papæ Tertij Anno Sexto*. Quo cæteroqui tempore (horretquè animus meminiſſe) nobiliſſima Ciuitas hæc noſtra, miſerandum in modum ab ipſomet Imperatore Friderico Ænobarbo diruta, ſuiſquè Ciuibus abire coactis ſpoliata, ſecundum iam Annum iacebat. In his igitur omnibus & ſingulis Priuilegijs, eidem Monaſterio conceſſis, omnia ſingillatim enumerantur eius prædia & bona immobilia: quinetiam in quarto quinto ſexto & octauo nominatim exprimitur *Decima terrarum*, *quæ ſunt iuxta ipſum Monaſterium*; neque tamen vnquàm nominata vel aliquatenùs aliter indicata conſpicitur Vinea illa, Vſeriæ nomine inſignis. Quocirca ne ad illud quidem vſque tempus ea videtur in eius poteſtate Monaſterij fuiſſe; atque adeò ne

donata

donata quidem ab Vſeria, quæ Ariberti eſſet Archiepiſcopi A vxor. Illud etiam his accedit, quòd neque Sanctus Arialdus neq; alius quiſpiã ex eius fautoribus vſquàm legitur inter innumeras de Sacerdotum Coniugijs querimonias aliquid vnquàm innuiſſe de Matrimonio, quo aliquis ex Archiepiſcopis noſtris aliquando illigatus fuiſſet. Attendantur verò etiam corruptelæ, quas è Mediolanenſi Eccleſia tollere ſtuderent Legati Apoſtolici, huc miſſi, ac nominatim Petrus Damiani Cardinalis, & Anſelmus Epiſcopus Lucenſis, de quibus præſertim dictum eſt præſentis Libri Quarti Capite decimo. Ex profectò non aliæ inuenientur eſſe, quàm Simonia (cuius & Archiepiſcopus & B Clerus erat reus) quamquè Miniſtrorum Archiepiſcopo inferiorum incontinentia. Quamobrem Archiepiſcopus etiam ipſe Guido eodem illo Capite 10. ſic etiam promittebat Numero 24. *Nicolaitarum quoque hæreſim nihilò minùs condemnamus: & non modò Presbyteros, ſed & Diaconos, & Subdiaconos ab vxorum vel concubinarum fœdo conſortio noſtris ſtudijs, in quantum poſſibilitas nobis fuerit, ſub eodem, quo ſupra, teſtimonio arcendos eſſe promittimus*. Denique verò dicamus etiam, de Sacris Eccleſiæ Mediolanenſis Miniſtris, qui per hæc tempora vxores haberent, non aliter ſentiendum videri, quàm ſecundùm eas generis huius leges, quæ per eadem pariter tempora C in vſu communiter apud Græcos eſſent; apud quos tamen ſancitum erat, & inuiolabiliter ſeruabatur, vt Epiſcopi non haberent vxores, quibus vtique cohabitarent; quemadmodùm apertiſsimè teſtatum iam vidimus Numero 24. quibus etiam ea conſentiunt, quæ videbimus infra Numero 64. Propter hæc igitur præſertim argumenta ego ſanè adduci non poſſum, vt Gualuaneo (qui poſt ducentos quinquaginta & ampliùs ab Ariberti obitu Annos floruit) credam, quod ſine vllo Auctore affirmabat, Archiepiſcopum illum noſtrum habuiſſe vxorem D illam; quà ſcilicet interim vti poſſet ita, quemadmodùm tunc temporis factitabant inferiores huius Eccleſiæ Miniſtri.

LII. Sed agamus liberaliter cum Gualuaneo: & illi hoc ipſum etiam credamus. Numquid ergo propterea credendus etiam erit Aribertus vxorem verè habuiſſe; quia Sanctus Ambroſius nubendi facultatem ipſi conceſſerit; & in hunc præcipuè finem ſuis etiam Succeſſoribus benedixerit? Aribertus profectò per

eadem tempora Simoniam quoque exercebat ( vt ex ijs etiam A
colligi poteſt, quæ ſuperiore Capite 10. Num. 30. recitauimus)
neque tamen eius exercendæ facultatem à Sancto Ambroſio
acceperat. Quidni ergo ſimiliter à nobis credatur ne nubendi
quidem facultatem ab ipſo accepiſſe? ſicut ne ab ipſo quidem reliquus acceperat Clerus; vt nos hactenùs contendimus. In hac enim corruptela Clerus noſter Clerum potiùs videtur imitatus Græcum, Conſtantinopolitanæ illi Synodo Erraticæ applaudentem: fortaſsè verò etiam maiores in ipſa & liberiores progreſſus fecit ea fretus lege, quæ Libro ſeptimo Capitulorum Karoli Magni & Ludouici Pij Imperatorum Capitulo B
353. quod eſt *De Regulis Clericorum*, pagina 1116. continetur, & his expreſſa verbis: *Clerici caſtimoniam quoque inuiolati corporis perpetuò conſeruare ſtudeant: aut certè vnius Matrimonij vinculo fœderentur*. Septem verò ij Libri hunc in modum ſunt inſcripti: *Karoli Magni & Ludouici Pij, Chriſtianiſſimorum Regum & Imperatorum, Capitula, ſiue Leges Eccleſiaſticæ & Ciuiles, ab Anſegiſo Abbate & Benedicto Leuita collectæ, Libri ſeptem*. Sic etiam ijdem Codice continentur Legum Antiquarum, Francofurti edito apud Iohannem & Andream Marnios & Conſortes, Anno 1613. Certè autem Imperatoris C
etiam Ludouici tempore ( quod fuit ab Anno Chriſti Octingenteſimo decimo-quarto vſque ad quadrageſimum; ſicut & Caroli Magni fuerat ab Anno Octingenteſimo vſque ad decimum-quartum) Simoniaca labes Eccleſiam fœdabat Mediolanenſem; ſicuti præſentis Libri Quarti Capite tertio iam vidimus Numero quinto. Eodem verò illud etiam profectò pertinet, quód Tomo Secundo Conciliorum Antiquorum Galliæ, à Iacobo Sirmondo Pariſijs Anno Domini 1629. editorum, legitur pagina 431. Ibi enim poſt Synodum Aquiſgranenſem, D
Anno Chriſti Octingenteſimo decimo-ſexto, Ludouici Pij Imperatoris Tertio, Indictione decima celebratam, recitantur Capitula ſubinde in eiuſdem Imperatoris Palatio condita: & inter hæc decimum-ſextum, *De Epiſcopis Italiæ* inſcriptum, & his conceptum verbis: *De Epiſcopis verò in Longobardia conſtitutis, qui ab his, quos ordinabant, ſacramenta & munera contra Diuinam & Canonicam auctoritatem accipere vel exigere ſoliti erant, modis omnibus inhibitum eſt, ne vlteriùs fiat; quia*

*iuxta*

*iuxta Sacros Canones vterque à gradu proprio, talia facientes;* A
*decidere debent.*

LIII. Vt autem ab examinandis eiuſmodi Scriptorum teſtimonijs nos
expediamus, hoc denique ſolum in Bernardino Corio ſupereſt
obſeruandum: quemadmodùm ille ſcilicet nullatenùs diſtin-
xiſſe videatur inter habere ac ducere vxorem. Quocirca pri-
mùm explicans, quid Ambroſius conceſſerit, his explicabat
verbis: *Conceſſe loro, che poteſſero hauere moglie vergine.* Sub-
inde verò explicans, quemadmodùm illis hoc ipſum poſtea
vetitum fuerit, hunc in modum explicuit: *Fù ordinato, che
alcun Sacerdote, ò Cherico, non toglieſſe moglie.* Hinc igitur B
etiam ille Corij Cenſor, quo ſuggerente Sacra Indicis Congre-
gatio decreuit, hunc ipſum Corij locum emendari oportere,
non ineptè his itidem verbis vſùs eſt (qualia nos in eiuſdem
Congregationis Epiſtola recitabamus Numero 10.) *Aſſerit,
Sanctum Ambroſium permiſiſſe Sacerdotibus vxorem ducere.*

LIV. Hac tamen rursùs data occaſione, prætereundum ſilentio no-
bis non eſt, quemadmodùm Sacris Miniſtris ab Eccleſia Catho-
lica Romana non tam vxorem ducere, quàm vxorem ad officia
cõiugij habere, vetitum ſit; vt ſapienter obſeruauit Dominicus
Sotus Libro Septimo de Iuſtitia, Quæſtione 6. Articulo 2. Bel- C
larminus Libro Primo de Clericis, Capite 18. Gregorius de
Valentia Libro de Cœlibatu, Capite 2. & alij. Eiuſdem Gre-
gorij verba ſunt hæc: *Vt optimè attigit Sotus* (loco illo nuper
indicato) *oportet prohibitum eſſe, ne quis poſt Ordinationem
vxorem ducat; quia prohibitum eſt, ne quis poſt Ordinationem
Matrimonio vtatur. Non enim his, qui ſunt in Sacris Ordini-
bus, Matrimonio interdicitur propter ipſum actum contrahendi,
& ducendi vxorem (ſiquidem is actus ſanctus & religioſus eſt,
ac honeſtiſſimus, & conſtituens vnum quoddam Sacramentum)
ſed propter vſum certè ipſius Matrimonij, qui videtur minùs di-* D
*gnitatem atque officium Hominum Sacratorum decere; ſicut poſ-
tea oſtendemus.* Et in eamdem ſententiam Bellarminus hæc
item: *Matrimonium non pugnat cum Ordinibus ratione eſſen-
tiæ ſua, ſed ratione officij ſeu exercitij coniugalis. Si enim Deus
prohibuiſſet Sacerdotibus Coniugium; certè prohibuiſſet propter actum
coniugalem, qui hominem reddit totum carnalem, & ineptum ad
Diuina; necnon propter ſollicitudinem domus & liberorum, quæ*

*plurimas parit diſtractiones; non autem propter ſolum Sacramentum Coniugij, vel propter contractum Matrimonij, qui celebratur ſolo conſenſu animorum, & eſt res breuiſſima & honeſtiſſima.* A

LV. Sed tempus iam eſt, vt ab eiuſmodi criminatione, in eos Hiſtoriographos collecta, tranſitum faciamus lætiorem ad nonnullos alios cauſæ noſtræ fautores: & ad Sanctos præſertim Hieronymum & Auguſtinum, Sancto Ambroſio contemporaneos, & in eius Libris verſatiſſimos, necnon etiam Eccleſiaſticarum Mediolani Rerum peritos: à quibus nemo propterea prudens crediderit ignorari potuiſſe, Sanctuſnè Ambroſius legem illam ſanxerit pro Græcorum vel noſtratum Sacerdotum Matrimonijs, & an ea ſiue Mediolani ſiue in Græcia deinceps ab ipſis vſitarentur. B

LVI. Vide autem, quàm multa nobis Hieronymus ſuppeditet in Epiſtola 50. ad Pammachium, ſiue in Apologia pro ſuis aduersùs Iouinianum Libris. Non procul enim ab initio hæc in primis habet: *Si ſæculi homines indignantur, in minori gradu ſe eſſe, quàm Virgines; miror, Clericos & Monachos & Continentes id non laudare, quod faciunt. Caſtrant ſe ab vxoribus ſuis, vt imitentur Virginum caſtitatem: & id ipſum volunt eſſe Maritatas, quod Virgines? Aut iungantur itaque vxoribus ſuis, quibus renunciauerant: aut, ſi ſe abſtinuerint, etiam tacentes confitebuntur, melius eſſe, quod Nuptiarum operi prætulerunt.* Et aliquantò pòſt: *Ecce perſpicuè Nuptias diximus concedi in Euangelio; ſed tamen eaſdem, in ſuo officio permanentes, præmia caſtitatis capere non poſſe. Quod ſi indignè accipiunt Mariti; non mihi iraſcantur, ſed Scripturis Sanctis, immò Epiſcopis, & Presbyteris, & Diaconis, & vniuerſo Choro Sacerdotali & Leuitico; qui ſe nouerunt hoſtias offerre non poſſe, ſi operi ſeruiant coniugali.* Denique verò propè finem Epiſtolæ: *Apoſtoli vel virgines, vel poſt nuptias continentes: Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè poſt Sacerdotium in æternum pudici.* Hæc in ea Epiſtola Hieronymus. C D

LVII. Ecce verò nobis etiam, quid ille rursùs propè initium Libri aduersùs Vigilantium: *Prô nefas* (exclamat ille, de Vigilantio loquens) *Epiſcopos ſui ſceleris dicitur habere conſortes; ſi tamen Epiſcopi nominandi ſunt, qui non ordinant Diaconos, niſi*

prius

*priùs vxores duxerint ; nulli cælibi credentes pudicitiam ; immò* A
*oſtendentes , quàm ſanctè viuant qui malè de omnibus ſuſpican-*
*tur ; & niſi prægnantes vxores viderint Clericorum , infanteſquè*
*de vuluis matrum vagientes , Chriſti Sacramenta non tribuunt .*
*Quid facient Orientis Eccleſiæ? Quid Ægypti,* ET SEDIS APOS-
TOLICÆ? *Quæ aut virgines Clericos accipiunt,aut continentes :*
*aut, ſi vxores habuerint , mariti eſſe deſiſtunt .* Quem poſtea
locum ſuis illuſtrans Scholijs Marianus Victorius, hæc habe-
bat : *Ex hoc loco patet , Sancti Hieronymi tempore etiam in*
*Oriente cœlibes fuiſse Sacros Eccleſiæ Miniſtros , & non coniu-*
*gatos , vt dicitur : & Græcos poſt id tempus , ſpretis Canonibus,* B
*Nuptias ſacris Miniſterijs miſcuiſſe . Quæ res etiam à Sancto*
*Baſilio aſſeueratur , vt in Epiſtola ad Gregorium* ( ſiue potiùs
Pategorium ) *Hoc ipſum aſſerunt etiam Euſebius Libro Primo*
*de Demonſtratione Euangelica , Maximus in Reſponſis ad Tha-*
*laſſij Quæſtiones , Ephrem Syrus in Epiſtola quadam ad Mona-*
*chum , qui dicebat , melius eſſe nubere , quàm vri : item Epi-*
*phanius contra Catharos : & alij .* Hactenùs Marianus Vic-
torius.

LVIII. Quid autem vetat,quominùs inter illas Apoſtolicæ Sedis Ec-
cleſias computatam interpretemur etiam eſſe Mediolanen- C
ſem ? ſiue quia hæc ſecundùm Hieronymi ſententiam verè
fuerit ex illis vna ; ſiue ſaltem quia hæc ſimul cum Antiſtite
ſuo Ambroſio in re tam graui, tamquè ſolemnibus firmata de-
cretis, nullatenùs à Sedis Apoſtolicæ iudicio ac mandatis diſſen-
ſerit. Quanti profectò Ambroſius eam Sedem fecerit , vel ex
eo loco apertiſſimè dignoſcitur, quem hoc ipſo Libro Quarto
innuebat Petrus Damiani Capite 10. Numero 13. & Arnul-
phus Capite 17. Numero 4. quiquè continetur eiuſdem Am-
broſij Libro Tertio de Sacramentis Capite 1. De conſuetudine
ibi diſſerebat lauandi Baptizatorum pedes , Mediolani com- D
muniter eo tempore vſitata ; cùm inquit : *Non ignoramus ,*
*quòd Eccleſia Romana hanc conſuetudinem non habeat,* CVIVS
TYPVM IN OMNIBVS SEQVIMVR ET FORMAM.
*Hanc tamen conſuetudinem non habet, vt pedes lauet . Vide*
*ergo , ne fortè propter multitudinem declinarit . Sunt tamen qui*
*dicant , & excuſare conentur ; quia hoc non in Myſterio facien-*
*dum eſt ; non in Baptiſmate , non in Regeneratione ; ſed quaſi*

*hoſpiti*

*hoſpiti pedes lauandi ſint. Aliud eſt humilitatis, aliud ſanctificationis. Denique audi, quia myſterium eſt & ſanctificatio. Niſi lauero tibi pedes; non habebis mecum partem. Hoc ideò dico, non quòd alios reprehendam, ſed mea officia ipſe commendem.* IN OMNIBVS CVPIO SEQVI ECCLESIAM ROMANAM; *ſed tamen & nos homines ſenſum habemus. Ideò, quod alibi rectiùs ſeruatur, & nos rectè cuſtodimus.* Hactenùs Ambroſius. Quem quidem locum examinans Baronius in eiuſdem Sancti Ambroſij Vita, ad Annum Chriſti Trecenteſimum octuageſimum-quartum, in hæc verba diſſeruit: *Caterùm, vt aliquid obiter dicamus de eo, quod ſpectat ad ieiunium Sabbati, & alios aliquos ritus Eccleſiaſticos, etſi diuerſo modo ab vſu Romana Eccleſia eos Ambroſius obſeruauit; id quidem non eo animo fecit, quaſi, ſuos tantùm probans, illos deſpiceret. Audi, quid ipſe profiteatur, cùm de ea re agens* (Libro Tertio de Sacramentis Capite 1.) *hac ait: Non ignoramus, quòd Eccleſia Romana hanc conſuetudinem non habeat (lauandi ſcilicet pedes nuper baptizatis.)* CVIVS TYPVM IN OMNIBVS SEQVIMVR ET FORMAM. Et paulò pòſt: IN OMNIBVS CVPIO SEQVI ECCLESIAM ROMANAM *&c. Eiuſmodi enim rituum varietates, modò Catholica Fidei & charitatis vnitas retineatur, & Sancta Romana Eccleſia, Apoſtolica Sedes, vt Mater & Magiſtra omnium Eccleſiarum cognoſcatur, nihil impediunt, quominùs omnes ſimus in Chriſto.* A B C

LIX. Certè autem, vice in contrarium verſa, Sacrum Noui Teſtamenti Miniſterium non erat eiuſmodi, vt Ambroſio videri poſſet alibi rectiùs, quàm in Eccleſia Romana, ſeruatum, vtque propterea rectè ab ipſo aliter, quàm in illa, cuſtodiri poſſet. Alibi enim (& apud paucos ſanè, vt iam vidimus) illud vnà cum Matrimonij vſu ſeruabatur, ſed contra Sacros Apoſtolorum & Nicæni Concilij Canones, contra ſingularem illam tanti Miniſterij præſtantiam & ſanctitatem, contra communem Sanctorum Patrum conſenſum, ac denique contra ipſius Eccleſiæ Romanæ Sediſquè Apoſtolicæ mandatum. A qua quidem Eccleſia & Sede quicunque diſſentit, *non eſt re vera Catholicus, quemadmodum Beatus ait Ambroſius:* vt Arnulphus etiam nobis ſuperiùs profitebatur Capite 17. Nume- D

ro

ro 6. & Capite 57. Numero 12. Quibus vtrique verbis Arnul- A
phus Orationem indicabat Ambroſij de Obitu Satyri fratris
ſui: qua Oratione, ſi non ad verbum, certè tamen quoad rei
veritatem axioma illud expreſſum eſt. Illic enim de Satyro,
poſteaquàm diuinitùs è maritimo naufragio incolumis enataſſet in litus, hæc habemus, Ambroſij eiuſdem ore commendata: *Aduocauit ad ſe Epiſcopum, nec vllam veram putauit
niſi veræ fidei gratiam: percunctatuſquè ex eo eſt*, VTRVMNAM CVM EPISCOPIS CATHOLICIS, HOC EST
CVM ROMANA ECCLESIA, CONVENIRET. *Et fortè
ad id locorum in Schiſmate Regionis illius Eccleſia erat. Lucifer enim ſe à noſtra tunc temporis communione diuiſerat: &
quamquam pro Fide exulaſſet, & fidei ſuæ reliquiſſet hæredes;
non putauit tamen* (Satyrus, & cum eo Ambroſius) *Fidem eſſe
in Schiſmate. Nam etſi fidem erga Deum tenerent; tamen erga Dei Eccleſiam non tenebant; cuius patiebantur velut quoſdam artus diuidi, & membra lacerari. Etenim cùm propter
Eccleſiam Chriſtus paſſus ſit, & Chriſti Corpus Eccleſia ſit;
non videtur ab his exhiberi Chriſto fides, à quibus euacuatur
eius Paſſio, Corpuſquè diſtrahitur*. Et hæc quidem in præſenti
ſatis ſint è propoſitis Sanctorum Hieronymi ſimul & Ambroſij C
teſtimonijs.

LX. Quod proximè ſubſequitur Sancti Auguſtini, hac in Vrbe ab ipſomet Ambroſio baptizati, teſtimonium, ex eius Secundo de
Adulterinis Coniugijs Libro, Capite 20 depromptum eſt.
*Iſtos* (inquit) *qui virilem excellentiam non putant niſi peccandi
licentiam, quando terremus, ne adulterinis coniugijs hærendo pereant in æternum, ſolemus eis proponere etiam* CONTINENTIAM CLERICORVM, *qui plerumque ad eamdem ſarcinam
ſubeundam capiuntur inuiti, eamquè ſuſceptam vſque ad debitum finem, Domino adiuuante, perducunt. Dicimus ergo eis:* D
*Quid, ſi & vos ad hoc ſubeundum Populorum violentia caperemini? Nonne ſuſceptum caſtè cuſtodiretis officium, repentè conuerſi
ad impetrandas vires à Domino, de quibus nunquàm antea cogitaſtis? Sed illos, inquiunt, honor plurimùm conſolatur.
Reſpondemus: Et vos timor amplior moderetur. Si enim hoc
multi Dei Miniſtri, repentè atque inopinanter impoſitum ſuſceperunt, ſperantes, ſe illuſtriùs in Chriſti hæreditate fulgere; quan-*

*tò*

*tò magis vos adulteria cauendo viuere continenter debetis, metuentes, non in Regno Dei minùs lucere, ſed in Gehennæ ignibus ardere? Hæc atque huiuſmodi eis, vt poſſumus, dicimus, qui quoquo modo à ſe diſcedentibus, vel propter adulterium dimiſſis coniugibus ſuis, alias volunt ducere; & cùm prohibentur, infirmitatem nobis carnis opponunt.* En igitur, quemadmodùm Auguſtini tempore in Eccleſia Latina Clerici communiter continentiam profiterentur: & *ſperantes, ſe illuſtriùs in Chriſti hæreditate fulgere.* Sicut enim caſtè viuendo hic in terris altiorem, quàm coniugati, profitebantur perfectionis gradum; ſic etiam in Regno Cælorum præcellentiorem beatitudinis gradum expectare iure merito poterant. A B

LXI. Supra Quadringenteſimum autem Chriſti Annum trigeſimo Auguſtinus ad Superos abijt; cùm alioqui Hieronymus eiuſdem Sæculi vigeſimo, Ambroſius autem ſuperioris Sæculi nonageſimo-ſeptimo præceſſiſſent.

LXII. Quò certiùs autem idipſum pro Eccleſia etiam conſtet Orientali; ecce nobis alios & idoneos per eadem tempora teſtes; ac Sanctum in primis Gregorium, fidei conuerſationis integritatis & ſapientiæ merito fratrem Sancto Baſilio digniſſimum, (ſicut à Vincentio Lirinenſi celebratur in Libro Aduerſùs Hæreſes) & è coniugato Epiſcopum Nyſſenum: qui Synodo illi affuerat Conſtantinopolitanæ, quam Numero 27. celebratam dicebamus Anno Trecenteſimo octuageſimo-primo, quique ſuperſtes etiam erat nonageſimo-quarto. Hic nimirùm in Libro de Virginitate, Capite vltimo, ſic inquit: *Quomodo Dei Sacerdotio fungeris, qui ad hoc ipſum, vt munus offerres, vnctus es? Quomodo hæc ipſa Deo offeres, qui legi non obtemperas prohibenti, ne Sacra impurus faciat? Ac ſi Deum tibi apparere expetis; quid cauſa eſt, cur Moſem non audias, qui Populo edicit, vt à nuptijs purus ſit, qui Dei aſpectum comprehendat?* C D

LXIII. Sanctus etiam Ioannes Chryſoſtomus ad Archiepiſcopalem Conſtantinopoleos Cathedram eodem ipſo aſſumptus eſt Anno, quo Sanctus Ambroſius ad beatam in Cælis Manſionem: atque ad Annum vſque Quadringenteſimum-ſeptimum ſuperuixit. Homilia verò ſecunda de Patientia Iob hæc ille nobis ſcripta reliquit: *Dixit* (Apoſtolus Paulus) *vnius vxoris virum; non ea ratione, vt id nunc in Eccleſia obſeruetur. Oportet*

*tet enim omni prorſus caſtitate Sacerdotem ornatum eſſe .* A

LXIV. Ad eamdem verò pro Cleri Orientalis Cœlibatu ſententiam pertinet Concilium quoque illud, quod idem Chryſoſtomus Conſtantinopolitana in Vrbe celebrauit Anno, vt benè computat Baronius, Quadringenteſimo: & de quo Palladius Diaconus in Dialogo de Vita eiuſdem Sancti Chryſoſtomi abundè ſcripſit Capite 13. & 14. Inter alia multa ſic ille: *Tertiadecima Diſtributione (* ſiue Indictione, vt benè fuit à Baronio etiam obſeruatum *) venerunt Conſtantinopolim Aſiæ Epiſcopi, neceſſitatum Eccleſiaſticarum gratia: & nobiſcum (* quippe Palladius etiam ipſe ibi tunc aderat *) remorati ſunt, præſentibus &* B *alijs Epiſcopis, ex Scythia quidem Theotimo, ex Thracia verò Ammone Ægyptio, & ex Galatia Arabiano, Metropolitis omnibus, ac Senibus, qui viginti duorum Epiſcoporum implebant numerum. Conuenientibus autem omnibus, & communicantibus, obſeruato Euſebius quidam Valentinopolitanus Epiſcopus congregato Concilio, vna ſabbati adſtitit, Libelloſquè tradidit Synodo, præpoſito vt decuit Ioannis nomine, contra Antoninum Epiſcopum Epheſi, ſeptem Capitula continentes.* Hæc igitur Capitula Palladius ex ordine ſingillatim recitat, & inter illa ſextum, his expreſſum verbis: QVOD, CVM VXORI C PROPRIÆ ABRENVNCIASSET, RVRSVS ILLI CONGRESSVS EST, FILIOSQVE EX EA PROCREAVIT. Cumquè deinceps alia narraſſet nonnulla; ſic etiam adiecit: *Iubent itaque, Libellum recitari: lectaquè ſunt memorata Capitula. Poſtea dicunt Ioanni Seniores Epiſcopi:* ETSI VNVMQVODQVE CAPITVLVM PER SE IMPIVM EST, ET VNDIQVE SACRIS LEGIBVS INTERDICTVM; *ne tamen videamur in his, quæ ſuggeſta ſunt nobis, omne ſtudium ponere; ab eo, quod eſt horribilius dictu, fiat inquiſitionis initium.* *Si enim illud inuentum fuerit verum; nulla de Capitulis reliquis* D *erit controuerſia; cùm Capituli illius radix omnem præ ſe iniquitatis ſpeciem ferat.* Hæc ibi Palladius. E quibus itidem aptè opportuneque Baronius ad eumdem Annum ſic monebat: *Vnde & certior fias eorum, quæ ſuperiùs inculcata ſunt, etiam in Orientali Eccleſia coniugatos electos Epiſcopos, nonniſi vxore dimiſſa ordinari ſolitos, nec ampliùs ea vti.* Qua de re ſeparatim ego quoque diſſerebam Numero 51. & 52.

LXV. Poſtremum iam tandem hoc eſt, vt ſententiam noſtram, præſenti Capite comprobatam, eo etiam confirmemus Decreto Pontificio, cuius è Sancto Ennodio Ticinenſi Epiſcopo mentionem faciebamus Capite 20. in Sancti Laurentij Littæ Archiepiſcopi noſtri Vita, quam typis Anno Domini 1653. edidimus. Eiuſmodi Decretum auctoritate Sancti Papæ Symmachi conditum fuit Anno Quingenteſimo ſecundo, & ab Archiepiſcopo illo noſtro promulgatum illicò fuit Epiſcopis ſuis Prouincialibus: eoquè tam ipſi quàm Presbyteri & Diaconi iubebantur habere contubernales, tamquàm pudicitiæ ſuæ teſtes: quam vtique pudicitiam Clerus etiam Mediolanenſis per ea tempora profitebatur, iam inde ſcilicet è priſcis & Sancti Ambroſij temporibus perenniter conſeruatam. Attentè igitur, ſi placet, Caput illud legatur, ſicut & Cardinalis Baronij Annales ad Annum illum Chriſti 502. Articulo 32. & aliquot alijs ſubſequentibus. Nos interim ex eo Decreto hæc tantùm recitamus: *Nullum ergo Sacerdotum*, ANTIQVIS ET MODERNIS LEGIBVS OBSEQVENTEM, *nullumquè Leuitarum ſine benè probata volumus in quocumque loci manere perſona: vel, quem ſubſtantiæ exilitas non permiſerit habere conſortem, ipſe concellaneus fiat alterius. Publicum ſit apud Religioſos omne quod geritur: clandeſtina repudietur obſcuritas: multos habeat actuum conſcios, qui Deo debet innocentiam. Videant æmuli; quia, qui teſtes adhibet, vult probari: malè deprehenſa iudicetur conuerſatio, quæ non optat agnoſci*. Et paulò pòſt: *Vnde, manſuro cum Dei & Redemptoris Noſtri ordinatione, Conſtituto ſancimus*, APOSTOLICÆ SEDIS BEATI PETRI VEL PRÆSVLIS EIVS AVCTORITATE PAPÆ SVBNIXI, *quæ vitia deſiderat radicitùs amputari, vt nullus Religioſorum de memoratis Ordinibus aliter, quàm præfati ſumus, audeat conuerſari: vel quicumque præſumpſerint, cum amiſſione pudoris honorum damna ſuſtineant. Quomodo grande malum eſt, dicatam Deo perſonam ſalutaribus monitis non parere*. NVLLVS SECVM EXTRANEAS HABEAT MVLIERES, PRÆTER PERSONAS CANONIBVS DESIGNATAS; *ne agendo taliter, etiamſi vita ſit innocens, damnum opinionis incurrat*. Hæc ex eo Decreto. Cuius quidem poſtrema clauſula, perſpicuum eſt, quàm benè congruat cum

eo

eo Nicæni Concilij Canone, quem Numero 39. recitabamus, A
quamquè aptè huc etiam illud pertineat Sancti Gregorij Papæ
Magni pronunciatum Libro ſeptimo, Epiſtola 39. ad Romanum Defenſorem, his verbis: *Peruenit ad nos, quoſdam Epiſcoporum, ſub prætextu quaſi ſolatij, in vna domo cum mulieribus conuerſari. Et ideò, ne per hoc aut ſubſannatoribus iuſtæ obtrectationis detur occaſio, aut facilem antiquus humani generis Inimicus materiam deceptionis aſſumat, huius tibi ſerie præceptionis iniungimus, vt ſtrenuum te ſtudeas & ſolicitum exhibere. Et ſi qui Epiſcoporum, quos commiſſi tibi Patrimonij finis includit, cum mulieribus degunt; hoc omninò compeſcas; & de cæ-* B
*tero eas illic habitare nullo modo patiaris;* EXCEPTIS EIS, QVAS SACRORVM CANONVM CENSVRA PERMITTIT, ID EST, MATRE, AMITA, GERMANA ET ALIIS HVIVSMODI, DE QVIBVS PRAVA NON POSSIT ESSE SVSPICIO. *Melius tamen faciunt, ſi etiam à talium ſe cohabitatione contineant. Nam legitur, quòd Beatus Auguſtinus nec cum ſorore ſua habitare conſenſerit, dicens: Quæ cum ſorore mea ſunt, ſorores meæ non ſunt. Docti ergo Viri cautela, magna nobis eſſe debet inſtructio. Nam incautæ præſumptionis eſt, quod fortis pauet, minùs validum non timere.* C
*Sapienter enim illicita ſuperat, qui didicerit etiam non vti conceſſis.* Hæc Sanctus Gregorius ille Papa, verè Magnus, & Eccleſiæ Doctor Eximius: hiſquè nos etiam præſens Caput lætiſiam tandem concludimus.

## *CAPVT LXXXXIII.*

*De San-Dionyſiana Mediolani Eccleſia & Monaſterio, vbi Sanctorum Herlembaldi & Arialdi Corpora honorificè tandem ſepulta fuerunt.* D

I. NOſtratum Scriptorum communis eſt opinio, eam Eccleſiam olim à Sancto Ambroſio conditam & Sanctis omnibus Patriarchis & Confeſſoribus nuncupatam fuiſſe; ſed è Corpore tamen poſtea Sancti Antiſtitis noſtri Dionyſij, ex Armenia per Sanctum Aurelium Epiſ-

copum Redicianenſem huc allato, & in eadem illa Eccleſia per ipſummet Sanctum Ambroſium condito, nomen accepiſſe San-Dionyſianæ, illudquè ad præſentem vſque diem perenniter conſeruaſſe. Qua de re conſuli poſſunt Gualuaneus Flamma in Bibliothecæ Ambroſianæ Chronico Maiori Capite 399. aliter 400. Donatus Boſſius in Chronico Mediolanenſi ad Annum Chriſti 390. Bernardinus Corius in Hiſtoria pariter Mediolanenſi pagina 13. ſecundùm Venetam Anni 1565. editionem: Liber ille, typis Anno 1515. impreſſus, quem ſuperioris Libri Primi Capite 10. proferebam, qua ſcilicet in eius parte agitur de Ambroſiana Baſilica: Paulus Morigia & Ioannes Baptiſta Villa in locis eodem ſuperiore Libro Primo à me indicatis Capite 21. & 26. Breuiarium quoque Ambroſianum, Anno 1649. recuſum, in Sanctis Dionyſio & Aurelio Epiſcopis, die vigeſima-quinta Maij, & nona Nouembris. Legatur verò etiam Carolus à Baſilica Petri, cùm de Baſilica ſcriberet Metropolitana in Libro, quem Anno 1576. typis edidit, inſcriptum *Libro d'alcune Chieſe di Milano*, cumquè tunc Canonicus eſſet eiuſdem Metropolitanæ Ordinarius, & Ioannis Franciſci retineret nomen, in Baptiſmate ſuſceptum; quod poſtea, factus Clericus Regularis, in Caroli nomen commutauit: & rurſus in Hiſtoria Mediolanenſi, quam non vltra Sanctum Dionyſium, inter Antiſtites noſtros Vndecimum, proſequutus eſt, & in cuius fine prolixus etiam fuit in recitandis Ioannis Trithemij hac de re verbis, ex eius Chronico Hirſaugienſi deſumptis. Eidem itaque opinioni ego quoque adhærebam in Ambroſianæ Baſilicæ ac Monaſterij Monumentis Numero 1. & in Sancti Laurentij Littæ Archiepiſcopi Noſtri Vita, Capite ac Numero 33. neque nunc aliter ſentio.

II. Eodem verò teſte Ioanne Trithemio (& è veteri quidem Hiſtoria Conuerſationis Sancti Aurelij) Dionyſius ad illud in Armenia exilium relegatus ac miſſus fuit Anno Chriſti ſupra Trecenteſimum ſexageſimo-primo: ibidemquè poſtea mortuus eſt Anno Septuageſimo-nono: ac denique Mediolanum inde allatus eſt octuageſimo-ſecundo. Hinc itaque Trithemius in eodem illo Chronico ita etiam ſcribebat: *Hæc autem relegatio Sanctiſſimi Viri Dionyſij facta eſt ab impijs Arianæ factionis Epiſcopis ſub Conſtantino, Conſtantio, & Conſtante, Imperatoribus, Anno*

*Domini*

*Domini noſtri Ieſu Chriſti Trecenteſimo ſexageſimo-primo , Libe-* A
*rio Papa Romanæ Eccleſia præſidente , qui & ipſe eodem Anno*
*in exilium mittitur .* Et aliquanto pòſt : *Quamuis autem Bea-*
*tus Dionyſius ſub cuſtodia teneretur , ſicut relegati ſeruari eo tem-*
*pore ſolebant ; patuit nihilominùs ad eum , quandocumque vole-*
*bat , Sancto Aurelio acceſſus : tantaquè ſibi inuicem dilectione*
*coniuncti ſunt , vt ſimul & cohabitare viui , & conſepeliri mor-*
*tui condixiſſent . Verùm poſt aliquot Annos , cùm felix Diony-*
*ſius mortem ſibi inſtantem cerneret , Beatum Aurelium his verbis*
*alloquitur , dicens : Scio , frater chariſſime , finem mihi adeſſe in*
*hoc Mundo viuendi : tempuſquè reſolutionis meæ iam inſtat : cur-* B
*ſum conſummaui , fidem ſeruaui : reliquum in præſenti ſæculo eſt*
*vnum , quod à te peto ; vt , cùm mortuus fuero , quamprimùm*
*potes , Corpus meum ad Eccleſiam Mediolanenſem referas ; vt ;*
*quæ me viuum habere non potuit , mortuum ſaltem habere merea-*
*tur . Neque longi itineris incommodo terrearis . Dominus erit*
*tecum , merces tua magna nimis . Cui Sanctus Aurelius , ni-*
*mia eius dilectione & amore deuinctus , conſenſit , ſequè rogata*
*facturum promiſit . Itaque Sanctus Chriſti Confeſſor , immò &*
*Martyr , Dionyſius , conſummato viuendi ordine , moritur octa-*
*uo Calendas Iunij , Anno Domini Trecenteſimo ſeptuageſimo-no-* C
*no .* Et rursùs, paucis interpoſitis (quæ tamen ego poſtea reci-
tabo) ſic etiam ille deinceps : *Sanctus itaque Aurelius , virtu-*
*tum & miraculorum gloria inſignis , tum vt laudes hominum ex*
*his naſcentes declinaret , tum vt defuncto ſatisfaceret Amico , poſt*
*paucos Annos* ( nempe duos, vt infra conſtabit ) *Reliquias Bea-*
*ti Dionyſij , arte deſiccatas , naui impoſuit ; & , Ponto feliciter*
*tranſmiſſo , Mediolanenſibus muris* ( videlicet ijs exterioribus ,
quibus tunc ſuburbia cingebantur ) *poſt longi ſpatium itineris ,*
*Sancto Ambroſio Epiſcopo cum omni Clero & Populo in eius oc-*
*curſum extra Vrbem properante , glorioſus inuexit .* Talia Tri- D
themius. E quibus quidem non exigui momenti , nec vllate-
nùs à nobis diſſimulanda oboritur quæſtio ; Vtrùm ſcilicet
Sanctus etiam Baſilius Magnus , Cæſareæ in Cappadocia Epiſ-
copus (quem præcedentis Capitis Numero 39. vnà cum Baro-
nio aſſerebamus obijſſe Anno Trecenteſimo ſeptuageſimo-oc-
tauo, Calendis Ianuarij ; & de quo nobis adhuc non conſtat
oppoſitum , ſiue tempus aptè poſterius ) re vera curauerit , vt
Sancti

vt Sancti Dionyſij Corpus Mediolanum afferretur; ſicut ab Eccleſia item Romana & Ambroſiana non negatur, immò potiùs affirmatur. A

III. Martyrologium quidem Romanum vigeſima-quinta Maij die ſic habet: *Mediolani Sancti Dionyſij Epiſcopi: qui ab Imperatore Conſtantio Ariano in Cappadociam pro Fide Catholica relegatus, ibidem propiore Martyribus titulo ſpiritum Deo reddidit. Eius Sacrum Corpus ab Aurelio Epiſcopo Mediolanum tranſmiſſum eſt ad Beatum Ambroſium Epiſcopum: cui piæ actioni officium quoque Sancti Baſilij Magni acceſſiſſe traditur.* Ad quæ verba Baronius poſtea hæc etiam de Sancto ſubnotat Dionyſio: *Recitat eius res geſtas Mombritius Tomo Primo Vitæ Sanctorum* (è folio nempe 230.) *De eius Tranſlatione ex Cappadocia Mediolanum antiqua. Mediolanenſis Eccleſiæ Monumenta à Galeſinio expurgata atque illuſtrata, teſtantur.* Quænam tamen Monumenta ſint illa, ego ſanè penitùs adhuc ignoro. B

IV. Galeſinius vtique in ſuo pariter Martyrologio Romano ad vigeſimam-quintam Maij diem ſic etiam tradebat: *Mediolani, Sancti Dionyſij, Epiſcopi & Confeſſoris. Hic, excitata Hæreſis Arianæ furoribus perſecutione, vt Heros inuictus, nunquam deſtitit pro Chriſti gloria proquè Gregis commiſſi ſalute dimicare: cumque in perpetua Catholici ſtudij conſtantia permaneret; animo mirandum in modum confirmato; in Cappadociam Prouinciam relegatus, exilium omnemquè vitæ cruciatum pertulit ſummo Chriſtianæ pietatis robore; ſicquè ibi titulo Martyribus propiore ſpiritum Deo reddidit. Cuius Sacrum Corpus Beatus Baſilius Epiſcopus Mediolanum mitti curauit: illudquè Sanctus Ambroſius ſacro & inſigni loco recondidit.* Dehinc verò in ſuis ad eamdem diem atque ad id, quod de Sancto Baſilio addiderat, Notationibus id obſeruat: *Plerique tamen ſunt, qui, non Baſilij, ſed Aurelij cura, Sancti Dionyſij Corpus Mediolanum translatum eſſe arbitrentur. Sed Vſuardus, Beda, & Martyrologij Cremonenſis Monimenta, id à Sancto Baſilio curatum eſſe oſtendunt.* De Sancto autem Aurelio agit ille quidem nona Nouembris die, ſed his tantùm verbis: *Mediolani, Sancti Aurelij, Epiſcopi & Confeſſoris: qui Ridicianæ Vrbis in Armenia Epiſcopus, ad eam Vrbem (* Mediolanum *) profectus, multis miraculis ſanctitate eius diuinitùs teſtificata, quieuit in Domino.* C D

In

A In adiectis autem poſtea Notationibus hæc ille tantummodò: *De quo Mediolani fit. Tu verò vide Trithemium in Chronicis Monaſterij Hirſaugienſis*. Idem verò Galeſinius Archiepiſcoporum quoque noſtrorum compoſuit Tabulam, Mediolanenſis Eccleſiæ Actis incluſam: prætereaquè Maturinas contexuit Ambroſiani Breuiarij Anno 1582. recogniti pariter ac euulgati Lectiones, Sanctorum proprias. In ea ergo Tabula Numero 12. poſteaquàm Sanctum Dionyſium dixiſſet à Conſtantio Imperatore Ariano in vltimam Cappadociam relegatum, & in eo exilio mortuum, ſic etiam adiecit: *Eius Corpus Aurelius, Ridicianæ Vrbis Epiſcopus, Mediolanum ad Sanctum Ambroſium transtulit*. In eius verò Breuiarij Lectione Sancti propria Dionyſij, & vſque in hodiernum diem vſitata, ſic item: *Eius Corpus Mediolanum ad Beatum Ambroſium ab Aurelio Epiſcopo translatum eſt: cui piæ actioni officium quoque Sancti Baſilij Magni acceſſiſſe traditur*. Nunc ad præſentem illam de Sancto Baſilio quæſtionem redeamus. B

V. De illa quidem Trithemius loco ſuperiùs à me indicato, & huc reſeruato, ita ſenſit: *Sunt, qui ſcribunt, eum (* nempe Dionyſium *) relegatum in Cappadociam, ibiquè mortuum: & eius Reliquias per Sanctum Baſilium Epiſcopum Mediolanum ad Diuum Ambroſium fuiſſe remiſſas. Sed hæc opinionum diuerſitas apud eos, qui nouerunt Hiſtorias, facilè poteſt concordari*. Sed hæc ipſius reſponſio, tam indefinita & inexplicata, & aliorum diuinationi reſeruata, mihi ſanè non ſatisfacit eam quoque ob cauſam, quia ipſe interim non videtur quicquam difficultatis ex eo habuiſſe, quòd Sanctus Baſilius mortuus fuerit Anno ante, quàm Sanctus Dionyſius moreretur; ſed ex eo tantùm, quòd Hiſtoricorum aliqui ſcripſerint, Sanctum Dionyſium in Cappadociam relegatum fuiſſe, ibiquè mortuum; alij verò in Armeniam, ibiquè pariter mortuum. C D

VI. Ego igitur, vt vtrique iam tandem ſatisfaciam difficultati, ſic exiſtimo, vt Sanctus Dionyſius ab initio relegatus fuerit in Cappadociam, deinde verò in Armeniam, ibiquè tandem re vera occubuerit, vtquè re vera inde Mediolanum à Sancto Aurelio translatus fuerit; ſed non ſine Sancti opera Baſilij; qui priùs, quàm moreretur, hoc ipſi prouidus in futurum præmaturè pariter ac impensè commendaſſet; atque fortaſſis etiam

præmaturè ſimiliter ab amico ſuo Sancto Ambroſio rogatus; à quo vtique factum eſſe nonnulli tradunt, vt ſacratiſſimum illud Corpus Mediolanum magna cum reuerentia deduceretur. Baronius profectò eius in Cappadociam relegationis initium computauit ab Anno Chriſti Trecenteſimo quinquageſimo-ſexto: eodemquè ſpectant omnes etiam ij Scriptores, à quibus illud reuocatur ad Concilium Mediolanenſe, contra Sanctum Athanaſium ab Arianis congregatum; eo ipſo quippe Anno congregatum. Sic etiam idem Baronius ad eumdem Annum benè probat, Sancto itidem Euſebio, Vercellenſium Epiſcopo, exilij locum pluſquàm ſemel ad grauiorem pœnam mutatum eſſe; vt propterea ne mirum quidem vel inuſitatum videatur, quòd Sancto etiam Dionyſio noſtro illud ſemel mutatum aſſeratur. Ex altera verò parte Trithemius, vt iam vidimus, relegationem illam in Armeniam computabat ex Anno tantùm Trecenteſimo ſexageſimo-primo.

A

B

VII. *Perductum itaque Mediolanum Corpus illud Sacratiſſimum* (verba ſunt eius Chronici, cuius ego teſtimonio vtebar in Sancti Archiepiſcopi noſtri Laurentij Littæ Vita, Capite ac Numero 33.) *Beatus Ambroſius cum magna reuerentia ac ſolemnitate* (NAM TREDECIM EX EIVS SVFFRAGANEIS EPISCOPI INTERFVERVNT) *in Eccleſia Confeſſorum, quæ modò Eccleſia Sancti Dionyſij dicitur, collocauit. Quo in loco, Sancti Viri meritis ſedulè concurrentibus, multa exuperant beneficia*. Quocirca etiam in eiuſdem Sancti Dionyſij Vita, quam Boninus Mombritius Tomo Primo, folio 230. recitauit, hæc habemus: *Ex Dei nutu per Aurelium, vitæ venerabilis Epiſcopum, quamuis exanime, Ciuibus redditum eſt. Et quamuis tanto Viro communicare immeriti fuimus; Patronum Defenſoremquè ſentimus in Æthere. Aduenient itaque Mediolanum, ſumma cum deuotione ſuſceptum & venerabiliter tumulatum eſt. In quo loco, meritis Sancti Viri ſedulè concurrentibus, multa exuperant beneficia: quæ, ad laudem nominis eius, Chriſtus Ieſus, Dominus noſter, meritis Sancti Dionyſij, Fidelibus quotidie præſtat*. Boninus autem ille Mombritius mihi quidem vnus idemquè videtur cum eo, de quo Donatus Boſſius in Chronico Mediolanenſi ad Annum Domini 1424. ſic ſcribebat: *Hoc item Anno Boninus Mombretus, eximius Poeta, Mediolani naſcitur.*

C

D

*naſcitur*. De quo pariter Paulus Morigia, de Nobilitate Mediolani Libro Tertio, Capite XI. *Bonino Mombrino ſcriſſe ſei Libri in Verſi eſſametri della Paſſione di Chriſto, e drizolli à Papa Siſto Quarto*. Idemquè Mombritius binos eiuſmodi Tomos, quibus Sanctorum Vitas ab alijs olim Auctoribus conſcriptas collegerat, typis editos Mediolanenſibus nuncupauit *Magnifico Viro, ſplendidiſſimoquè Equiti Aurato, Domino Cicho Simonetæ, Illuſtriſſimorum & Excellentiſſimorum Mediolani Ducum Secretario*. Quem tamen poſtea idem Boſſius narrat capite truncatum eſſe Anno 1480. Tomi ergo illi iam tum fruebantur Typographiæ beneficio: cùm ea eſſet adhuc adeò infans & rudis, & ſoli attenta neceſſitati, vt neque nomen Impreſſoris, neque tempus ac locum impreſſionis exprimeret, neque folijs ipſis ſuos adijceret numeros, ſed eos calamo poſtea ſuperaddi oporteret. Eiuſdem verò Artis inuentum iam incœperat Anno 1457. ſecundùm eumdem Boſſium his verbis: *Hoc Anno ſalutifera Doctrinarum omnium, imprimendorum Librorum Ars, auctore Ioanne Gutember, Germano, reperta eſt*. A B

VIII. Narrationem ſuam inchoatam proſequitur Trithemius, & in hæc quidem verba, recitatu nobis neceſſaria: *Diuus autem Aurelius (vt breuior ſim) peracto pietatis officio, cùm ad ſuam redire cogitaret Eccleſiam, hortante Ambroſio, cui contradicere nefas ducebat, remanſit; & Mediolanenſes non minus, quàm proprius Pontifex, verbo & exemplo ad amorem Cæleſtis Patriæ docere & inflammare curauit. Cumquè in orationibus quotidianis ſuam peregrinationem Domino dirigendam commendaret; poſt reuolutionem Anni, quo Mediolanum venerat, apparuit ei Sanctus Dionyſius, dicens: Exauditæ ſunt orationes tuæ apud Deum, frater Aureli. Ecce, Domino te ad æternæ felicitatis gaudia vocante, morieris, & iuxta Corpuſculi mei Sacellum optatam recipies ſepulturam. Confeſtim febris inuaſit Sanctum Aurelium. Qui, diſpoſito Teſtamento, valedicens fratribus, inter manus Diui Ambroſij Epiſcopi Mediolanenſis commendatum Domino ſpiritum emiſit octauo Calendas Iunij (eodem videlicet die, quo & Sanctus Dionyſius ante triennium in Armenia diſceſſerat) Anno Domini Trecenteſimo octuageſimo-tertio, Gratiano cum Valentiniano imperante. Sepultus verò eſt in proprio* C D

*Sarcophago ad latus Sancti Dionyſij in Eccleſia Mediolanenſi.* A *Cuius exequias Beatiſſimus Pontifex Ambroſius cum multis lacbrymis proſecutus, illum Sermonem inſignem fecit ad Populum, qui incipit: Amiſimus Fratrem & Paſtorem dulciſſimum: immò præmiſimus Aduocatum: in quo laudes & præconia ipſius Sancti Præſulis Aurelij magnis eloquentiæ viribus effert in Cælum.* Nobis tamen ille Sermo in præſenti non extat, quemadmodùm etiam Carolus à Baſilica Petri ſcitè admonuit. Sequitur Trithemius: *Manſit itaque Corpus Sancti Aurelij ibidem ſepultum, multis clareſcens miraculis, à tempore Imperij Gratiani vſque ad Imperium Caroli Imperatoris Magni, per Annos fermè Quadringentos triginta-ſeptem, quouſque Nottingus, Vercellenſis Epiſcopus, magnis illud precibus ab Archiepiſcopo Mediolanenſe impetratum, Anno Quinto Ludouici Imperatoris Primi, ad ſuam Eccleſiam tranſtuliſſet. Quod non longè poſtea ſub eodem Ludouico in Germaniam, Patriam ſuam, euectum, ſicut prædiximus* (& ſicut etiam nos proximè videbimus) *in Hirſaugienſe Monaſterium collocauit: vbi vſque in præſentem diem meritis eius Omnipotens Deus multas virtutes & magna operatur.* B Hactenùs Trithemius. Secundùm illam verò Andreæ Alciati Lucubrationem, quam ego ſuperioris Libri Primi Capite 2. Numero 14. indicabam, hoc etiam Epitaphium illic eiuſdem Aurelij Tumulo adiectum fuit: C

*Depoſuit corpus tumulo; ſed laude perennis*
*Aurelius Cæli Regna beata petit.*
*Qui mortem vicit meritis, Mundumquè relinquens,*
*Immenſum Chriſti poſſidet Imperium.*
*Cuius vt agnoſcas ſancta præconia vitæ,*
*Conſortis Lector reſpice & acta Viri.*
*Ambo pari lucis clauſerunt tempore metam,*
*Membra Dionyſio iunxit amica Papæ.* D
*Prompta Sacerdotis mens vt iuuet exorantes;*
*Hanc ideò Tabulam detulit Euſebia.*

*Aurelius, Ciuitatis Riditionis Epiſcopus. Hic eo die* (ſubintelligendum videtur *obijt*) *quo etiam Pontifex Sanctiſſimus Conſeſſorquè Dionyſius, poſt Conſulatum Domini Diui Leonis Iunioris.* Hucuſque, tamquàm ex eo Epitaphio, Alciatus. Dehinc verò, tamquàm è ſuo ſenſu, explicationis gratia ſic inquit: *In*

*ſubterraneo*

*ſubterraneo Diui Dionyſij Sacello, quod Orientalis Portæ ſuburbanum eſt, Altare marmoreis tabulis confectum ſtabat, in quo Arca alia antiquiſsima Sanctorum Epiſcoporum Oſſa aſſeruabat: quæ proximo bello intra Vrbem translata fuerunt* (Anno nempe Domini 1538. ſicut ego iam commemini Libro Primo, Capite 2. Numero 14.) *cùm Germani Milites & in ipſam Aram ſæuiſſent. In ea id Carmen etiamnùm legitur, poſt Conſulatum ſolius Domini Diui Leonis inſcriptum. Is fuit Publicæ Salutis Annus Quadringenteſimus ſeptuageſimus-ſeptimus.* A

IX. Videamus nunc, quemadmodùm de Sancti Aurelij Corpore tale aliquid abſque dubio factum poſtea fuerit, quale de Sancti Arialdi Corpore factum ego ſuſpicabar anterioris Libri Primi Capite 25. cuius nempe Corporis pars fortaſsè Mediolani ſuo in Tumulo remanſerit, pars autem hinc ad Vrbem Brixiam, indequè randem Anno 1305. Cremonam translata fuerit. *Tempore Ludouici Primi Imperatoris* (verba ſunt eiuſdem Trithemij) *Erlafridus Comes de Calue, Vir diues & potens apud Imperatorem, habebat filium, Nottingum nomine, Virum in omni doctrina Scripturarum eruditum: qui propter ſcientiam litterarum ac vitæ honeſtatem ſub Carolo Magno Imperatore* (hunc autem imperaſſe conſtat ab Anno Domini Octingenteſimo ad decimum-quartum; ſicut & poſtea Ludouicùm à decimo-quarto ad quadrageſimum) *Patre Ludouici, Epiſcopatum Vercellenſis Eccleſiæ fuerat conſecutus. Is, poſteaquàm Eccleſiam ſuam aliquandiu ſecundùm Canonicas Sanctiones probè rexiſſet; in dulcem viſendi patriam cupidinem incidit. Ad quam ne vacuus remeaſſe videretur, cogitare cœpit, quid muneris præcipui ſecum adduceret, quo eam faceret clariorem. Impetrauerat ſanè non longè ànte à maximis precibus* (ab Archiepiſcopò videlicet Mediolanenſi, quemadmodùm diſertè Trithemius nobis Numero ſuperiore affirmabat, ac benè obſeruauit etiam Aurelius Corbellinus in Epiſcoporum Vercellenſium Viris, Italicè conſcriptis, & Anno 1643. euulgatis, pagina 37. in hoc ipſo Nottingo Epiſcopo) *Corporis Sanctiſsimi Præſulis Redicianorum Aurelij Armeni Reliquias, iaſpide & auro pretioſiores: quas ad Eccleſiam ſuam Vercellenſem deferens in mauſoleo pulcherrimo, quod præparauerat, collocauit. Itaque, viſurus patriam dulceſquè genitores, hunc theſaurum inferre Germanis cùm deliberaſſet; inter ſpem* B C D

*metumquè fluctuans animo : ne fortè illatio hac aut Sancto diſ-* A
*pliceret Aurelio : aut , ſi à Populo Vercellenſis Eccleſia perciperetur , à ſuo cogeretur reſilire propoſito ; rem omnem diuino conſilio terminandam commiſit*. Sanctus ergo Aurelius illi per viſum in ſomnis ſignificauit , placere ſibi , vt Reliquiæ illæ ſuæ in Germaniam transferrentur ; ſed vt ibi denique collocarentur , vbi cæcum ipſe ſanaret. Sicut itaque cæcum ipſe ſanauit eo in loco, vbi nunc Sancti extat Aurelij Monaſterium , quod Hirſaugienſe appellatur ; ſic etiam ibidem illæ ipſius Reliquiæ conditæ ſunt ; Anno nempe ab Incarnatione Domini Octingenteſimo trigeſimo ; ſicut in eodem Trithemius Chronico concludit ; & B
ſicut cum eo ſuam illam Mediolanenſem Hiſtoriam concludit Carolus à Baſilica Petri , hoc tantùm è ſuo ſuperaddens : *Quòd Reliquias Sancti Aurelij Mediolano translatas dicit* ( Trithemius ) *de omnibus non eſt accipiendum , ſed tantùm de earum parte . Mediolani enim pars remanſit in Eccleſia Maiori , vbi nos Caput & quaſdam alias Reliquias vidimus* . Itaque priùs etiam , quàm præſentem Trithemij narrationem recitaret , ſic etiam ille ſcripſerat: *Licet verò in longinquis partibus Dionyſius hac vita exceſſerit; eius tamen Corpus Mediolanenſes receperunt ; tradituṛquè , Ambroſio iam Epiſcopo facto , Sanctus Vir Aure-* C
*lius , in Armenia Vrbis Rediciana Epiſcopus , Mediolanum conceſſiſſe , Orientales fortaſsè tumultus fugiens ; & Sacras Reliquias ſecum detuliſſe . Ea in Baſilica Dionyſiana condita fuerunt : & vnà cum eis poſtea ipſius quoque Sancti Viri Aurelij Corpus, qui hîc reliquum vita ſua ſpatium traduxit . Cùm autem Eccleſia ab Abbate & Monachis quibuſdam habitus ferè Clericalis , qui eam habebant , temporum calamitate eſſet deſerta ; Corpora tranſlata ſunt in Eccleſiam Maiorem , Hippolito Secundo Eſtenſe Archiepiſcopo ; & à Carolo deinde Cardinali & Archiepiſcopo , nobis præſentibus & miniſtrantibus , diligentiſſimè in ſubterraneo* D
*Sacello cum alijs Sacris Reliquijs recondita* . Quæ verò hic tandem aſſerebantur de Sanctorum Dionyſij & Aurelij Corporibus in Eccleſiam denique Maiorem ſiue Metropolitanam translatis : eadem profectò conſentiunt cum ijs, quæ nos item præcedentis Libri Primi Capite 2. Numero 14. & Capite x. Numero 4. dicebamus.

X. Ad Monaſterij San-Dionyſiani fundationem nunc progredior , ab

Ariberto Archiepiſcopo noſtro factam Anno Domini Milleſi- A
mo vigeſimo-tertio ( ſicut etiam ego memorabam ſuperioris Capitis Numero 51.) cùm Sanctus adhuc viueret Henricus Imperator, & ſequenti Diplomate firmatam: *In Nomine Summæ & indiuiduæ Trinitatis*. EGO ARIBERTVS, INFINITA OMNIPOTENTIS DEI MISERICORDIA AMBROSIANÆ ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPVS, *pro ſalute animæ meæ, necnon Magni H.* ( hoc eſt, Henrici ) *Imperatoris Auguſti, atque totius Vrbis viuorum ac defunctorum Fidelium, Eccleſiam*, IN QVA BEATISSIMORVM CONFESSORVM DIONISII ET AVRELII SACRA CORPORA REQVIESCVNT, *cum omnibus, quæ nunc habet vel habebit, Apoſtolica* B
*Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate inregulare & ordinare diſpoſui Monaſterium. Igitur quia pro honore Sanctorum, & omnium fidelium Animarum ſalute*, DVODECIM IBI MONACHOS,ET PRÆTEREA ABBATEM, *conſtituere, atque Hoſpitale Pauperum ſemper adeſſe conſtitui; & decretum eſt, vt loca, quæ* DE NOSTRIS PROPRIETATIBVS *modò eorum vtilitatibus per Iudicatum obtuli, nominatim exprimere ſtudeam. Scilicet, excepto Caſtro, vnam partem, quam habeo in Iuuenigo, Sexto, & Quinto, Cuciaco, Barzago, & Verzago, quantumcumque habeo, cum quinquaginta ſeruis eidem vtili-* C
*tati offero*. CLERICOS AVTEM, QVI NVNC IN EADEM ECCLESIA OBEDIENTIAM HABENT ( Clerus quippe Sæcularis ibi adhuc reſederat ) *quietos eſſe volo. Qui verò in ſpe ibi ordinari ſunt, Abbatis ordinatione Eccleſiam & omnem ſuam partem pacificè teneant. Sed poſt iſtorum Ordinationem, liberam poteſtatem Abbati concedo, quodcumque conſilium inde ſecundum Deum decreuerit adimplendum. Hoc præcipuè ſuper omnia conſideret: vt Beati Benedicti Regulam, per quam aut ſaluabitur aut perdetur, per omnia cuſtodire ſtudeat*.
DIE VERO NATALIS DOMINI ET PASCHÆ NOS- D
TROS ORDINARIOS, PRESBYTEROS ET DIACONOS, SICVT AB ALIIS MONASTERIIS, AB ABBATE LOCI HONORIFICE VISITARI PRÆCIPIO. *Sed quia pro communi noſtra ſalute has orationes & elimoſinas inſtitui; volo, vt, quotiens Abbas & Monachi pro celebrandis Diuinis Myſterijs Eccleſiam ingreſſi fuerint, non ſolùm pro præſentium ſed pro fu-*

*turorum*

*turorum ſalute ſpeciales Pſalmos & Orationes cum omni religione Deo offerant. Et vos, ſemper recordantes, quanta virtus Sanctorum ibi maneat, Locum in hoc ordine fideliter retinete, illorum ſeruitores ab iniurijs defendite: certi exiſtentes, quia Sanctorum meritis centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis. Si quis autem huius noſtræ Ordinationis laudabile firmamentum rumpere aut inuadere aliquo modo temptauerit; iudicio Dei Patris & Filij & Spiritus Sancti atque omnium Sanctorum, ſine omni ſpe recuperationis, anathematizatus & excommunicatus ſemper habeatur, niſi reſipuerit. Vaſſallos verò nonniſi Aduocatum Eccleſiæ eum habere permittimus.* A B

✠ EGO ARIBERTVS, DEI GRATIA ARCHIEPISCOPVS, *ſubſcripſi.*

✠ *Ego Petrus, Dei gratia humilis Archipresbyter & Cimiliarcha, laudans ſubſcripſi.*

✠ *Ego Vvalpertus, Archidiaconus, ſubſcripſi.*

✠ *Ego Vvalpertus, Presbyter, ſubſcripſi.*

✠ *Vvido, Presbyter, ſubſcripſi.*

✠ *Enradus, Presbyter, ſubſcripſi.*

✠ *Magifredus, Presbyter, ſubſcripſi.*

✠ *Ego Odelricus, Presbyter, ſubſcripſi.* C

✠ *Gottefredus, Presbyter, ſubſcripſi.*

✠ *Vvido, Presbyter, ſubſcripſi.*

✠ *Ego Landulfus, Presbyter, ſubſcripſi.*

✠ *Landulfus, Presbyter, ſubſcripſi.*

✠ *Arnaldus, Presbyter.*

✠ *Gezo, Presbyter, ſubſcripſi.*

✠ *Ato, Presbyter, ſubſcripſi.*

✠ *Ego Ildegarnus, Diaconus, ſubſcripſi.*

✠ *Lafrancus, Diaconus, ſubſcripſi.*

✠ *Ego Vvibertus, Diaconus & peccator, ſubſcripſi.* D

✠ *Andreas, Diaconus, affirmans ſubſcripſi.*

✠ *Adelardus, Dei miſericordiâ Diaconus, ſubſcripſi.*

✠ *Ambroſius, Subdiaconus & Clericorum Inquiſitor, ſubſcripſi.*

*Hemarclus Notarius ſcripſi.*

Sequuntur ſubinde duorum Notariorum ſubſcriptiones, qui ſupraſcriptum exemplar teſtantur concordare cum authentico, à ſe viſo & lecto.

XI. Moritur

XI. Moritur interea Sanctus Henricus Imperatur Anno Chriſti Mil- A
leſimo vigeſimò-quarto, Menſe Iulio : nec multo pòſt ei ſub-
ſtituitur Conradus, cognomento Salicus, & hoc etiam ſingu-
lari Præſulis noſtri Ariberti opera, qua demùm etiam ille Me-
diolani ab ipſo ſolemniter in Regem Italiæ coronatur Anno
Milleſimo vigeſimo-ſexto; ſicut ego in Ambroſianæ Baſilicæ
ac Monaſterij Monumentis iam oſtendi è Numero 214. in ali-
quot alios ſubſequentes. Cùm igitur Mediolani Conradus
hac ipſa Coronationis occaſione moraretur; tum verò etiam
ſequenti Priuilegio fundationem San-Dionyſiani Monaſterij,
recenter ab Ariberto factam, confirmauit: *In nomine Sanctæ &* B
*indiuiduæ Trinitatis*. CHVONRADVS, DIVINA
ORDINANTE PROVIDENTIA REX. *Sancto-
rum Patrum Decretis, Canonica auctoritate fultis, & experi-
mento mundanæ Legis inſtruimur, vt publicæ Rei & Sancta-
rum Eccleſiarum cauſas æqua lance & iuſto examine penſemus.
Quæ duo maxima bona licet inter ſe vario ſint ordine diſtincta,
ita tamen ſibi inuicem iuſta diſpoſitione Dei ſunt connexa, vt, ſi
alterum perierit, alterum præcipitium pati non ſit ambiguum.
Nouerit igitur omnium Sanctæ Dei Eccleſiæ Fidelium noſtrorumquè,
præſentium ſcilicet ac futurorum, ſolertia, Kariſſimum fidelem* C
*noſtrum, Domnum Heribertum, Sacroſanctæ Mediolanenſis
Eccleſiæ Venerabilem Archiepiſcopum, noſtræ Celſitudinis adiiſſe
Clementiam, vt Abbatiam*, IN HONORE BEATISSIMI
CONFESSORIS ET EPISCOPI DIONYSII, VBI EIVS
SANCTISSIMVM QVIESCIT CORPVS, *non longè à Ci-
uitate Mediolanenſi ſitam, a ſemetipſo nouiter inſtitutam, cum
omnibus adiacentijs & pertinentijs eidem Sancti Dionyſij Abba-
tiæ (quæ ſunt domicultus, prædia, molendina, prata, ſiluæ)
noſtræ auctoritatis Præcepto confirmaremus, & regio vigore cor-
roboraremus. Nos verò tam deuotiſſimi Deo & fideliſſimi nobis* D
*Archiepiſcopi animo amplectentes petitionem; pro remedio animæ
noſtræ, ipſiuſquè refrigeratione, vt eadem Abbatia firmiter dein-
ceps præualeat, & in melius creſcat, robuſtiuſquè ab inuaſoribus
exempta diteſcat; per hoc præſens Præceptum & huius noſtræ
Auctoritatis Confirmationem, iamdictam Abbatiam cum Eccle-
ſia, intra prænominatam Mediolanenſem Ciuitatem ſita*, QVÆ
DICITVR SANCTA MARIA IN SOLARIOLO, &

*omnibus*

*omnibus circumiacentibus, quæ ad eamdem Eccleſiam pertinent, & quæ extra Ciuitatem ad eamdem Sanctæ Mariæ Eccleſiam pertinentia ſupradictæ Abbatiæ Sancti Dionyſij adiacent: & cum quatuor manſis, qui ſunt in Loco Agracino, & Pubiolo, ſeu Romano: cumque etiam terra, quæ eſt in Segradella: & tertia parte Curtis, quæ dicitur Talamona, atque Turre .......... & diſtricta, quæ ſunt in Loco qui dicitur Lierni, Mellate, & omnibus quæ tenet in Arognio; cum omnibus pertinentijs,* QVAS IPSE DOMNVS HERIBERTVS ARCHIEPISCOPVS HABENDAS PROVIDIT, *ſeu .................. volente Deo ibi collocaturus eſt, & eadem Abbatia tam per ipſum Pontificem quàm per alios Viros religioſos adquiſitura eſt: cum ſeruis & ancillis, aldionibus & aldiabus ...... Curtibus, ædificijs, campis, pratis, paſcuis, vineis, ſiluis, ſtallareis, roboretis, caſtanetis, ſaltibus, piſcationibus, molendinis, aquis aquarumquè decurſibus, montibus, vallibus, planitiebus, & omnibus quæ dici vel nominari verbis vel litteris comprehendi poſſunt, confirmamus & corroboramus. Ea videlicet lege, vt Iohannes, ipſius Loci Abbas, qui nunc ſupereſt, eiuſquè Succeſſores, qui pro tempore fuerint, de omnibus ſuperiùs nominatis inueſtitus ſit: de cenſu & redditu, quos annuè Dominus exinde dederit, in ſuos & Monachorum ibi Deo famulantium vſus, prout melius viderit, diſponat. Statuimus etiam hoc regali Præcepto, vt, ſi imminentibus peccatis Chartulæ & Securitates de terris aut rebus ipſius Monaſterij igne aut latronum incurſu vel aliquo caſu deperierint; regiam auctoritatem noſtram eiuſdem Abbatiæ Aduocatus habeat cum duodecim Sacramentalibus iureiurando firmare, quòd illo die, quo ipſæ Chartulæ perditæ fuerunt, inueſtituram haberet Abbatia de rebus, quas continebant; & ita ſe defendat ſecundùm legem ad partem ipſius Monaſterij, ac ſi eaſdem in præſentia haberet Chartulas, omnium hominum contradictione, inquietudine atque moleſtatione penitùs remota. Sancimus etiam, vt de ipſa Abbatia, vel prædictis omnibus locis, neque Dux, neque Marchio, neque Comes, neque maior qualibet vel minor perſona, fodrum exigat, aut violentiam vel moleſtiam aliquam faciat. Decimæ & ipſorum locorum diſtricta ad ipſam Abbatiam per huius noſtræ munificentiæ Præceptum in perpetuum pertineant; quatenùs & nobis hoc confirmantibus Præceptum, &*

prædicto

*prædicto Archiepiſcopo Heriberto, eiuſdem Abbatiæ ædificatori,* A
*peccatorum ſit remiſsio, & ſempiterna retributio. Si quis, quod*
*abſit, nefario auſu hoc noſtræ Confirmationis Præceptum viola-*
*uerit; centum libras auri optimi ſe compoſiturum eſſe, procul*
*dubio cognoſcat; medietatem Cameræ noſtræ, medietatem Ab-*
*batiæ. Quod vt veriùs credatur, diligentiuſquè ab omnibus ob-*
*ſeruetur, manu propria ſubter firmantes Sigilli noſtri impreſſione,*
*noſtræ imaginis figuram continentis, illud inſigniri præcepimus.*

*Signum Domni Chuonradi* O *Sereniſsimi Regis.*

*Hugo Cancellarius ad vicem Domni Aribonis, Archiepiſcopi &* B
*Archicancellarij, recognouit.*

*Data Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo vigeſimo-ſexto, de-*
*cimo Kalendas Aprilis, Indictione nona, Anno Regni Domni*
*Chuonradi Regis Secundo. Actum Mediolani fæliciter. Amen.*

XII. Hic ipſe poſtea Conradus, ex Italiæ Rege Imperator, & ex Ari-
berti Archiepiſcopi noſtri amico factus hoſtis, ad extremum
vita functus eſt Anno Domini Milleſimo trigeſimo-nono, pri-
die nonas Iunij, feria ſecunda, Indictione ſeptima: eiquè non
multò pòſt ſublectus Henricus filius, pacem protinùs cum eo-
dem inijt Archiepiſcopo noſtro. Sic etiam idem ipſe Archie- C
piſcopus Anno poſtea occubuit ab Incarnatione Domini (ſiue
à vigeſima-quinta Martij die) Milleſimo quadrageſimo-quin-
to, ab eiuſdem verò Natiuitate (ſiuè à vigeſima-quinta De-
cembris, vel à prima Ianuarij die) Milleſimo quadrageſimo-
ſexto, ac decima-ſexta Ianuarij die: quemadmodùm ego ipſe in
Ambroſianæ Baſilicæ ac Monaſterij Monumentis iam probaui
Numero 241. & 248. Hinc igitur San-Dionyſiani huius Mo-
naſterij Abbas, tanto deſtitutus Archiepiſcopo Patrono, Hen-
ricum Regem quantotyùs adijt ſupplex, atque ſubſequens ab
ipſo Priuilegium reportauit: *In nomine Sanctæ & induiduæ* D
*Trinitatis.* HEINRICVS, DIVINA ORDINANTE
PROVIDENTIA REX. *Sanctorum Patrum decretis, Cano-*
*nica auctoritate fultis, & experimento Mundanæ Legis inſtrui-*
*mur, vt publicæ Rei & Sanctarum Eccleſiarum cauſas æqua*
*lance & iuſto examine penſemus. Quæ duo maxima bona licet*
*inter ſe vario ſint ordine diſtincta; ita tamen ſibi inuicem iuſta*
*diſpoſitione Dei ſunt connexa, vt, ſi alterum perierit, alterum*
*præcipitium pati non ſit ambiguum. Nouerit igitur omnium*

*Sanctæ Dei Eccleſiæ Fidelium noſtrorumquè, præſentium ſcilicet* A
*ac futurorum, ſolertia, Domnum Iohannem*, PATRONO NOVITER MIGRANTE DESTITVTVM, *Sacroſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ venerabilem Abbatem, Noſtræ Celſitudinis adiſſe Clementiam, vt Abbatiam*, IN HONORE BEATISSIMORVM CONFESSORVM, DIONYSII ET AVRELII, VBI EORVM SANCTA REQVIESCVNT CORPORA, *non longè à Ciuitate Mediolanenſi ſitam*, AB EODEM PATRONO HERIBERTO PRIMORDIALITER INSTITVTAM, *cum omnibus adiacentijs & pertinentijs eidem*
*Sancti Dionyſij Abbatiæ ( quæ ſunt domicultus, prædia, mo-* B
*lendina, prata, ſiluæ ) noſtræ Auctoritatis Præcepto confirmaremus, & regio vigore corroboraremus. Nos verò, tam deuotiſſimi Deo & fideliſſimi nobis Abbatis animo amplectentes petitionem, pro remedio animæ noſtræ Parentumquè ac omnium Catholicorum refrigeratione, vt eadem Abbatia firmiter deinceps præualeat, & in melius creſcat, robuſtiuſquè ab inuaſoribus exempta diteſcat; per hoc præſens Præceptum, & huius noſtræ Auctoritatis Confirmationem, iam dictam Abbatiam, cum Eccleſia, intra prænominatam Mediolanenſem Ciuitatem ſita,*
QVÆ DICITVR SANCTA MARIA IN SOLARIOLO, C
*& cunctis circumiacentibus, quæ ad eamdem Eccleſiam pertinent, & quæ extra Ciuitatem ad eamdem Sanctæ Mariæ Eccleſiam pertinentia, ſupra dictæ Abbatiæ Sanctorum Confeſſorum ſiue Epiſcoporum adiacent; & cum quatuor Manſis, qui ſunt, in loco Agracino, &* Robiolo, *ſeu* Romano, *Neſiquè iuxta Cumanum Lacum: cumquè etiam terra, quæ eſt in Segradella, ſeu in Seſto qui dicitur Iohannis, in Quinto, in Cutiaco, Vertiaco, Barziago, Caſaleglo, Brinate, Cauetalli, Pontecorione, Grugonzola, Dartiano, Bretonico, Vicotodone, in Preſ-*
*ſiano, in Neſpoleto, in Monte Balliate, Caſteniate, in Brai-* D
*da Inburnorum, Oreliano, Faniano, Cucuretio, Meleſo, Paule, Caſterno, Marcallo, in Mardegorio, Caſſiano, in Fraxaneto, Secrate, Callugate, Surdi, & Caſale Moroni: & tertia parte Curtis, quæ dicitur Talamona: atque diſtricta & omnibus ex eodem iure pertinentibus in loco qui dicitur Lierni: cumquè ipſis quæ tenet in Aromnio: cum diſtrictu omnibuſquè pertinentibus Mellata, ſeu omnibus cum cambijs Piſcalli: ac alijs*
[illegible] *rebus*,

*rebus*, QVAS IPSE DOMNVS HERIBERTVS ARCHIPRÆSVL HABENDAS DEO VOLENTE IBI CONTVLIT : *& quod eadem Abbatia tam per ipſum Pontificem ſuſcepit, quàm per alios viros religioſos adquiſiuit, ſiue adquiſitura eſt : cum ſeruis & ancillis, aldionibus & aldiabus, cum caſis, curtibus, ædificijs, campis, pratis, paſcuis, vineis, ſiluis, ſtallareis, roboretis, caſtanetis, ſaltibus, piſcationibus, molendinis, aquis, aquarumquè decurſibus, montibus, vallibus, planitiebus, & omnibus, quæ dici vel nominari verbis vel litteris comprehendi poſſunt, confirmamus & corroboramus. Ea videlicet lege, vt Iohannes ipſius loci Abbas, qui nunc ſupereſt, eiuſquè Succeſſores, qui pro tempore fuerint, de omnibus ſuperiùs nominatis inueſtitus ſit : de cenſu & redditu, quos annuè Dominus exinde dederit, in ſuos & Monachorum ibi Deo famulantium vſus, prout melius viderit, diſponat. Statuimus etiam hoc regali Præcepto, vt, ſi imminentibus peccatis Chartulæ & Securitates de terris aut rebus ipſius Monaſterij igne aut latronum incurſu vel aliquo caſu deperierint, regiam Auctoritatem noſtram eiuſdem Abbatiæ Aduocatus habeat cum duodecim Sacramentalibus iureiurando firmare, quòd illo die, quo ipſæ Chartulæ perditæ fuerunt, inueſtituram haberet Abbatia de rebus, quas continebant ; & ita ſe defendat ſecundùm legem ad partem ipſius Monaſterij, ac ſi eaſdem in præſentia haberet Chartulas, omnium hominum contraditione, inquietudine, atque moleſtatione penitùs remota. Sancimus etiam, vt de ipſa Abbatia, vel prædictis omnibus locis, neque Dux, neque Marchio, neque Comes, neque maior qualibet vel minor perſona, fodrum exigat, aut violentiam vel moleſtiam aliquam faciat. Decimæ & ipſorum locorum diſtricta ad ipſam Abbatiam per huius noſtræ munificentiæ Præceptum in perpetuum pertineant ; quatenùs & nobis iſtud confirmantibus, noſtriſuè Parentibus, & prædicto Archipræſuli Heriberto eiuſdem Abbatiæ ædificatori, omnibus inibi Catholicis, amminiculum largitis, largientibus, ac largituris, peccatorum ſit remiſſio, & ſempiterna retributio. Si quis, quod abſit, nefario auſu hoc noſtræ Confirmationis Præceptum violauerit ; centum libras auri optimi ſe compoſiturum eſſe, procul dubio cognoſcat ; medietatem Cameræ noſtræ, medietatem Abbatiæ. Quod vt veriùs credatur, diligentiuſquè ab omnibus obſeruetur, manu pro-*

*pria ſubter firmantes, Sigilli noſtri impreſſione, noſtræ imaginis figuram continentis, illud inſigniri præcepimus.* A

*Signum Domni Heinrici Tertij* O *Regis Inuictiſſimi.*

*Adelbertus Cancellarius, vice Hermanni Archicancellarij, recognouit.*

*Datum octauo Kalendas Martij, Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo quadrageſimo-quinto, Anno Domni Heinrici Regis, Ordinationis verò eius decimo-ſexto, Regni quinto. Actum Auguſtæ feliciter. Amen.*

XIII. Sicut autem in ſuperiori Priuilegio Henricum non alio, quàm Regis, titulo vidimus inſignitum; ſic etiam par eſt, vt hinc quoque dignoſcamus, illud fuiſſe datum priùs, quàm ipſe crearetur Imperator, ſiue Coronam Imperialem à Romano Pontifice acciperet; quam quidem non accepit, niſi ſubſequenti Dominicæ Natiuitatis die; ſicut è probatis Auctoribus conſtat. B

XIV. Benè autem Carolus Sigonius Hiſtoriarum de Regno Italiæ Libro Octauo, ad Annum Chriſti 1049. de hoc ipſo ſcribens Henrico Rege ac poſtea Imperatore, ſic obſeruabat: *Cæterùm Ordinationis Annus dicitur Annus, quo Rex eſt Germaniæ declaratus: qui fuit Milleſimus triceſimus-nonus; vt nos ex vetuſtis ipſius Patriſquè Diplomatis ſcripſimus; Germanis repudiatis, qui triceſimum-ſextum prodiderunt.* Quibus tamen in verbis ego pro triceſimo-nono illo Anno, ſecundùm Sigonij mentem legendum potiùs arbitror *viceſimus-nonus.* Ipſemet ſiquidem Sigonius iam ante in eumdem illum Annum 1029. ſic etiam tradiderat: *Conradus Henricum filium Regem Germaniæ declarauit.* Sed in hoc præterea paululùm etiam ille mihi videtur à vero aberraſſe; atque non vigeſimus-nonus, ſed vigeſimus-octauus Annus eidem illi declarationi Ordinationiquè adſcribendus videtur. Sic enim conſtat è teſtimonio Vvipponis Presbyteri, qui Chunrado ipſi Salico à Sacris fuit, eiuſquè Vitam ſcripſit, & ipſimet Henrico nuncupauit, quiquè in Epiſtola nuncupatoria ſe profitebatur ea tantùm ſcripſiſſe, quæ vel ipſe viderat, vel aliorum relatu didicerat. Titulo itaque, *Quod Imperator filium ſuum Heinricum Regem conſecrari fecit,* hæc erant ipſius Vvipponis verba: *Anno Domini Milleſimo vigeſimo-octauo,* C D

*mo-octauo , Indictione vndecima , Imperator Chuonradus filium ſuum Heinricum , magni ingenij & bonæ indolis puerum , ætate vndecim Annorum , Principibus Regni cum tota multitudine Populi id probantibus , à Peligrino , Archiepiſcopo Colonienſi, in Regalem apicem apud Aquiſgrani Palatium ſublimari fecit . Tunc in principali Dominica Paſchæ conſecratus & coronatus , Paſchalem lætitiam triplicauit .* Talia ibi Vvippo ille Presbyter : & hæc ſanè ad ſextum-decimum illum adaptentur Ordinationis Henrici Annum , quo datum dicebatur Priuilegium antecedens. Quòd verò datum præterea dicebatur altero illo Anno Regni quinto ; hic ſine dubio Annus ex eo computandus eſt tempore, quo primùm Henricus, poſt Conradi patris obitum, ad Italiæ Regnum euectus eſt. A B

XV. Vrbanam porrò illam Sanctæ Mariæ IN SOLARIOLO Eccleſiam , ſuburbanæ Sancti Dionyſij Abbatiæ ſubiectam, quæ in proximis Conradi & Henrici Priuilegijs nominabatur, ego pariter, ſicut in Ambroſianæ Baſilicæ Monumenris Numero 280. dicebam, ſic etiam nunc confirmo , eſſe illam, quæ poſtea Sancti Fidelis nomen obtinuit, & vſque in hodiernum retinet diem, quæquè nunc religioſiſſima eſt Domus Profeſſa Patrum Societatis Ieſu . Quocirca etiam in Priuilegijs Oberti Archiepiſcopi noſtri, & Eugenij Papæ Tertij Anno 1146. necnon etiam Adriani Papæ Quarti Anno 1157. itemquè Alexandri Papæ Tertij Anno 1164. inter cætera San-Dionyſianæ illius Abbatiæ bona Eccleſiam illam vidimus expreſsè hunc in modum nominatam : *Eccleſiam Sanctæ Mariæ* IN SOLARIO ( eamdem ſine dubio cum illa , quæ à Conrado & ab Henrico Regibus dicebatur IN SOLARIOLO ; ſicut etiam dicta deinde fuit à Friderico Imperatore, in Priuilegio pariter à ſe conceſſo ) *quæ nunc Sancti Fidelis dicitur* . C

XVI. Hæc ipſa tamen Eccleſia ſic etiam dicebatur Anno Milleſimo ſexageſimo-primo : eiuſquè Officialis tunc erat vnus ex Ordine Decumanorum. Itaque publicum & autenticum illius Abbatiæ Documentum ego legi , datum *Anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti Milleſimo ſexageſimo-primo, menſe Martij, Indictione quartadecima* : ex quo conſtat , Presbyterum tunc Ambroſium, de Ordine Decumanorum Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ , fuiſſe Officialem ipſius Eccleſiæ Sancti Fi- D

delis: quodquè tandem ſic etiam eſt ſubſcriptum: *Ariprandus, Notarius Sacri Palatij, ſcripſi poſt tradita, compleui, & dedi. Actum verò fuit in iſta Ciuitate Mediolani.* A

XVII. Sed ne tacendum quidem mihi eſt, quemadmodùm illius Officialis electio penderet è San-Dionyſiani Abbatis voluntate. Cùm enim de ipſius electione quæſtio eſſet inter Abbatem illum, & eius Eccleſiæ Vicinos oborta; ſic eam Obertus Archiepiſcopus noſter diſſoluit Anno Domini 1149. *In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Recordatio Sententiæ, quæ data eſt* A DOMNO OBERTO, SANCTÆ MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPO, *ſuper diſcordia, quæ inter* B
*Domnum Arialdum Monaſterij Sancti Dionyſij Abbatem, & Vicinos Eccleſiæ Sancti Fidelis agitabatur. Diſcordia enim hæc erat. Prædicti ſiquidem Vicini dicebant, quòd eis pertinebat eligere Sacerdotem, ſeu Clericum, in præfata Eccleſia Sancti Fidelis, & eumdem Sacerdotem Domno Archiepiſcopo repræſentare, & ab ipſo Domno Archiepiſcopo confirmationem accipere; tum quia à Domno Tedaldo, quondàm Mediolanenſis Eccleſiæ Archipresbytero, per Sententiam hoc diffinitum fuerat; tum quià prænominata Eccleſia Sancti Fidelis hoc per longam conſuetudinem habebat. Ad quæ probanda ſuos induxerunt Teſtes. E contra* C
*præfatus Domnus Abbas reſpondens, ipſam electionem prædictis Vicinis nullo modo pertinere affirmabat; quia Sancti Patres non electionem, ſed petitionem ſolummodò in Sacris Canonibus Populo conceſſerunt; & ipſam eligendi Sacerdotem in ſæpedicta Eccleſia conſuetudinem penitùs negabat. Auditis itaque vtriuſque partis rationibus, & diligenter inquiſitis; communicato cum Fratribus ſuis conſcilio, Domnus Obertus, Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, obmiſſis Vicinorum Teſtibus, hanc promulgauit Sententiam, inquiens: Supradictis Vicinis talem electionem concedimus, vt eis liceat nominare perſonam; ita tamen, quòd in* D
*poteſtate illius, cuius eſt Eccleſia, per omnia ſit dandi illum quem elegerint, vel non dandi. Sed quoniam Eccleſiam Sancti Fidelis Eccleſiæ Beati Dionyſij per Sententiam adiudicauimus; ſæpedicti Vicini illam talem electionem Abbati Sancti Dionyſij repræſentent: quæ perſona ſi eidem Abbati placuerit; ab ipſo Abbate & Vicinis ante præſentiam Domni Archiepiſcopi perſona illa ducatur; & ab ipſo Domno Archiepiſcopo inueſtiatur. Data eſt hæc Sententia*

*Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo centeſimo quadrageſimo-* A
*nono, menſe Iulij, Indictione duodecima.*

✠ EGO OBERTVS, ARCHIEPISCOPVS, *ſubſcripſi.*

✠ *Ego Obitius, Archipresbyter, interfui, & ſubſcripſi.*

✠ *Ego Galdinus, Archidiaconus, interfui, & ſubſcripſi.*

✠ *Ego Anſelmus, indignus Diaconus, interfui, & ſubſcripſi.*

XVIII. Reliquum nobis tandem iam eſt, vt videamus, qualesnam è Clero Sæculari eſſent Eccleſiæ San-Dionyſianæ Officiales illi, quos Aribertus Archiepiſcopus Numero 10. in ſuo Diplomate innuebat Diuina illic Officia peregiſſe priùs, quàm Monachos illuc induceret. Quinos autem fuiſſe illos reperio: eorumquè B primarium fuiſſe Archipresbyteri nomine inſignem; reliquos verò ex Ordine Decumanorum fuiſſe.

XIX. Pro Archipresbytero autem ipſo abundè ſufficit publicum & autenticum Documentum, Anno Domini 1120. in hanc ſententiam confectum: *Die Iouis, qui eſt vndecimus dies menſis Martij: Propè Eccleſiam Sancti Fidelis, constructa infra Ciuitatem Mediolani, præſentia bonorum hominum, quorum nomina ſubtùs leguntur, per fuſtem & pergamenum, quod ſua tenebat manu* IOANNES ARCHIPRESBYTER ET OFFICIALIS ECCLESIÆ SEV MONASTERII SANCTI DIONYSII, C *constructum foris de prædicta Ciuitate, & foris de ſuburbio* IVXTA PORTA ARGENTEA ( quam ego Vrbis Portam in Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis Numero 280. aſſerebam eſſe vnam eamdemquè cum Orientali ) *facit finem & refutationem, ſeu tranſactionem Adæ Abbati prædicti Monaſterij, & omni ſuo Succeſſori, & prædictæ Eccleſiæ ſeu Monaſterio, nominatiuè de omni benedictione, & oblatione, ſeu offerſione, quæ in eadem Eccleſia Sancti Dionyſij amodò in antea aduenerit: & de omni diſcordia & intentione, quæ vſque modò habuit aduersùs ipſum Abbatem, vel Monaſterium, aut ipſam Eccleſiam: nec aliquod* D *officium aut dominium amodò in antea faciet nec requiret in eadem Eccleſia ſine iuſſione prædicti Abbatis, aut ſui Succeſſoris. Scilicet tantummodò ipſe Iohannes Archipresbyter, & eius Succeſſor, amodò in antea in eadem Eccleſia ita ſtabit & permanebit; ſicut legitur in Breuilegio, quod fecit Aribertus Archiepiſcopus, qui eumdem ædificauit Monaſterium: & in illis omnibus cauſis in eodem Breuilegio continentibus amodò in antea erit con-*

*tentus*

*tentus &c.* Et poſt multa : *Et accepit ipſe Iohannes Archipreſbyter ab ipſo Abbate exinde launechild croſnam vnam. Factum eſt hoc Anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti Millexímo centeximo vigeximo, ſupraſcripto die, Indictione tertia-decima.* Sequuntur inde ſubſcriptiones : *Signum manuum &c.* in quarum omnium fine : *Ego Ingelfridus, Notarius, interfui, & hoc Breuem ſcripſi.* A

XX. Pro reliquis verò illis quatuor Decumanis luculentum & concors habemus teſtimonium Archiepiſcopi noſtri Oberti, & Pontificum Romanorum, Eugenij Tertij, Adriani Quarti, Alexandri Tertij, Hi enim vnanimiter omnes in ſuis illis Priuilegijs, iam ſupra indicatis, ita etiam, & ita prorsùs ad verbum, præcipiebant : *Ad hæc quatuor Clerici ipſius Monaſterij, qui ſunt de Ordine Decomanorum Mediolanenſis Eccleſiæ, ab Abbate, qui pro tempore fuerit, ad honorem Dei in eadem Eccleſia ponantur & ordinentur: eiquè tanquàm patri & domino ſuo obedientes exiſtant ; ſicut hactenùs extitiſſe dinoſcitur, & Scripto iamdicti Archiepiſcopi* (Aribetti) *continetur.* B

XXI. Eoſdem tamen illos quatuor Eccleſiæ San-Dionyſianæ Officiales, ac ſimul Eccleſiæ Mediolanenſis Decumanos (ex Ordine videlicet eorum Centenario, vt ego Diſſertationis Nazarianæ Capite 112. Numero XI. iam oſtendi) certum eſt inde poſtea translatos eſſe tandem ad propinquam Sancti Bartholomæi Eccleſiam, intra Portæ Nouæ limites ſitam. Quamobrem hodierni etiam quatuor illius Rectores, & Animarum Curatores, nihilominùs adhuc Canonici ſolent appellari ; retenta nempe aliarum noſtræ Vrbis Eccleſiarum Collegiatarum conſuetudine, qua earum Officiales ac Decumani, depoſito tandem Decumanorum nomine, ſibi aſſumpſerunt & adhuc retinent Canonicorum appellationem ; ſicut è noſtris Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis planum ac perſpicuum eſt. Quòd ſi fortè primam eius etiam Eccleſiæ, Sancto Bartholomæo Apoſtolo ſacræ, originem agnoſcere curioſi optamus ; de ipſa quidem Gualuaneus Flamma in Chronico Maiori, ſecundùm Ambroſianæ Bibliothecæ Codicem, ſic habet in fine Capitis 766. *Anno Chriſti Milleſimò quinquageſimo-quinto Eccleſia Sancti Bartholomæi extra Portam Nouam* (extra C D

quam

quam vtique tunc temporis erat) *fuit fundata, vt dicit Gotho- fredus de Buſſero.* A

XXII. Certè autem de ipſomet etiam Ariberto Archiepiſcopo, Sancti Dionyſiani huius Monaſterij Conditore, ibiquè tandem poſt obitum perhonorificè condito, longè plura, eademquè ſcitu digna, mihi adhuc ad dicendum ſupereſſent; ſed ea tamen interim ſufficiant, quæ inſuper à me dicta iam ſunt in Ambroſianæ Baſilicæ ac Monaſterij Monumentis, & è Numero præſertim 213. vſque ad 249. Tempus enim iam eſt, vt præſenti Libro & Operi finem imponamus.

B

FINIS LIBRI QVARTI ET VLTIMI.

# ADDENDA

## Libro Primo, Capiti Decimo-tertio, in fine Numeri Primi, Pagina 34.

Ego enim pro ipſo eiuſquè Patre ſequentem tantùm Epiſtolam ſuperaddam: *Iouita Rapicius Hieronymo Montio S. D. Niſi Viri Optimi, patris tui, obitu vehementer doleam; me nec hominem arbitrer. Quamquàm enim aliquantò ſeriùs, quàm decuerat, id accepi; nihilò ſeciùs tamen ſum conturbatus. Diligebam enim ex animo illum abſentem abſens; nec amicitiam, iuſtiſſimis de cauſis cum eo ſemel initam, aut ſtudiorum diſſimilitudo, aut locorum interualla diuellere vnquàm potuerunt. Ita hærebant & adhuc hærent animo multæ illius magnæquè virtutes; quæ hominem Reipublicæ vtilem, omnibus, qui vel leuiter norant, amabilem, mihi verò etiam dignum rara quadam veneratione reddebant. Gratulabar illi tacitus, quòd ſenex in optimorum liberorum amore conquieſceret: & viuere illum diutiſſimè optabam: atque eos ex tua iſta excellenti virtute ac dignitate fructus capere, quos illius in te honeſtis artibus inſtituendo diligens cura poſtulabat. Verùm, quando neceſſitati ne Diui quidem poſſunt obſiſtere; me ipſum, ſi non planè conſolor, certè colligo; &, quæcumque accidunt, ferenda cenſeo. Quod te quoque, quæ tua prudentia eſt* C D

*&*

*& animi vigor, facere certò ſcio, neque hac in re ullius conſilio* A
*indigere. Ideoquè nihil eorum dicam, quæ in huiuſmodi caſu dici conſueuere; ſed ambobus potiùs gratulabor. Illi, quòd non priùs è vita exceſſit; quàm te, eximia iſta doctrina excellentem, & multis alijs benè conſtituti animi dotibus florentem, non Principibus modò Viris placere, ſed uniuerſæ Ciuitati, quod maximè optauerat, eſſe cariſſimum perſpexit. Tibi verò, quòd diuino quodam dono datum ſit Patris prudentiſſimi conſilijs ineuntis pueritiæ inſcitiam regere, & lubricum illud adoleſcentiæ tempus ſtabilire, & bonam iuuentæ partem ita ducere, ut iam non Patriæ modò, ſed uni-*
*uerſo hominum generi prodeſſe poſsis. Itaque arbitror, illum (ſi* B
*quis eorum, quæ hic fiunt, mortuis ſenſus eſt) gaudere, quòd in te filio multò viuat illuſtriùs, quàm in ſe ipſo vnquàm vixerit. Sed hæc tu, pro tua eruditione ac prudentia, multò meliùs. Ego, quod te ſcire velle deſidero, viuò adhuc, & valeo; ſi modò ſenes valere poſſunt. Addo illud, me adhuc amicis charum eſſe, & operam meam Illuſtriſsimæ huic Ciuitati non eſſe ingratam. Paulus noſter, non ſine integritate & Iuriſprudentiæ fama, apud Maternenſes, qui Benacum accolunt, ius dicit, & te unicè diligit. Vale. Venetijs, Calendis Septembris, 1568.*
Hanc ipſam verò Epiſtolam ego accepi è folio 63. paginaquè C
2. Libri, hunc in modum inſcripti: *Epiſtolæ Clarorum Virorum, ſelectæ de quamplurimis optimæ, ad indicandam noſtrorum temporum eloquentiam. Nunc demùm emendatæ, auctæ, ſummaquè diligentia excuſæ. Venetijs, ex Typographia Dominici Guerrei, & Ioannis Baptiſtæ, fratrum, 1568.*

D

ERRATA

# Errata typographica Benigne Lector hic accipe correcta.

| Paginæ, | Lineæ, | Errata, | Correcta. |
|---|---|---|---|
| 4. | 17. | *Drexellius* | *Drexelius* |
| 24. | 36. | *ventiquattro* | *quatordeci* |
| 42. | 22. | *Ambroij* | *Ambroſij* |
| 47. | 19. | Capitis 9. | Capitis 10. |
| 58. | 9. | *Droxelij* | *Drexelij* |
| 75. | 9. | prætermittu | prætermitto |
| 77. | 38. | *ſic* | *ſicut* |
| 105. | 2. | ſuperuenientiem | ſuperuenientium |
| 185. | 8. | *habitabit* | *habitauit* |
| 190. | 5. | exordire cogon | exordiri cogor |
| 192. | 20. | cerebratum | celebratum |
| 196. | 32. | *ego* | *ergo* |
| 202. | 6. | illuſtrandum | illuſtrandam |
| 208. | 16. | proſpicaciſſimus | perſpicaciſſimus |
| 215. | 35. | eadem | eamdem |
| 223. | 29. | Capite 60. | Capite 17. & 60. |
| 246. | 7. | vtriuſqu | vtriuſque |
| 264. | 21. | *inramento* | *iuramento* |
| 284. | 24. | perſeueraſſet? | perſeueraſſet! |
| 329. | 7. | Capite 13. | Capite 13. & 17. |
| 434. | 4. | PRESTO | PRÆSTO |
| 444. | 21. | charitate | in charitate |

Laus

Laus Deo Optimo Maximo,
ac Deiparæ Virgini Mariæ,
Sanctiſquè omnibus,
ac nominatim Arialdo & Herlembaldo,
noſtris Mediolanenſibus,
ad perpetuam Vrbis huius tutelam.

005645330